Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Amandus Polanus von Polansdorf

Sylloges Thesium Theologicarum, Ad Methodi Leges Conscriptarum Et Disputationibus Roberti Bellarmini praecipue oppositarum atq[ue] in vestuta Academia Basiliensi ad disputandum propositarum : ... Accesit Geminus index: quorum Prior exhibet locos communes Theologicos ... Posterior autem recenset loca Scripturae ...

P. 3 : : Analyticarum Et Syntheticarum

Basileae: Waldkirch, 1607

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Ded. Ind. 734 p.
Epist. 128 p.

51 b. 9.

3014

F.g – 3679 (2.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn77776766X/phys_0002
DFG

SILLOGES

THESIVM THEOLOGICARUM

ANALYTICARUM ET SYNTHETICARUM

IN INCLYTA ACADEMIA BASILIENSI AD publicarum disputationum exercitia hujus seculi à Christo nato decimiseptimi primo sexennio propositarum

AB

AMANDO POLANO

A' POLANSDORF

S. Theologiæ D.

PARS TERTIA.

BASILEÆ

Per CONRADUM WALDKIRCH.

Anno clɔ. Iɔ cVII.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn77776766X/phys_0006
DFG

EXCELLENTISSIMO
Clarissimoq; Viro
D. GUILIELMO ARAGOSIO
THOLOSATI, MEDICO FELICISSIMO annum jam ætatis nonagesimum tertium per divinam benedictionem agenti gratiam & pacem
à
CHRISTO DOMINO
precatur
AMANDUS POLANUS
A POLANSDORF.

ETSI religio vera à Philosophis Gentilibus minimè petenda, ut beatus Augustinus rectè monet primo tomo operum suorum, libro de vera religione, capite quinto: tamen nihil impedit, quò minùs ea quæ rectè ab illis dicta sunt & cum eloquiis divinis congruunt, commodè proferantur, tanquam generalis gratiæ divinæ documenta; cujusmodi non pauca in scriptis Platonis inveniuntur, cujus dogmata multa à Christiana religione non esse alie-

na testatur Justinus Martyr Apologiâ primâ pro Christianis, & Augustinus loco jam allegato, & Theodoretus passim in Sermonibus de curatione Græcarũ affectionum. Hoc ut planum faciam, unum & alterum locum saltem exempli gratiâ proferã. Libro quarto de Legibus docet, religionem verum esse Reipublicæ fundamentum & religionis sensum in animis civium inesse oportere; ὁ μὲν δὴ θεὸς (ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος) ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθεῖαν περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος. τῷ δ' ἀεὶ ξυνέπεται δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός. ἧς ὁ μὲν εὐδαιμονήσειν μέλλων, ἐχόμενος, ξυνέπεται ταπεινὸς κεκοσμημένος· ὁ δέ τις ἐξαρθεὶς ὑπὸ μεγαλαυχίας, ἢ χρήμασιν ἐπαιρόμενος, ἢ τιμαῖς ἢ καὶ σώματος εὐμορφίᾳ, ἅμα νεότητι καὶ ἀνοίᾳ, φλεγόμενος τὴν ψυχὴν μεθ' ὕβρεως, ὡς οὔτ' ἄρχοντος, οὔτε τινὸς ἡγεμόνος δεόμενος, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις ἱκανὸς ὢν ἡγεῖσθαι, καταλείπεται ἔρημος θεοῦ, *id est,* Deus, (ait) omnium rerum & principium & medium & finem in se habẽs rectam viam peragit, explicans vim suam

ſuam atque potentiam per hanc Univerſi naturam, perq; omnes illius partes circumquaq; permanans. Hunc ſequitur juſtitia, eorum qui à divina Lege deficiunt ultrix atque vindex: cui quidem juſtitiæ is modeſto & cõpoſito animo adhæret qui felix eſt futurus, ejuſque ductum & auſpicium conſtanter perſequitur. Qui autem ſuperbiâ elatus eſt, qui pecuniarum honorúmve confidentiâ tumet, vel corporis formâ unà cum juventute & dementiâ inflammatur animo ad petulãtiam, quaſi nec magiſtratu nec duce ullo indigeat, ſed aliorum dux ipſe commodus eſſe poſſit: ille profectò à Deo deſeritur, ejus vi & efficaciâ orbatus, &c. Paulò pòſt ait: *Ecquænam actio à Deo amatur, & illius voluntati conſentanea eſt? Una certè, rationem unã eamq; antiquiſsimã complectens*, ὅτι τῷ μὲν ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον, ὄντι μετρίῳ φίλον ἀὲν εἴη, τὰ δ' ἄμετρα, ἅτ' ἀλλήλοις, ἅτε τοῖς ἐμμέτροις. ὁ δὴ θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἀὲν εἴη μάλιστα, καὶ πολὺ μᾶλλον ἤ που τὶς, ὥς φασιν, ἄνθρωπος. τὸν οὖν τῷ τοιού-

τῷ θεοφιλῆ γενησόμενον, εἰς δύναμιν ὅτι μάλιστα καὶ αὐτὸν τοιοῦτον ἀναγκαῖον γίγνεσθαι καὶ ἕξιν τοῦτον δὴ τὸν λόγον, ὁ μὲν σώφρων ἡμῶν, θεῷ φίλος· (ὅμοιος γὰρ) ὁ δὲ μὴ σώφρων, ἀνόμοιός τε καὶ διάφορος καὶ ἄδικος. *hoc est* Simile simili, quod moderatũ temperatumq; sit, amicũ esse. nã immoderata, neque sibi invicem neque moderatis sunt amica. Verùm enimverò Deus rerum omnium nobis sit mensura maximè,& multò magis quã quilibet,ut nonnulli ajunt,homo.Qui igitur Deo, qui talis est,qualem modò diximus,acceptus est futurus,debet omnino quantum fieri potest, ut ipse talis maximè evadat elaborare, ac proinde totum se ad illius similitudinem conformare. Ex hac ratione, ex hominibus ille qui sapiens est atque temperans, Deo est amicus. ei enim est similis: contrà, qui nec sapiens est nec temperans, Deo dissimilis est & diversus & injustus. *In Dialogo cui titulus est Euthyphro vel* περὶ ὁσίου, *agit multa de religione, quam veram negat esse, si sit* ἐμπορικὴ, institoria *seu* mercatoria,

catoria, *quâ nimirum homines aliquid Deo dent, ut ipsi vicissim à Deo accipiant, ex stipulatus illius formula, Do ut des: quasi religio esset mercatura quædam Dei & hominum, quâ homines Deum sibi demereantur, Deus autem nihil det gratuitò hominibus. Libro secundo de Republica graviter asserit*, Deum revera esse bonum: bonarum rerum nullam aliam causam statuendam esse præter Deum: nullo modo Deum mali autorem existimandum: nullam mutationem in Deum cadere: manere semper eundem unum & simpliciter in sua ipsius forma: simplicem & veracem esse Deum & opere & verbis, & neque mutari ipsum, neq; alios decipere, neque simulacrorum objectis, neque sermonibus, neq; signis immissis, neq; pervigilio, neque insomnio. *Libro sexto de Republica docet*, BONI Ideam esse scientiæ & veritatis, quæ per mentem & intelligentiam cognoscitur, causam, esse pulcriorem scientiâ & veritate, & augustiorem ejus majestatem, imò infinitam & immensam esse ejus

pulcritudinem: BONUM illud iis rebus quæ cognoscuntur tribuere vim atq; efficaciam, non modò ut cognoscantur, sed etiam ut sint: quum tamẽ ipsum illud BONUM non sit essentia, sed supra ipsam essentiam majus & augustius, omnem nimirum rerum creatarum naturam dignitate & virtute longè lateque exsuperans. *Eandem Ideam vocat δημιουργὸν αἰτίαν in Philebo: & epistolâ sextâ ἡγεμόνα καὶ αἴτιον πάντων: ut & Patrem ejus ibidem appellat τὸν πάντων θεὸν ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων καὶ μελλόντων. Hæc quis neget esse in Platone admirabilia, vera, augustissima, Christianæ religioni consentanea? Sed plura non addo: vel hæc sola abundè evincunt, rectè Justinum, Augustinum, Theodoretum & alios patres antiquos pronunciare, multa Platonis dogmata ad Christianam religionem quàm proximè accedere. Neq; verò hoc difficile foret ostendere instituta comparatione vel cum solâ epistola beati Apostoli Pauli ad Colossenses, quam Thesibus analyticis explicatam in tertia hac Sylloga exhibeo. Verùm comparationem*

rationem saltem in uno & altero cõsideremus. Quum Plato ait, Dei justitiam esse ultricẽ & vindicem eorũ qui à divina Lege deficiunt: nónne id cõsentit cũ eo quod Paulus dicit: Ob peccata venit ira Dei in filios contumaciæ: *itẽ* Qui injuriam intulerit, referet injuriã quam intulerit, nec est personarũ respectus apud Deũ? *Quum Plato affirmat, eos esse Deo amicos, q ei similes sunt, hoc est, sapientes, tẽperantes, justos, &c. nónne congruit cũ eo quod Paulus precatur, ut fideles* impleantur agnitione voluntatis Dei cum omni sapientia & intelligentia spirituali, ut incedant sicut Domino dignum est, cui per omnia placeant, omnis operis boni fructum proferentes & crescentes in agnitione Dei? *Nónne congruit cum illo quod dicit:* Ne mentimini alius adversus alium, quum exuti sitis illo vetere homine cum factis ipsius: Et induti sitis novo illo, qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus qui ipsum condidit? *Quum Plato* BONI IDEAM *tam magnificis ellogiis ornat, & scientiæ veritatisq; atque adeò re-*

rum omnium δημιουργῶν αἰτίαν esse prædicat, nónne cum eo consentit quod Paulus de Filio Dei docet, quòd in ipso sint omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi? item quòd sit imago Dei invisibilis, quòd per eum condita sint omnia quæ in cælis sint & quæ in terra? Sed desino collationis plura adjungere capita. Istam verò, quantumvis brevissimam comparationem instituere volui, quum tibi, Vir excellentissime, Domine & amice plurimùm observande, in Platonis lectione versatissimo, Platonicæq; doctrinæ, quantum illa pietati Christianæ & veritati ex principiis naturalibus profluenti certâq; experientiâ probatæ consentanea est, admiratori amatoriq;, hanc ipsam Analysin epistolæ Pauli ad Colossenses, cui Theses Syntheticas nonnullas veluti comites adjunxi, inscribere & dedicare jam pridem animo destinarim. Suasit hoc amor summus, meruerunt plurimæ dotes quas beneficum illud Numen manu liberali in te contulit. Nam ut primùm de amore loquar, tu me jam à multis annis benevolentâ complexus es singulari, quam sæpè declarasti con-

filio salutari & auxilio promto in infirma valetudine mea: eandem in me benevolentiam adhuc constanter retines & demonstras, dum ultrò & cupidè valetudinis meæ curam geris. Ingratissimus igitur sim, nisi te vicissim amem & observantiâ, quâ par est, colam: cujus quidē amoris & observātiæ in me tuæ qualecunq; testimoniū exstare volo inscriptionē Syllogæ istius. Deinde verò multa per Dei gratiam in te sunt, quæ multò præclariora mereantur, q̄ hæc tenuia, quæ à me proficiscuntur. Tibi enim hoc dedit benignissimus Deus ut veritatem Euangelii Jesu Christi, quam Ecclesiæ ex præscripto Verbi Dei reformatæ profitentur, semel amplexus, constanter amares & retineres inter gravissimas persecutionum Gallicarū procellas, non dubitans etiam patriâ relictâ apud exteros in hunc usq; diem perseverare, ut libertate conscientiæ fruens, CHRISTUM DOMINUM, tanquam unicum illum Servatorem Mundi & Mediatorem Dei & hominum, unà cum aliis piis exsulibus sanctè & religiosè colere possis. Indidit idem animo tuo constantem pro gloria Dei zelum,

quo ver æ pietatis exercitia augere, & scã-
dala, propter quæ Euangelii professio malè
apud hostes audire possit, impedire studio
tibi est & cordi. Idẽ Deus OPT. MAX. lar
gitus tibi est, ut insigni quâ in arte Medica
polles dexteritate charitatẽ Christianam,
sine qua quantumvis maximæ ingenii do-
tes nihil sunt, in proximum tuum declara-
res: utq; ob eandem potentissimis Euro-
pæ Principibus commẽdabilis & magno in
pretio esses. Nam anno epochæ Christianæ
1552. à Rege Galliarum HENRICO II. in
ordinem Medicorum domesticorum voca-
tus fuisti. Anno 1556. idem Rex te primá-
rium Medicum extraordinarium esse vo-
luit in suo exercitu, quem in Italiam per
Guisium misit. Post reditum deinceps ad
annum 1559, cùm Regis filia primogenita
Philippo II. Hispaniarum Regi, soror Mar-
gareta Sabaudiæ Duci, filia junior Lotha-
ringiæ Principi nuberet, nuptiæq; magnifi-
ca admodum & planè regia admirabiliq;
pompa celebrarentur & Rex Henricus die
penultima mensis Junii, circa horam quin-
tam vespertinam lancea juxta oculum
graviter læsus esset, non cessasti ei avidè &
fide

fide optima inservire, donec in ingressu decimi undecimi magno illo Deo, in cujus manu quemadmodum aliorum mortalium, ita & Regum tempora sunt, disponente, te præsente ex hac vita excesßit. Cui cùm successisset FRANCISCUS II. annos sexdecim natus, qui menses septendecim tantùm regnavit, ab eo inter domesticos Medicos retentus, & à Guisiis prædominantibus honoratus, usq; ad horam interitus ipsius, ipsi fideliter inserviisti. Istum secutus CAROLUS IX. regio favore sic te complexus fuit, ut non solùm Medicum sibi esse, sed etiam quadã gratiosa familiaritate honorare voluerit: sicq; cum ipso, honoratißimum ei officium præstans, annis circiter sex vixisti, donec verè Christiana religio, te ab Aula, incredibili rerum mutatione expelleret. Post mortem Henrici II. etiam Regina mater, Catharina Medicea te retinuerat pro ordinario & domestico suo Medico, cui tamen ut nec continuò, nec diu inservires, tumultus civiles continui effecerunt. Anno 1570. ex Gallia egressus, Basileam perveniisti, quæ te hospitem eximium jure merito benevolè excepit. Anno 73. ab Augu-

stissimo Cæsare Imperatore MAXIMILIANO *II. per magni nominis Medicum ipsius D. Johannem Cratonem vocatus, ordinarius Majestati Cæsareæ ipsius Medicus mansisti fidissimus usque ad annum 1577. quo Imperator ex hac vita evocatus fuit: à cujus obitu Basileam reduxti. A tribus prædictis Regibus Gallis, item etiam à Regina matre, quin etiam ab Imperatore Maximiliano II. data tibi fuerunt Diplomata solennia cum sigillo secreto, cujusmodi non nisi domesticis optimè meritis magno favoris Cæsarei & Regii argumento conceduntur, quæ virtutis existimationisq; tuæ honestissimæ testimonia sunt & erunt longè luculentissima.*

Adhæc non postremum gratiæ cælestis in te exstat documentum, quòd anno Christi 1514. mensis Aprilis die primo, qui dies Palmarum eo anno erat, in hanc lucem editus, annum jam ætatis nonagesimum tertium agis, eâ adhuc animi & corporis firmitate, ut memoriæ vigore, judicii acrimonia, praxeos Medicæ dexteritate, senii honorabilis dignitate, divinæ benedictionis sis exemplum.

Ista,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0018
DFG

DEDICATIO.

Ista, ut alia silentio præteream, me impulerunt, ut tertiam hanc Syllogæ Thesium Theologicarum partem nomini tuo consecrarem: quam ut à me accipias benevolo animo etiam atque etiam oro.

DEUS & Pater Domini nostri Jesu Christi te in provecta ista ætate & animi corporisq; robore benignissimè servet suæ in primis gloriæ & bonis, mihi verò hunc animum tuum benevolum, quem erga me geris. Perscriptum Basileæ, die nono Januarii, Anno à Deo in carne manifestato 1607.

Psal. 70. 5.

יִגְדַּל אֱלֹהִים

MAGNIFICETUR
DEUS.

AMEN.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0019
DFG

LYRICUM

AD REVERENDUM ET CLARISSIMUM VIRUM,

D. AMANDUM POLANUM

A' Polansdorf,

Sacro sanctæ Theologiæ Doctorem & Professorem celeberrimum,

Dominum & Præceptorem meum colendissimum,

Cùm tertiam Thesium partem ederet.

O FAUSTA nostri sidera seculi,
Prudentioris præsidium chori
Amande, queis sereniore
Luce jubar, miserante Christo,
Genti misellæ lucet Euangeli,
Nubesq; claro Romulei chaos
Infestæ Olympo evanuere,
Et stygias petiere noctes.
Nunc æviterni nosse datum Dei,
Favente divæ numine gratiæ,
Mysterium, nunc gratulante
Ingeminare licet canore
Laudes Jehovæ. sive libet tholos
Adire templi, sive Academiæ
Dulces recessus, erudiri
Æthereis animos loquelis
Dices beatus. non tibi imagines
Libros Papanæ vana Comœdiæ
Idola, non Missæ nefandum
Gesticulantis opus superbâ
Exosculandum porrigimus manu.
Heu Roma Christo posthabito Numam

Usque

Usque æmularis, docta solem
Cimmeriis fugere abdita umbris.
Illa ipsa celsis sideribus polos,
Solumq́; vasto qui posuit salo
Volumina æterni Jehovæ
Ingeniis meliore fato
Scrutanda prostant. his cadit ocribus
Fons ille priscis Vatibus inclitus
Illincis Hippocrene, & ille
Floruit hoc Helicon daphnone.
Nunc hos libido scandere vertices,
Pulchroque tandem degere Mænalo,
Quo cælicæ sedi propinqui
Despicimus malesana vulgi
Ausa inquieti. vera tuo hoc viret
Amande luco laurea vertici,
Sparsura sublimes honores,
Ingeniique decus peremne.
Volvis revolvis assidua manu
Sacras papiros, salvifica fide,
Et orthodoxa comprobata
Relligione carus, tetrasq́;
Ictu secundo dejicis hæreses.
O nos beatos queis calamo bonus,
Vivoq́; sermonis fluore,
Consilio auspicioq́; amico
Prodesse pergis. ille tui ingenI
Felix peremnet spiritus entheus,
Ecclesiæq́; olim subacto
Hoste tuas memorabo lauros.

Debitæ observantiæ igitur
I. Iacobus Grasserus.
∞ Iↄ CVII. IIII. Id. Ian.

)( )(

Index Prior

Continens locos communes Theologicos qui in hac Tertia Sylloges parte tractantur.

1. *Thesium Analyticarum quibus Epistola Pauli ad Colossenses explicatur partes quatuordecim.* 1.30.47.62. 74.103.142.158.182.196.227.249.273.305.
2. *De libero Hominis Arbitrio Theses Samuelis ad Portum Bernenses* 336
3. *De perseverantia Sanctorum & Electorum in fide Theses Davidis Wirtzii Bernenses* 349
4. *De certa Electionis Suæ & fratrum ac sororum in Christo fiducia, qua omnes renati per gratiam Spiritus sancti excellunt* 367
5. *De communione Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi in Sacra Cœna* 374
6. *De Antichristo Theses Iosephi Durandi Delphinatis* 379
7. *De æterna Dei Prædestinatione Theses Hermanni Weselii Emdani Frisii* 392
8. *Theses de Ecclesia Iacobi Wolphagii Poloni* 405
9. *Analysis logica Catechismi Basilienses Thesibus perspicuis à M. Cyrillo Oesio Basilienses illustrata* 434
10. *De Sanctorum demortuorum invocatione Thes. M. Iohannis Musonii Poloni* 464
11. *Dogmatis de Reali communicatione Divinarum proprietatum in humana natura Christi* Ἀνασκευὴ *Theologica M. Joannis Justæ Engadino-Rhæti* 476
12. *De libertate Christiana Theses M. Johannis Stellæ Mülhusini* 488
13. *De discrimine librorum Canonicorum & Apocryphorum Theses M. Johannis Steckii Basilienses* 506
14. *De Mediatore M. Haloini Gothofredi Ultrajectini Belgæ* 548
15. *De interpretatione Scripturæ Sacræ Theses Joannis Rustii Bernenses* 555

16. De

16. De libero Arbitrio Theſes Andreæ Knuthii Veſalii 569.658.
17. De Juſtitia operante Theſes M.Haloini Gothofredi Ultrajectini Belgæ 577
18. De Regeneratione hominis Theſes M.Petri Chriſtiani Mulhuſini 586
19. De Eccleſia Catholica Theſes Joannis Arnoldi Lugduno-batavi 605
20. Theorema theologicum Conſubſtãtiationis & Tranſubſtantiationis dogma iiſdem argumẽtis everti & refelli, à M. Haloino Gothofredo Ultrajectino Belga, pro ſolenni Doctoratus teſtimonio conſequendo propoſitum 620.
21. De Jeſu Chriſto Theſes Abrahami Mellini Fliſſingano-zelandi 626
23. De Peccato Theſes Jacobi ad Portum Bernenſis 669
24. De ſignis ſeu notis infallibilib. ex quibus unuſquiſq; cognoſcere poteſt, an ſit germanum verè Catholicæ Eccleſiæ Dei membrum 702
25. Theſes complectentes ſummam doctrinæ de Libero arbitrio hominis corrupti & renati 730

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0023
DFG

INDEX POSTERIOR

Continens loca Scripturæ in his Thesibus declarata vel à depravationibus vindicata.

	Cap.	Vers.	Pagin.
Genes.	2.	18.	251.
	3.	7.	238.
		15.	632.
	13	26.	721.
	20.	16.	261.
	24.	64,65.	251.
		67.	258
	37.	3,4.	270
Exod.	3.	8.	721.
	20.	17.	254.
	21.	15,17.	262.
Levit.	20.	9.	267.
Deuter.	10.	16.	155.
	21.	18.	267.
	32.	9.	36.
Josu.	9.	19.	722.
Ruth.	1.	8.	251.
	3.	9	260.
1. *Samuel.*	19.	11.	251.
	20.	36, 37.	253.
	25.	36,37.	253.
2. *Samuel.*	6.	16,20.	253.
1. *Reg.*	3.	11.	233.
	10.	18,19.	721.
2. *Reg.*	18.	28.	194.
Nehem.	8	9.	560.
Esth.	2.	22.	721.
Job.	2.	9.	254.
		10.	261.
Psal.	19	12.	256.

	Cap.	Vers.	Pagin.
	22.	31.	235.
	25.	7.	420.
	26.	5.	410.
	40.	8,9.	53.
	51.	11.	358.
		17.	292.
	54.	5.	298.
	73.	23.	234.
	102.	25,26.	72.
	125.	3.	36.
	132.	11.	560.
Proverb.	5.	7.	254.
	16.	33.	35.
	19.	33.	254.
	23.	22.	266.
	31.	10.	251.
Ecclesiastæ	7.	29.	339.
Jesa.	2.	2.	23.
	49.	14,15.	271.
	59.	1.	59.
	66.	13.	272.
Jerem.	4.	4.	155.
	28.	11.	302.
Ezech.	18.	26.	361.
Dan.	2.	35.	23.
	9.	24.	215.
1. *Machab.*	2.	50.	264.
Matth.	5.	28.	690.
		29,30.	263.
	8.	12.	38.
	10.	16,17.	299.
	11.	25.	136.
		26.	220.
	13.	4.	419.
	15.	17.	188.
	16.	17.	134.
	24.	28.	210.

	Cap.	Vers.	Pagin.
	27.	35.	238.
	28	19.	247.438.
Marci	8.	31.	59.
Luc.	2.	7.	238.
	8.	13.	361.
	9.	22.	59.
	17.	25.	59.
	24.	25.	721.
Joan.	1.	32.	643.
	5.	14.	59.
	8.	24.	216.
	12.	41.	247.
	16.	23.	470.
		32.	643.
Actor.	2.	30.	560.
	10.	11.	170.
		34.	232.
	15.	30.	427.
	16.	2,3.	505.
	20.	28.	73.
	26.	18.	36.
	28.	25,26.	248.
Rom.	1.	17.	580.
	4.	2.	601.
	5.	19.	54.469.
	6.	6.	155.
	7.	4.	217.
		15,16.	364.
	8.	9.	438.
		34.	469.
	9.	4,5.	313.
	10.	8.	564.
		12.	14.
	11.	3.	417.
	16.	25.	292.
1. Corinth.	2.	7.	180.
	3.	11.	107.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0026
DFG

	Cap.	Vers.	Pagin.
	5.	23.	58.
	6.	19,20.	58.
	9.	27.	362.
	11.	8.	410.
	14.	34.	251.
	15.	13.	188.
		47,48.	229.
2. Corinth.	3.	18.	40.
	4.	10, 11, 12.	223.
	6.	2.	122.
	10.	7.	491.
Galat.	3.	1.	721.
	4.	3.	148.
	5.	4.	362.
Ephes.	1.	11.	59.
		22.	79.
		23.	117.
	4.	10,11.	6.
		18.	96.
		29.	301.
	5.	5.	231.
		12.	39.
		24.	80.
Philip.	2.	8.	93.
	3.	20.	204.
	4.	6.	290.
Coloss.	1.	12,13.	32.
2. Thessal.	2.	7.	381.
1. Thimoth.	2.	5.	386.
	3.	6.	150.
	6.	20.	146.
2. Thimoth.	2.	19.	95.
	3.	15.	558.
Tit.	1.	1,2.	109.
	2.	9.	276.
		10.	279.
Philem.	2.	12.	597.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0027
DFG

INDEX

	Cap.	Vers.	Pagin.
Hebr.	1.	3.	67.
	2.	14.	167.
		21.	55.
	3.	13.	122.
	9.	12.	57.
	10.	26.	363.
		29.	697.
	12.	22.	86. 93.
1. Petri	3.	3.	237.
		8.	39.
	5.	3.	36.
1. Johan.	1.	3.	132.
		7.	58.
	3.	1.	224.
		15.	690.
	4.	5.	381.
Apoc.	1.	4.	14.
		5.	58. 84.
	12.	6.	419.
	13.	8.	55.
	14.	3, 4.	60.
	15.	4.	337.
	20.	5, 6.	85.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0028
DFG

THESIUM ANALYTICARUM
QVIBUS
PAVLI APOSTOLI AD
COLOSSENSES EPI-
STOLA
EXPLICATVR
PARS PRIMA
Exordium Epistolæ complectens
De qua
In publica συζητήσει ad diem 16.
mensis Aprilis.
DOMINO IESV BENEDICENTE
AMANDO POLANO
A POLANSDORF
Præside
respondit
IACOBVS GOVLARTIVS
GENEVENSIS.

Anno CIↃ IↃCI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0029
DFG

FIDO IESV CHRISTI
SERVO,

Theologo eximio

D. SIMONI GOVLARTIO
Ecclesiæ Genevensis Pastori
vigilantissimo

AMANDVS POLANVS
A' POLANSDORF
S. P. D.

HActenus in Thesibus Theologicis locos communes, quos vocant, tractare solitus sum, & quæ ad eandem quæstionem pertinebant, coniunctim complecti. Hanc rationem secutus sum in Thesibus de arcano æternæ Prædestinationis, in quibus in primis de causa efficiente Electionis & Reprobationis diligenter optima fide agendum iudicavi. Verùm non potui effugere vitiligatorum & hominum quorundam ἀτόπων putidas calumnias. Nam cùm ex Euangelio IESU CHRISTI ostenderim, decretum electionis æternæ esse distinguendum à salute nostra æterna ut causam ab effecto: & media ad illam salutem æternam nos perducentia, inter quæ sunt fides in Christum & meritum ejus, causas efficientes esse salutis æternæ, non autem decreti electionis; reperti sunt nonnulli qui, ex infirmitate ἢ ex inscitia cum maligno animo coniunctâ ausi sunt affirmare, me docuisse, nos fide in Christum non servari, item meritum Christi non esse causam salutis nostræ æternæ. Sed gratias ago Deo meo qui me dignatur paulatim conformem efficere imagini Filii

Filii sui DOMINI *nostri* IESU CHRISTI *tolerantiâ calumniarum ob veritatem cælestem: mihique persuadeo, Christianum esse malè audire, cùm rectè credas & doceas beneque facias.* NUNC *verò aliud genus Thesium propono, Analyticarum nempe, quibus & verum genuinumq; sensum, atque rectum Epistolæ Pauli ad Colossenses usum monstratis quasi digito locis communibus, declarare studio habeo:* DOMINUMQUE *supplex precor, ut pro sua gratia largiatur, quò continuare possim. Primam earum partem, de quâ filium tuum, vir reverendè & frater summè observande, mihi multis nominibus charissimum interrogantibus respondere volui, tibi inscribere visum, ut conjunctionis nostræ symbolum aliquod exstaret.* DOMINUM IESUM, *cujus meritum per fidem vivam apprehensum certissimam æternæ nostræ salutis causam esse credo & profiteor, humillimè toto pectore oro, ut vitæ functioniq; tuæ sanctæ clementer benedicat. Perscriptum Basileæ die 7. Aprilis Anno primo seculi à Christo nato decimiseptimi.*

THESIVM ANALYTICARVM

De Pauli Apostoli ad Colossenses Epistola

PARS PRIMA

Exordium Epistolæ complectens.

ERT animus, Deo Trinuno benignissimo juvante benedicente, ad ipsius gloriam & nostram institutionem de Epistola Pauli ad Colossenses thesibus Analyticis agere hoc ordine,

ut principiò propositum seu scopum Apostoli universè indicemus: deinde Epistolam in partes dividamus: tum partes singillatim explanemus: hac prima disputatione exordium breviter & perspicuè exposituri.

2. Propositum seu scopus Pauli Apostoli in Epistola ad Colossenses est, ut doceat, omnes salutis nostræ partes in solo Christo sitas esse, ne quid quæratur extra eum in pseudophilosophicis argutiis, Iudaicis ritibus, & ἐθελοθρησκείαις seu cultibus humana voluntate introductis: ut Christo per fidem insiti veris pietatis studeamus officiis, tum communiter universi in mortificatione veteris hominis & vitæ novitate, tum peculiariter quilibet pro ratione vocationis in sui muneris functione, cum mutuæ charitatis & salutis aliorũ studio.

3. Partes verò Epistolæ hujus *tres* sunt: *Exordium, Tractatio principalis & Epilogus. Exordium* continet *Titulum Epistolæ* & *testificationem amoris* in Colossenses à principio primi capitis ad versum usque 12. Tractationis principalis duæ sunt partes: *Prior*, est explicatio fidei Christianæ: eaque duplex, διδασκαλικὴ καὶ ἐλεγκτικὴ, quarum *illa* reliquo capite primo instruit fideles de specialibus Dei Patris in ipsos beneficiis, de Christi persona & officio, de arcano vocationis Gentium, de cruce Ministrorum Ecclesiæ, ac eorundem constantiâ & officio: *hæc*, toto capite secundo præmunit adversus Christianismi corruptelas, nimirum curiosas specu-

speculationes pseudophilosophicas: judaismi reliquias in observatione circumcisionis, abstinentiæ certorum ciborum, discriminis dierum: & superstitiosas traditiones humanas, in præpostero cultu Angelorum & quibusdam externis exercitiis. *Posterior* autem tertio cap. toto & primis sex versibus quarti complectitur *exhortationes* ad officia vitæ Christianæ tũ *universales*, tum *particulares*: quarum *illæ* ad universos omnium ordinum Christianos communiter & ex æquo pertinent à cap. tertio usque ad v. 18. & quarto à v. 2. usq; ad 7. *Hæ* verò particulariter ad certos status seu ordines, à v. 18. cap. tertii usq; ad v. 2. cap. quarti.

Epilogus continet res familiares à v. 7. capitis 4. usque ad finem. Ista est brevis & perspicua partitio hujus epistolę: nunc singulas partes ordine videamus.

4. Primam dixi esse *Exordium* continens Titulum epistolæ & testificationem amoris in Colossenses. Titulus in primis duobus versibus ita habet:

I. Paulus Apostolus Iesu Christi per Dei voluntatem, & Timotheus frater.

II. Iis qui sunt Colossis, sanctis ac fidelibus fratribus in Christo Iesu. Gratia sit vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.

Tituli istius *tria* sunt membra: ὑπογραφὴ, ἐπιγραφὴ καὶ ἀσπασμὸς, subscriptio, inscriptio & salutatio.

5. Ὑπογραφὴ subscriptio, ostendit causam administram, quâ Spiritus Sanctus autor αὐθεντης ac primarius in exaranda hac epistola est usus: ea est Paulus.

6. Describitur autem ab adjuncto, nimirum quòd sit *Apostolus Jesu Christi*, hoc est, legatus & Doctor Ecclesiæ, immediatè ab ipso Christo edoctus per revelationem, & missus ad Euangelium de Messia exhibito ubiq; in universo orbe terrarum prædicandum, & ad ponendum Ecclesiæ fundamentum, habens à Deo hoc testimonium, quòd in doctrina non errarit.

7. Usus hujus descriptionis sequentibus thesibus comprehenditur:

I. Apostoli, peculiari nomine sic in Ecclesia dicti, sunt Apostoli Jesu Christi, penes quem solum autoritas est illos designandi & mittendi: sicut etiam Ephes. 4. vers. 10. & 11. dicitur: *Qui descenderat, ipse est qui etiam adscendit longè supra omnes cælos, ut impleret omnia. Is igitur dedit alios quidem Apostolos, alios verò prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores.*

II. Antichristus est, quicunque sine autoritate Christi, Apostoli functionem & nomen sibi arrogat: ut facit Rom. Pontifex. 2. Cor. 10. *non enim qui seipsum commendat ille probatus est: sed quem Deus commendat.*

III. Unúquemq; nostrûm decet suæ vocationis & conditionis memorem esse, ut opus sibi

sibi cōmissum faciat fideliter: exemplo Pauli, qui nō jactantiæ causâ in subscriptione sibi Apostoli nomen usurpavit, sed sui ad officiū Apostolicum faciendum excitandi gratiâ: ut videlicet Christum apud omnes prædicaret.

IV. Quilibet de sua vocatione sive ad fidē, sive ad functionem aliquam certus esto, tum ut sedulus sit in officio, tum ut adversus calumnias & tentationes ob difficultates officii sit præmunitus.

V. Pauli hæc epistola summâ reverētiâ est accipienda, audienda, legenda, expendenda, juxta eàm fides & vita dirigenda: quia Paulus est Jesu Christi Apostolus, quem Paulum qui audit & recipit, Christum audit & recipit: qui verò eundem spernit, Christum spernit.

8. Descriptioni adjungitur causa efficiens διὰ θελήματος, per quam Paulus fuit Apostolus cōstitutus: ea est, voluntas Dei; sic enim dicitur: *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei*, hoc est, non per humanum arbitrium vel consensum, neq; humanis artibus & fraudibus, nec voluntatibus & studiis factiosorum hominum in Apostolorum numerum relatus: nec propria voluntate Apostolatum appetens, cujus hostis erat, & nihil minus quàm Apostolus Christi esse cogitabat, Damascum proficiscens: nec proprio motu & sua sponte currens: sed sola voluntate Dei, omnia ac maximè Ecclesiam suâ providentiâ gubernātis, ad Apostolatum segregatus.

9. Hujus loci documenta sunt:

I. Apostoli non cucurrerunt suâ sponte, nec per se Apostolatum appetiverunt: sed per voluntatem Dei Apostoli sunt constituti. Proinde magna est ipsorum autoritas, & præ aliis Ecclesiæ ministris prærogativa.

II. Voluntati divinæ nemo valet resistere: sed ea flectit etiam hostes & refractarios, & ad munera ipsis designata ducit, ut factum in Paulo.

III. Qui per voluntatẽ Dei, functionem aliquam sacram suscipiunt, virtute Spiritus S. amplos fructus afferunt & optatos successus experiuntur.

IV. Divina vis & efficacia in illis demũ sese conspicienda præbet, qui per voluntatem Dei functiones suas sunt consecuti. Proinde mirum non est, eorum munera infrugifera & efficaciæ expertia esse, qui tantùm humanis voluntatibus & fraudibus vel Simoniacis artibus ad munera sunt evecti.

V. Nemo mortalium munus docẽdi in Ecclesia sibi põstulare debet, nisi Domini mandato in hoc sit constitutus. Nam & Paulus tantus Christi minister, autoritatem sibi arrogare non ausus fuit, ut in Ecclesia audiretur, nisi quia Patris cælestis voluntate ad hoc esset designatus.

10. Porrò Paulus adjungit sibi *Timotheum*, eõmendans eum ab *adjuncto*, dum appellat fratrem, hoc est, eâdem communi fide cæteris creden-

credentibus conjunctum, eundem cum ipsis habentem Patrem, eundem cohæredem Christum.

11. Habent hîc & ministri Ecclesiæ & auditores eorum, quæ observent, documenta:

I. Unumquemq; Christi ministrum decet, collegas suos in opere Domini, quamvis donis & gradu inferiores, fratrum loco habere, amare, honore debito afficere, juxta se loco aliquo & numero esse sinere, agnoscere pro cooperariis & symmartyrib⁹ Christi Jesu, eorum apud alios honestam & laudabilem mentionem facere, eosq; dignè commendare: exemplo Pauli, qui talem se erga Timotheum exhibuit.

II. Auditorum quoque est, non aspernari inferioris gradus ministros, sed debito eos in honore habere, illorumq; fidis admonitionibus parêre. Si enim Timotheum Apostolus ipse magnifecit, multò magis auditores ejus magnificare debuerunt.

12. Ita explicata est subscriptio: sequitur *inscriptio* ostendens tum *subjectum* seu finem ᾧ, id est, quibus sit inscripta, nimirum, *sanctis ac fidelibus fratribus in Christo Jesu*: tum *subjectum* ἐν ᾧ, id est, ubi fratres illi habitaverint. Inscripta est Sanctis ac fidelibus fratribus in Christo Jesu, hoc est, Christianis κυριολέκτως ita appellatis, qui *Sancti* dicuntur, quia in Christo & per eum à mundo sunt separati & sanctis usibus destinati, Christo donati & inserti per Spi

ritum Sanctum, impollutis & inculpatis moribus præditi: Epheſ. 5. *Fideles* nuncupantur, quia fide in Chriſtum ſunt donati, ejusq; efficaciam per charitatem declarant.

Fratres deniq; indigitantur, quia eundem habent patrem Deum: eundem fratrem Chriſtum: eandem matrem Eccleſiam: eandem communionem, dum hîc in terris verſantur: eandem communem cum aliis fidelibus hæreditatem in cælis. *urbs* autem in qua fratres iſti habitarunt, vocatur *Coloſſæ*, quæ ſita eſt in Phrygia, non procul Hierapoli & Laodicea, quâ parte imminet Lyciæ & Pamphiliæ.

Errat Cyrus quidam Prodromus, qui hanc Epiſtolam ad Rhodios ſcriptam putavit, quaſi à Coloſſo illo celebri dicti ſint Coloſſenſes.

13. Ex hac ſubſcriptione notanda hæc axiomata:

I. Epiſtola iſta ad nos etiam, in quos fines ſeculorum inciderunt, pertinet: noſtrisq; uſibus inſervire debet: ſi modò Sancti ac fideles fratres in Chriſto Jeſu ſumus, aut eſſe cupimus.

II. Chriſtiani propriè ſic dicti ſunt Sancti ac fideles fratres in Chriſto Jeſu: quibus encomiis tum excitari debent ad Sanctitatis ſtudium, ad fidei & fraternæ charitatis declarationem: tum confirmari, tanquam materiâ ſolidi ſolatii, adverſus tentationes de magna infirmitate cuique, dum adhuc eſt in via, inhærente.

III. Iidem

III. Iidem sanctificati sunt solùm in Christo Jesu.

IV. Urbium præcipuum munimentum, precioſiſſimum monile & ſummum ornamẽtum, quo in primis gaudere & de quo ſibi gratulari debẽt, eſt cœtus ſanctorum & fidelium fratrum in Chriſto Jeſu: propter quem Deus ſæpè totis civitatibus parcit. Gen. 18.

V. Contrà civitatum eſt dedecus, detrimentum & pernicies, ſi fidelium cœtus in illis locum habeat nullum: quemadmodum de Jeroſolymis Jeſaias queritur cap. 1.

VI Chriſtiani [*ut præclarè Juſtinus Martyr in Epiſt. ad Diognetum ſcripſit*] neque regione, neque ſermone, neq; politicis vitæ inſtitutis à cæteris hominibus ſunt diſtincti. Nam neque proprias civitates incolunt, neq; ſermone utuntur qui ab aliorum ſermone differat, neq; vitæ genus habent quod re aliqua ſibi peculiari ſit notabile: neq; aliquid à curioſis hominibus excogitatum proponunt ſibi diſcendum: neq; alicui dogmati humano patrocinantur, ſicut nonnulli: ſed incolentes partim Græcas, partim barbaras civitates, prout cujusq; ſors tulit, & indigenarũ inſtituta ſequentes, in veſtitu victuq;, & cæteris quæ ad vitam pertinent, mirabilem & haud dubiè incredibilem ſuæ politiæ ſtatum oculis noſtris proponunt. Patrias proprias habitant: ſed tanquam inquilini. Omnia cum aliis communia habent, tanquam cives: & omnia patiuntur,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0039
DFG

tanquam peregrini. Omnis peregrina regio, patria est eorum, & omnis patria est peregrina. *Et paulò post.* Quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo Christiani. Dispersa est per omnia corporis membra anima: & Christiani per mundi civitates dispersi sunt. Habitat quidem in corpore anima, sed non est è corpore: sic & Christiani in mundo habitant, sed è mundo non sunt. Invisibilis anima in visibili corpore, tanquam in præsidio constituta est: Sic & Christiani cognoscuntur, dum in mundo commorantur: sed invisibilis est eorum cultus divinus. *Et paulò post.* Inclusa quidem est anima in corpore, sed ipsa corpus conservat: sic & Christiani detinentur quidem in mundo, tanquam in custodia, sed ipsi mundum conservant.

14. Sic declarata est inscriptio Epistolæ: sequitur jam tertium membrum, nimirum *Salutatio. Gratia sit vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo.* Hac salutatione precatur Paulus Christianis maxima & necessaria bona: cõtinetq; salutatio duo membra. 1. quæ bona precetur. 2. à quo.

Bona quæ optat sunt *Gratia & Pax. Gratia* hoc loco est gratuitus favor, quo nos Deus complectitur, horrendam & intolerabilem iram adversus peccata deponens & nostri miserens. *Pax* autem est omnis prosperitas & tranquillitas animi corporisq;, in hac & futura vita: quam pacem etiam cælestes spiritus Angeli

Angeli nobis optant Luc. 2. 14. *Gloria in excelsis Deo & in terra pax, in homines benevolentia.*

15. Hinc istæ promanant nutheſiæ.

I. Ut ſancta benedictio, cujus formula exſtat Num. 6. eſt invocatio Dei, à quo omnia bona iis exoptantur, quibus benedictio confertur: ita etiam Chriſtiana ſalutatio eſt precatio, eſt ſpecies invocationis, quâ ex fide per charitatem efficace aliis optima quæque precamur.

II. Eadem eſt conſociationis adminiculum, charitatisque indicium.

III. Et præcipuè tum Sanctis Eccleſiis, tum piis familiis, tum ſingulis fidelibus fieri debet.

IV. Proinde non parvi ęſtimanda, nec negligenda, nec ludibriosè facienda.

V. Nec contemptim repudianda, ſed grato animo accipienda.

VI. Quæ nobis ipſi optamus vel ab aliis optari vellemus: eadem aliis piis nos precari par eſt, juxta illud: *Quod tibi vis fieri: alteri feceris: & quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

VII. Contra mundi malam gratiam & inimicitias ſolatio eſſe piis debet gratia & pax Dei.

IIX. Utile & neceſſarium nobis interdū eſt, odium & malam gratiam atque inimicitias mundi experiri, ut tantò vehemētiùs expetere gratiam & pacem Dei, eamque gratiæ & paci hujus mundi anteponere diſcamus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0041
DFG

16. Hoc primum salutationis membrum: secundum est, à quo bona illa precetur, nimirum *à Deo Patre & Domino Jesu Christo. A Deo Patre* quidem, quia ejus ira nisi sit pacata, est hominis exitium: & ejusdem reconciliati gratia est hominis salus: & quia dives est in omnes qui ipsum invocant. Rom. 10. v. 12. *A Domino Jesu Christo:* quia & Mediator est ille unicus, qui pro nobis intercedit, & omnia impetrare potest, quæ in ipsius nomine petimus: & quia dator est eorundem bonorum cum Patre.

17. Inde colligimus hæc axiomata.

I. Non ab ulla creatura, sed à solo Deo Patre & Domino Jesu Christo, à quibus non separamus Spiritum Sanctum, omnia nobis necessaria bona sunt petenda. Si quis interpellet, Spiritus Sancti nullam hîc fieri à Paulo mentionem, ei respondeo: non minùs Spiritui Sancto invocationem religiosam deberi, atq; Patri & Filio. 1. Quia mandatum est Dei: *Dominum Deum tuum adorabis & illum solum coles.* At Spiritus Sanctus Deus est. 2. Quia exempla sanctorum Dei habemus qui Spiritum Sanctum invocarunt: ut Johannes Apoc. 1. v. 4. *Gratia sit vobis & pax ab eo qui est & qui erat, & qui venturus est: & à Septem Spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt:* hoc est, à Spiritu Sancto. Per hos enim Septem Spiritus non debent intelligi Spiritus creati: quia sunt *oculi & cornua Agni:* Apoc. 5. 6. Ergo ejusdem essentiæ cum Agno, ac proinde increati: Quòd si increati,

creati, Ergo sunt Spiritus Sanctus. Cum hac explicatione consentit sententia Justini Martyris, qui in Paræneſi ad Græcos sic ait: οἱ ἱεροὶ προφῆται τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα εἰς ἑπτὰ πνεύματα μεμερίσθαι φασίν: *Sancti Prophetæ unum & eundem Spiritum in Septem Spiritus dividi dicunt.* Hinc liquet, Spiritum Sanctum ab Apoſtolo Johanne fuiſſe invocatum. Factitatum idem ab Eccleſia Apoſtolicam conſecuta, ut idem Juſtinus Martyr in Apologia pro Chriſtianis ſecunda ad M. Antoninum Pium teſtatur πνεῦμα τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν, λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες, hoc eſt, *Spiritum & Prophetícum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes.* Evidens eſt igitur, omnia bona, quibus egemus, petenda eſſe à Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto.

II. Filius Dei eſt par & æqualis Patri ut honore, cultu & gloriâ, ita eſſentiâ: nam alioqui Apoſtolus non tribueret unam eandemque gloriam Patri & Filio, niſi ejuſdem eſſent eſſentiæ: cùm Deus alteri & diſtinctæ à ſe eſſentiæ ſuam nequaquam det gloriam.

III. Chriſto non tantùm interceſſore, ſed etiam datore divina beneficia nobis contingunt: quia Apoſtolus eadem à Filio precatur beneficia quæ à Patre: Ita ut non modo illius interceſſione ad nos perveniant, quæ largitur cæleſtis Pater, ſed potentiæ communione Filius ipſe ſit autor.

18. Hactenus explicata eſt *prima* Exordii

pars, nimirum Titulus Epistolæ: sequitur *altera*, v. 3.

Gratias agimus Deo & Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes.

Altera ergo *Exordii pars* est testificatio amoris in Colossenses, quâ ostendit Paulus suum in eos propensum affectum tum *Gratiarum actione*, tum *precatione pro ipsis ad Deum*. utramq; versu hoc tertio *generaliter* proponit, deinde sequêtibus adhibitâ ἐξαιρέσει *specialiter* exponit. In generali propositione Gratiarum actionis operæprecium est considerare duo: unum, *subjectum* ὑφ' ὃ, de quo gratias agat: alterum, *subjectum* ᾧ, cui gratias agat. Si illud spectes, gratias agit de Colossensibus seu de beneficiis in Colossenses collatis.

19. Unde sequentia consectaria notanda.

I. Non tantùm de nobis ipsis, verùm etiam de aliis Deo gratias nos agere debere, exemplo Pauli.

II. Si de aliis gratias nos decet agere, multò magis de beneficiis nobis clementissimè tributis.

III. Peccare qui aliis bona à Deo concessa invident, cùm contrà gratias agere deberent: multò magis qui ita socordes sunt ut bonorum sibi divinitus collatorum obliviscantur, ac ne semel quidem in mentem ipsis veniat, gratum erga Deum animum testari.

20. Sub-

20. Subjectum ᾧ, cui gratias agit, est Deus. Nomen *Dei* hoc loco relativè seu ὑποστατικῶς usurpatur, de hypostasi seu persona prima Sacrosanctæ Triados, nimirum de Patre: quod sequêtia verba ostendunt, *& Patri Domini nostri Jesu Christi.* Ita ut conjunctio ΚΑΙ sit hoc loco particula ἀποφάνσεως seu ἐξηγητικὴ, quasi dicat, *Deo, id est,* Patri Domini nostri Jesu Christi. Pater enim Deus dicitur καθ' ὑπεροχὴν, non quâ Pater absolutè consideratur, sed 1. propter ordinem, quia prima est Deitatis persona, quæ ex se genuit Filium, ut fons ac principium Deitatis, idq; ut notetur simplex essentiæ diuinæ unitas, quæ concipi nequit, nisi à Patre fiat initium. secundò propter gradum, quia Deus est Mediatoris. Nec verò Ariani sive veteres sive recentes rectè ex hoc Pauli loco colligunt, nomen Dei soli Patri propriè & absolutè competere. Nam relativè accipi certum est, quia Patri expressè adjungitur mentio Domini nostri Jesu Christi.

21. Jam consectaria addo:

I. In gratiarum actione & precatione religiosa atq; adeò in tota fidei in Deum ratione, non potest aliter à nobis considerari Deus in salutem, nisi quatenus est Pater Domini nostri Jesu Christi, in quo & sumus in filios adoptati.

II. Ut invocatio, ita etiam gratiarum actio nostra grata est Deo Patri propter Mediatorem Christum.

III. Non est in hominibus, donis aliquibus ornatis, subsistendum, sed animus ad donorum autorem convertendus, quod fecit Paulus.

22. In generali propositione precationis Pauli pro Colossensibus duo etiam notanda, *adjunctum tempus* & *subjectum* περὶ ὑ. *Adjunctum tempus*, hoc est, quando oraverit, indicatur particula πάντοτε *semper, hoc est*, singulis diebus, quotiescunq; precandi occasio dabatur. Unde instruimur quo fervore, quamq; indefatigabili studio precandi præditos nos esse oporteat: ut tepidos aut etiam frigidos esse necesse sit, qui de invocandi Dei assiduitate remittunt. Omni tempore orandum est exemplo hoc Pauli.

23. Subjectum περὶ ὑ. sunt Colossenses: pro his enim dicit se orare, hoc est, ipsis omnia necessaria bona à Deo postulare, illorum salutem Deo commendare. Hoc autem non ita accipiendum, ac si Paulus gloriæ unius Mediatoris Christi quicquam detraheret, dum se pro Colossensibus orare profitetur. Nam ut vivi pro vivis sanctis preces concipiát, à Deo jubentur: has autem intercessiones non faciunt nisi in nomine Christi, ad cujus intercessionem Deo Patri penitus complacentem suas referunt, tantùm abest ut delibent ex ea quippiam, Christiq; honorem obscurent.

24. Hinc erudimur, ut non duntaxat pro nobis, verùm etiam ex dilectionis affectu, quo nos

nos mutuò complecti debemus, ceu unius mystici corporis membra, pro aliis Deũ comprecemur, sed pro vivis aliis, non pro defunctis, quemadmodum nec Paulus pro mortuis Colossensibus, sed pro viventibus oravit.

25. Huic generali propositioni gratiarum actionis & precationis pro Colossensib. subjicit Apostolus utriusq; ἐργασίαν & expositionem specialem.

Gratiarum actionis ἐργασία continetur v. 4. 5. 6. 7. 8.

4. *Audita fide vestra in Christo Jesu & Charitate in omnes sanctos:*

5. *Propter spem sepositam vobis in cœlis: quam priùs audistis per sermonem veritatis,* id est, *Euangelij,*

6. *Quod pervenit ad vos sicut & in totum mundum, & fructum profert, sicut apud vos quoq;: ex quo die verè audivistis & cognovistis Dei gratiam.*

7. *Sicut & didicistis ex Epaphra dilecto conservo nostro, qui est fidus pro vobis minister Christi:*

8. *Qui & declaravit nobis vestram per Spiritum charitatem.*

Expositio hæc gratiarum actionis continet primùm causam quâ Apostolus fuit impulsus ad gratias agendas Deo pro Colossen.

sibus : causa illa erat præclara fama de fide ipsorum in Christo Jesu & charitate in omnes sanctos.

26. Unde colligimus:

I. Qua ex re omnium pulcherrimam sibi famam & gloriam Christiani comparare possint, nimirum non ex opum terrenarum coacervatione, non ex mundi hujus institutis & rebus, sed ex fide in Christo Jesu & charitate in omnes sanctos.

II. Dona divinitus in alios fideles collata incitamentũ nobis esse debere & amoris erga illos & curæ pro ipsorum salute.

III. Fidei salvificæ & justificantis subjectum esse Jesum Christum.

IV. Extra Jesum Christum nõ esse fidem, sed opinionem, quod ad salutem quidem attinet.

V. Veræ charitatis subjectum universos quidem homines esse, præcipuè tamen sanctos omnes.

VI. Sanctos esse non solùm Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Martyres, Confessoresq; vitâ hac functos, quorum animæ in cælum sunt translatæ : sed etiam quosvis à Deo Patre in Christo per Spiritum sanctificatos in his terris adhuc viventes.

27. Fidei in Christo Jesu & charitati in omnes Sanctos ait Paulus Colossenses studere *propter ſpem ſepoſitam ipſis in cælis:* intelligens per *ſpem* metonymicè gloriam speratâ quam

descri-

describit ab adjuncto, similitudine illustrato, subjecto duplici & patefactionis ejus instrumento.

28. Si adjunctum similitudine illustratum spectes, est gloria illa quam speramus certissima, ac si thesaurus esset certo loco recōditus.

29. Subjectum ἐν, id est, ii quibus gloriæ illius thesaurus sepositus est, sunt sancti & fideles fratres in Christo.

30. Subjectum οὐρανῷ id est, locus in quo thesaurus ille fidelibus asservatur est cælum.

31. Instrumentum per quod gloriam patefactam audiverunt & cognoverunt Colossenses, est sermo Euangelii.

32. Notanda inde hæc consectaria:

I. Spes glorię æternę quam exspectamus, nequaquam est ociosa, sed alit & sustentat fidem in Christo Jesu, & fovet augetq; charitatem in omnes sanctos.

II. Eaque est certissima; & instar thesauri, qui amitti & eripi nequit, sepositа asservatur.

III. Non quibusvis, sed solis fidelibus & fratribus in Christo Jesu.

IV. Sepositа est autem in cælis, in loco nempe tutissimo. Sic 1. Petr. 1. vers. 4.

V. Cognoscitur per Euangelium: quapropter non est natura nobis nota: Deinde Pseudepiscopi Papani injurii sunt in populum fidelem, quem à cognitione Euangelii ac proinde à spe in cælis sepositа arcent.

33. Deinceps subjicit Apostolus Euange-

lii divinissimam descriptionem à causa efficiente, *subjecto*, *effectis* & *causa administra*. *A causa efficiente*, quum nominat *sermonem illum*. Vnde colligimus,

I. Euangelium de æterna salute non esse naturaliter nobis notum, sed ex singulari gratia divina nobis annunciatum esse.

II. Euangelium à Lege differre: Quia lex naturâ nobis est nota, cum mentibus hominum in creatione insculpta sit, etsi nulla alia patefactio accedat. Rom. 2. vers. 14. 15. *Quum Gentes quæ legem non habent, naturâ quæ legis sunt faciant, isti legem non habentes, sibipsis sunt lex: ut qui ostendant opus Legis scriptum in cordibus suis.*

34. *Secundò* describitur Euangelium *à subjecto*, quum dicitur esse sermo ille *veritatis illius*: κατ' ἐξοχὴν intelligitur veritas peculiaris & eximia quæ supra captum mentis nostræ est; quæ veritas est JESUS CHRISTUS. Joh. 14. v. 6. *Ego sum via illa, & illa veritas & vita illa.* συμπεράσματα. I. Euangelii cognitionẽ, Christi qui veritas est, cognitionem esse.

II. Euãgelii ignorationem, Christi ignorationem esse.

III. Pseudepiscopos Papanos populum Dei à Christo qui veritas est abducere, quia ab Euangelio abducunt.

IV. Euangelium tanto majore fervore esse amplectendum & retinendum, quum sit sermo veritatis.

V. Omnem doctrinam quę cum Euangelio

lio pugnat, esse mendacium: quandoquidem cum veritate pugnat.

35. *Tertiò* describitur Euangelium *ab effectis* tribus; quorum *unum* est, quòd virtute suâ totum mundum pervaserit, sicut Apostolus ait, *Quod pervenit ad vos, sicut & in totum mũdum*, frustrà blasphemis Judæis, idolorum sacerdotibus, Philosophis argutis reclamantibus, frustra tyrannis per edicta, per carceres, per exsilia vel supplicia obsistentibus & progressum Euangelii inhibere nitentibus. Alterum effectum est, quòd fructum proferat longè lateque, multis ad Christum convertendis, ad fidem & obedientiam fidei adducendis: *Et fructum profert, sicut apud vos quoq;*. Tertium effectum est, quod per illud auditur & cognoscitur Dei gratia, quâ nimirũ nos elegit in Christo, vocavit, justificavit & glorificavit. Documenta hinc colliguntur:

I. Euangelium esse potentiam Dei, hoc est, potens instrumentum ad salutem adducendi multos per universum mundum.

II. In eo quod Euangelium pervenit in universum orbem, conspici complementum vaticiniorum Propheticorum de propagatione regni Christi per totum mũdum. Dan. 2.v.35. Jes. 2.v.2.

III. Etsi multitudo credentium non sit veræ Ecclesiæ Dei nota; etsi etiam fides nostra non pendeat à multitudine Christianismum profitentium, ut ideo credamus quia

multi credunt, (nam quamvis pleriq; in toto mundo verę religioni adversarentur, non debet tamen pii hominis vacillare fides) tamen adjuvari infirmitatem nostram & confirmari fidem, quoties perspicit prædicatione Euangelii multos lucrifieri Christo.

IV. Fidem salvificam esse veram gratiæ Dei cognitionem ex Euangelii prædicatione in cordibus audientium natam.

V. Alacri zelo à nobis amplectendum Euangelium, cujus fructum & augmēta regnum Christi per omnes orbis regiones dilatatum locupletissimè testatur: & per quod gratiam Dei audimus & cognoscimus.

36. *Quartò* describitur à *causa administra* his verbis: *Sicut & didicistis ex Epaphra dilecto conservo nostro, qui est fidus pro vobis minister Christi: Qui & declaravit vobis vestram per Spiritum charitatem.* Ita Apostolus confirmat, Euangelium Colossensibus ab Epaphra annunciatum, verè Jesu Christi Euangelium esse, in quo constanter perseverare debeant, cùm illud didicerint ab eo viro cui ipse Apostolus testimonium det, quòd sit dilectus conservus ipsius, quodq; sit fidus pro Colossensibus minister Christi, & Colossenses sincero amore complectatur, quem ostenderit facto ipso quum ipsorum per Spiritum, hoc est, à Spiritu sancto manātem, ac proinde spiritualem charitatem valde prædicavit.

Usum monstrant subjecta consectaria:

I. Euan-

I. Euangelium illud est verè Christi Euangelium, quod à conservis Apostolorum & fidis pro fidelibus ministris Christi annunciatum, Apostolorum ipsorũ testimonio confirmatur, sive viva voce, sive scriptura perhibito.

II. Fidi ministri Ecclesiæ discerni debent à minùs probis: non enim omnes qui se fidos esse jactant, tales sunt, sed quorum doctrina cum Euangelio ab Apostolis prædicato congruit.

III. Quorum aliqua est in Ecclesiis Dei autoritas, ii quos fideliter Christo servire norunt, nequaquam ex invidia deprimere, sed potiùs sua commendatione chariſſimos Ecclesiis reddere debent.

IV. Charitas Christiana cùm sit per Spiritum sanctum, est etiam spiritualis, hoc est, nequaquã ea respicit quæ sunt carnis & mundi, sed quæ sunt Spiritus: & nonnisi eorum est in quibus Spiritus Dei habitat, ac proinde in reprobis & infidelibus non est.

V. Charitas Christiana longè differt ab amicitia carnali.

37. Hactenus gratiarum actionis ἐξομολόγησις & expositio specialis à nobis considerata est: sequitur precationis pro Colossensibus ἐρώτησις & expositio specialis, versu 9. 10. 11.

9. Propterea & nos, ex quo die id audivimus, non desinimus pro vobis orare & petere ut impleamini agnitione voluntа-

tis ejus cum omni sapientia & intelligentia spirituali.

10. Ut incedatis sicut Domino dignum est, cui per omnia placeatis, omnis operis boni fructum proferentes, & crescentes in agnitione Dei.

11. Omni robore corroborati secundùm gloriosum robur ipsius, ad omnem toleranciam & animi lenitatem cum gaudio.

Precatur autem Colossensibus duo: Profectum in vero Christianismo & donum perseverantiæ in eodem.

38. Christianismus consistit in recta cognitione voluntatis Dei, & sancto obsequio secundùm cognitionem illam.

39. Cognitio voluntatis Dei necessariò præcedit obsequii præstationem.

Quòd autem Paulus precatur, ut fideles in cognitione voluntatis Dei impleantur, eo ostendit I. fidelibus dum in hac vita versantur, semper ad plenam cognitionem aliquid deesse, ideo non esse in eodem gradu consistendum, sed oportere ulterius progredi & quotidianis incrementis proficere.

II. Falsam persuasionem adeptæ jam plenæ cognitionis esse fugiendam omnibus, tan quam impedimētum certissimū profectuum. Qui opinantur se jam assecutos esse quicquid in cognitione summum est & scitu necessa-

rium,

rium, ii cum damno suo fastidiunt quicquid pertinebat ad complendum id quod in ipsis cœptum est.

III. Cognitionem voluntatis Dei præferendam esse omnib. humanis speculationibus & commentis.

40. Voluntatis Dei cognitionem ait esse Apostolus in omni sapientia & intelligentia spirituali. Vnde colligitur:

I. Sapientiam veram & salutarem esse quæ in cognitione voluntatis Dei consistit. Qui voluntatem Dei novit, is rectè sapit.

II. Sapientiam Christianam lõgissimè prę-ferẽdam Gentilium placitis, quantumvis corruptæ rationi magis arrideant.

III. Intelligentiam spiritualem, non aliunde quàm à Spiritus sancti operatione proficisci.

IV. Intelligentiam carnalem meram esse vanitatem, utcunque homo animalis de ea sibi gratuletur.

41. Obsequium sanctum, est incedere sicut Domino dignum est, ut ei per omnia placeamus, omnis operis boni fructum proferentes & crescentes in agnitione Dei.

42. Vita hæc est instar viæ, in qua nobis incedendum; ut semper memores simus, nos hìc peregrè abesse à Domino & in patriam tendere.

43. Incedunt sicut Domino dignum est, qui in toto vitæ cursu Dei voluntatem & du-

ctum sequuntur, proprio sensu abdicato, cunctisq; carnis suæ affectibus valere jussis, ut filios Patris cælestis & imitatores Dei decet.

Consectaria sunt: 1. Cultum religiosum nullum legitimum esse, opus bonum nullum esse, nisi secundùm voluntatem & mandatum Dei fiat.

II. Quantumvis summũ studium cultuum & operum à voluntate & mandato Dei aberrantium, nihil esse aliud quàm magnũ cursum extra viã à meta æternæ salutis abducentem.

44. Perseverantiæ in vera fide donum est summè necessarium, ut omni robore corroborati secundùm glorioſum robur Dei, ad omnem tolerantiam & animi lenitatem cum gaudio afflictiones, persecutiones atq; adeo tentationes carnis, Mundi & Satanæ omnes vincamus.

45. Idq; non est à nobis, sed Dei virtute gratis nobis communicatur: ideo illud à Deo Paulus petit. Constans nemo esse potest in fide Christi, nisi gratiosè confortetur à Deo, robore Dei opitulante nostræ infirmitati, & patientiam largiente.

46. Patientia verò minimè extorta ab invitis esse debet, sed quæ ab animo læto & alacri proficiscatur: sic ut in tentationibus gaudium spiritus superare debeat dolorẽ carnis.

47. Unde concludimus: 1. Fidelem nullum suapte virtute stare posse.

II. Constantiam fidei inter varias tentationes

tiones peculiare Dei donũ esse, assiduis precibus impetrandum.

III. Quum constantia fidei glorioso robore Dei firmetur; verè fideles & renati nunquam penitus fidem amittere possunt.

DOMINO JESU CHRISTO
SIT GLORIA AMEN.

PHALEUCUS.

VT ver purpureos refert honores
Campis, dum violæ roseæq; passim
Serpunt graminibus superbiores
Vt tellus segeti novos refingit
Vultus, velleribus recentibusq;
Et sylvæ, & nemorum virent recessus.
Vt mitis Zephyri silescit auris
Ventorum rabies, furorq; cæli
Dispersus jacet æquinoctialis,
Sic nunc, Rauricy decus Lycei
OPOLANE, tuis virent in hortis
Et pulcræ violæ, & rosæ odorantes,
Hyblæis Paphiisq; suaviores,
O ver perpetuum! Nec his Orion
Nec multis Hyas inserena nimbis,
Ignitive nocent canis furores.
His his, ô animæ elegantiores
Fausto sydere nunc sacras sub auras
Evectæ, calathos replete vestros.
Istis ambrosii, latent virores,
Istis & panaces latent liquores,
Istis corycii latent odores.

I. GRASSERUS

THESIUM ANALYTICARUM
DE PAVLI APOSTOLI
AD COLOSSENSES
epistola

PARS SECUNDA

DE QUA

IN CHRISTIANA Disputatione ad diem 14. Novembris

DOMINO JESU DANTE

AMANDO POLANO
à Polansdorff

Præside

Respondit

DAVID PEAGETUS
GENEVENSIS.

Anno cIↃ IↃCI.

ILLU-

ILLUSTRI ET GENEROSO DOMINO

Dn. DIONYSIO LAZCMBOK SLAVVATE L. BARONI A Chlum & Koschmberg, &c.

Amandus Polanus à Polansdorf THEOL. D. Gratiam & pacem à Christo precatur.

Accipe, Illustris & Generose Baro, duorum versuum Apostoli Pauli analysin Logicam & Theologicam, duorum, inquam, versuum brevium verbis, sed copiosorum sententiis, quemadmodum ex parte duntaxat in thesibus hisce monstrare studio habui. Ducunt nos ad cognoscendam veram salutis æternæ nostræ causam, quam etiam hieromartyr Christi JOHANNES HUSSUS *adversus clerum Romanensem Papanum acerrimè defendit & morte sua velut fidus* JESU CHRISTI *testis obsignavit. Quemadmodum autem laudatissimi majores tui fuerunt illius sancti martyris & veritatis, quam profitebatur, patroni, sic ut unus eorum pro illo Constantiæ adversus pseudosynodum omni fide & conatu laborarit, ut illum ex luporum ovinis pellibus indutorum faucibus eriperet: ita tu quoque, Illustris & Generose Baro, majorum sancta vestigia imitatus, veritati perpetuò adhære & veræ Ecclesiæ Christi quam Antichristus ille Romanus Pontifex oppugnat & opprimere conatur. Declara facto ipso & constantia, te gratum esse Patri, qui idoneum te fecit ad participandam sortem sanctorum in luce, qui eripuit te ex potestate tenebrarum ac transtulit in regnum Filii sui dilecti; Sed habes domesticos monitores, verè nobilem & eximium Theologum Dn. Jacobum Covetum cujus hospitio & convictu fruens, &*

virum clarissimum Dn. Johannem Vveidnerum Medicinæ Doctorem quo ephoro uteris; qui tibi hæc & alia subinde suggerunt. Quapropter plura non addo, verùm DOMIMUM JESUM *supplex oro, ut servet te impollutum & integrum spiritu, anima & corpore, usque ad diem illum quo unicuiq; secundùm opera sua est redditurus. Perscriptum Basileæ Calend. Novembr. Anno primo seculi post Christum natum decimiseptimi.*

THESIUM ANALYTICARUM
De Pauli Apostoli ad Colossenses epistola

PARS SECUNDA.

EXORDIUM epistolę proximis Thesibus explicatum est: sequitur tractatio principalis, cujus duas esse partes dictum est: unam de fide, alteram de vita Christiana: Tractationem item de fide esse geminam, διδακλικὴ & ἐλεγκλικὴ. Illa prius explicanda erit: Duabus autem partibus comprehenditur: quarum prima est de *principe causa efficiente* salutis nostræ æternæ, altera de *constantia fidelium* in persecutionibus adversus ipsos ob Euangelii Christi professionem motis.

2. Principalis causa efficiens salutis nostræ æternæ est DEUS Pater, Filius & Spiritus Sanctus. De Patre dicitur vers.

12. *Gratias agentes Patri, qui idoneos nos*

nos fecit ad participandam sortem sanctorum in luce.

13. *Qui eripuit nos ex potestate tenebrarum ac transtulit in regnum Filii sui dilecti.*

3. Quibus verbis cum debita gratiarum actione adscribitur salus nostra æterna Patri cælesti. Hæc Thesium præsentium materia erit. Sententia autem Pauli hoc Syllogismo continetur:

Qui idoneos nos fecit ad participandam sortem sanctorum in luce, qui eripuit nos ex potestate tenebrarum, ac transtulit in Regnum Filii sui dilecti, ei meritò ad gratias agendas in perpetuum obstricti sumus: At Pater cælestis hæc omnia nobis præstitit.

Ergo Patri cælesti meritò ad gratias agendas in perpetuum obstricti sumus.

Conclusio primo loco ab Apostolo ponitur: secundo, assumtio: Propositio veluti omnibus fidelibus per se nota omittitur.

4. Nunc Apostoli vestigiis insistentes, primùm de *gratiarum actione*, deinde de *ejus argumentis* disseremus. *Gratiarum actio erga Deum*, est cultus Dei, cùm ei pro beneficiis ipsius debitam laudem reddimus.

5. Eaq; tribus modis Deo persolvitur; *animo, verbis & factis.*

6. ANIMO; quando tum verè agnoscimus quicquid boni sumus & habemus, totum illud nos esse & habere à Deo Patre, per & pro-

pter CHRISTUM, efficaciâ Spiritus Sancti, pro gratuita Patris, Filii & Spiritus Sancti voluntate æternaq; benevolentia erga nos: tum etiam perpetuam gratiâ ex animo huic nostro Deo habemus.

7. Hæc gratiarum actio quæ fit animo, est ordine & dignitate prima, sine qua cæteræ gratiarum actiones Deo gratæ & acceptæ non sunt.

8. VERBIS; quum beneficia Dei privatim vel publicè commemoramus cum prædicatione bonitatis ejus, ex quâ illa sunt profecta.

9. FACTIS; cùm ad testificandam nostram in Deum gratitudinẽ, nos ipsos & res nostras corporales & spirituales ei offerimus: illas & nos ad gloriam ejus & usum sanctorum libenter impendentes.

10. Argumenta gratiarum actionis petita sunt tum à *causa impellente* Deum ad exhibenda nobis beneficia; tum ab ipsis beneficiis tanquam *effectis* Dei.

11. *Causa impellens Deum* ad exhibenda nobis beneficia, est benevolus ejus in nos veluti filios suos affectus, qui *Patris* nomine indicatur, quemadmodum *Dei* nomine majestas ejus exprimitur. Colligimus inde:

I. Ut Deitatis ipsius, ita etiam beneficiorum divinorum principium & fontem esse PATREM.

II. Beneficia Dei quæ nobis dantur omnia esse gratuita: quia ut à patre dantur filiis, non

non ut ab hero mercenariis.

12. *Beneficia Dei* velut effecta illius tria Apostolus recenset: *Primum* est ἱκανώσας ἡμᾶς εἰς τὸ μέρος τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί, quasi dicas idoneificatio (liceat enim nobis hoc novo vocabulo uti, cùm etiam Græcum verbum ἱκανόω quemadmodum & χαριτόω ab Apostolo novatum sit) ad participationem sortis sanctorum in luce.

Ἱκανῶν est eos qui à se ipsis naturâ capaces non sunt, habiles & capaces reddere.

Κλῆρος, id est, sors, Hebr. גּוֹרָל dicitur ὁμωνύμως in Scripturis ἑτεροδόξως: Interdum *propriè*, interdum *impropriè*.

Propriè pro instrumento seu medio quo fit sortitio, sive sit calculus, vel lapillus certo signo ab aliis discriminatus, sive annulus, sive quodcunq; aliud signum cujus in sortitione usus est. Hoc significato capitur Proverb. 16. vers. 33. *In gremium conjicitur sors: à Jehova autem est tota ratio ejus.* Actor. 1. v. 26. *Jecerunt igitur sortes eorum & cecidit sors super Matthiam.*

Impropriè verò accipitur vel de sortitione, hoc est, actu sortiendi, ut Proverb. 18. vers. 18. *Contentiones submovet sors & inter robustos dirimit:* vel de eo quod sortitione obtinetur sive sit hæreditas, ut bona mobilia aut immobilia, sive dignitas & honor, sive functio aliqua, sive antecessio in ordine, sive quæcunq; res alia de qua sortitio instituitur, eaq; aut *Corporalis* quo sensu quælibet portio quæ unicuiq; tribui is-

raëliticæ in terra promissa obtigerat, sors dicebatur: aut *Spiritualis*, quo significato tum Ecclesia universalis dicitur sors, velut Psalm. 125.v.3. *Non quiescet virga improbitatis super sortem justorum, ut non extendant justi ad ullam iniquitatem manus suas; nam pars Jehovæ est populus ejus* Deuter.32.v.9. Et particulares Ecclesiæ seu cœtus omnes Christi dicũtur κλῆροι. 1.Petri 5.vers.3. *Neq; ut dominantes cleris*, id est, cœtibus & gregibus commissis ad pascendum: tum bona æterna Ecclesiæ Dei ante jactum mundi fundamentum destinata.

Hoc in loco κλῆρος τῶν ἁγίων, sors sanctorum, est hæreditas cælestis, præparata iis, qui secundùm propositum prædestinationis æternæ per vocationẽ efficacem segregati è mundo, sanguine Christi mundati, imputata sanctitate ejusdem, Deo Patri accepti & per Spiritum Sanctum regenerati sunt, & ad sanctitatis studium reformati.

Sic nominatur metaphorâ elegantissimâ è simili petitâ. Ut enim in divisione hæreditatis sortes projici solent, & quemadmodum illæ super quempiam ceciderunt, ita ei portio conveniens assignatur: sic agit nobiscum Deus Pater velut cum filiis, & ad cælestium thesaurorum testamento Christi legatorum partem tanquam sorte attributam nos admittit. Explicat hoc locus παράκλησις Actor.26.v.18. *Ut aperias oculos eorum & convertas eos à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, ut remissionem*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0064
DFG

nem peccatorum & sortem inter sanctificatos accipiant per fidem quæ est in me.

Lux in qua est sors sanctorum est regnum cæleste, in quo clarè splendet gloria Christi & membrorum ejus.

Consectaria.

I. Omnes nos naturâ indigni sumus participatione hæreditatis sanctorum: digni verò eâ reddimur solâ Dei Patris gratiâ.

II. Tota in universum Ecclesia electorum est κλῆρος, hoc est, sors Dei, & nequaquam soli Episcopi vel præfecti Ecclesiæ: quia omnes & singuli electi habent partem sortis sanctorum in luce.

III. Pseudepiscopi & Prælati Papani, non sunt Clerus Domini, aut ut vocari gaudent, Clerici. Tertio tomo Concilior. pagina trecentes. vigesimanona Editionis Colonienſis. An. 1567. capite nonagesimo quarto, Concil. Aquisgranens. sub Ludovico Pio, ex epistola Hieronymi ad Novatianum: Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum & nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim cleros Græcè, Latinè sors interpretatur: propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus ipse, sors (id est, pars) clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Domi-

num & ipse possideatur à Domino. Qui Dominum possidet & cum propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur. Isidor. de officiis lib. sec. cap. tert. Concil. Aquisgran. cap. 101. Duo sunt genera clericorum: Unum Ecclesiasticorum, sub regimine Episcopali degentium: alterum Acephalorum, id est, sine capite, qui quem sequantur, ignorant.

IV. Vita æterna nulli obvenit fortuitò: quia est sors, quam Deus secundùm beneplacitum voluntatis suę attribuit iis tantùm quibus decrevit & non aliis. Si enim à Jehova est tota ratio sortis in distributione terrenarum hæreditatum: multò magis hæreditas cælestis à beneplacito ejus pendet. Quapropter nequaquam admittendum, quosdam olim servatos vel nunc servari fortuitâ Dei misericordiâ.

V. Vitam æternam minimè consequimur propter merita bonorum operum; quia est sors seu hæreditas quæ attribuitur filiis.

VI. Sors sanctorum est in luce, hoc est, in regno cælesti, in quo fulget gloria Christi & electorum.

VII. In regno cælesti lux est, extra regnum

gnum verò illud tenebræ. Matth. 8. v. 12.

13. *Alterum beneficium* Dei Patris est ereptio nostri ex potestate tenebrarum, hoc est, veluti extractio è regno Satanæ tanquam ex profundo barathro & carcere, in quo constricti tenebamur vinculis tum cæcitatis mentis per ignorantiam Dei Redemtoris, tum miseriæ, qualis damnatos manet in sempiternũ.

Consectaria.

I. Regnum Satanæ est potestas: ergo nos nequaquam decet securitati carnis indulgere. Cui cum hoste potenti est bellum, vigilat noctes atque dies, ne fortè ex improviso opprimatur, & omni munitionum genere sibi provident. Jam non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem, sed adversus imperia, adversus potestates, adversus mundi principes, id est, tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales malitias quæ sunt in sublimi. Ephes. 6. v. 12. Proinde sobrii simus & continuè vigilemus. 1. Petr. 5. 8. & induamus universam illam armaturam Dei, ut possimus stare adversus insidias diaboli, ut possimus resistere tempore adverso & omnibus confectis stare. Ephes. 6. vers. 11. 13.

II. Totus mundus qui extra Christi regnum est, cum fucata sua sapientia & justitia, est sub potestate tenebrarum & Satanæ qui princeps tenebrarum est.

III. Quicunq; extra Christi regnum ma-

nent, non ſervantur: quia ſunt ſub poteſtate tenebrarum. Quare cautione opus eſt in opinionibus quorundam Patrum: veluti quod Clemens Alexandrinus libro Stromatũ pag. centeſ. trigeſ. ſeptima Editionis Commelinianæ, ait: καί τοι καθ' ἑαυτὴν ἐδικαίου ποτὲ καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς ἕλληνας, id eſt, *Etenim & ſecundùm ſeipſam juſtificabat olim etiam Philoſophia Græcos*: Et quod Athanaſius ſentit de ſalutari adventu Jeſu Chriſti tomo primo, pag. quingenteſ. edit. Commelinianæ; *Quoſdam placuiſſe Deo & juſtificatos eſſe per legem naturæ.*

14. *Tertium beneficium* Dei Patris, eſt tranſlatio noſtri in regnum dilecti illius Filii Dei, hoc eſt, ex profundiſſimis inferis ad cælum, per vocationem noſtri efficacem in Eccleſiam Catholicam, tum *præſentem* in qua omnes retecta facie gloriam Domini ut in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam ſicut à Domino Spiritu. 2. Cor. 3. v. 18. tum *Sempiternam*, in qua plenè poſſidebimus, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus iis à quibus ipſe diligitur. 1. Corinth. 2. v. 9.

Conſectaria.

I. Nos quotquot idonei facti ſumus ad participandam ſortem ſanctorum & erepti ex poteſtate tenebrarum, certò ſumus hæredes & cives cælorum, non ſecus ac ſi jam in illis eſſe-

essemus: ideo utitur Paulus verbo præteriti temporis: *transtulit nos, &c.* Quò etiam pertinet illud quod dicitur Ioannis 5. vers. 24. *Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: sed transivit à morte in vitam:* ubi Christus itidem utitur verbo præteriti temporis, ut in re certissima. Et Ephes. 2. vers. 6. *Unà suscitavit, unà collocavit in cælis in Christo Jesu:* neq; enim adhuc id in nobis præstitũ est, sed expectamus certò futurum.

II. In Christo Capite nostro habem⁹ certum pignus possessionis regni cælestis: nam quum regnum illud jam acceperit Filius Dei, minimè dubitandum est, nos quoque accepturos. *Christo enim servabatur omnia retrò occultata nudare, dubitata dirigere, prælibata supplere, prædicata repræsentare: mortuorum certè resurrectionem, non modò per semetipsum, verùm etiam in semetipso probare:* ut verbis Tertulliani utar, lib. de Resurrect. carnis, cap. 2. *Hic sequester Dei atq; hominum appellatus ex utriusq; partis depositò commissò sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arrabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis arrabonem carnis accepit, & vexit in cælum pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ. Securæ estote caro & sanguis, usurpastis & cælum & regnum Dei in Christo;* ait idem libro nunc citato, cap. quinquagesimo primo.

III. Regnum Filii Dei duplex est: *universale & singulare.*

IV. *Regnum Filii Dei universale*, est quod ut naturâ verus Deus prorsus in universa habet communiter cum Patre & Spiritu Sancto, ab æterno in æternum, idq; naturâ seu naturali jure, tanquam Unigenitus Dei Patris Filius: unde etiam *divinum* appellatur ab Athanasio de humana natura susceptâ ab Unigenito Verbo & contra Arianos tomo primo, pag. quadringentes. septuagesima sexta: idem *naturale* regnum ipsius vocari consuevit.

V. Hoc nunquam deposuit, nunquam deponet.

VI. *Regnum singulare Filii Dei*, est quod in Ecclesia quæ est corpus ipsius mysticum obtinet peculiariter jure donationis. Unde etiâ *regnum donativum* & *acquisitum* vocatur.

VII. Estq; duplex, *gratiæ* & *gloriæ*.

VIII. *Regnum gratiæ*, est gubernatio Ecclesiæ in hac vita, in qua Christus gratiâ suam exhibet electis suis ad procurandam sempiternam eorum salutem. Hoc regnum ab Athanasio nuper citato loco *humanum* dicitur, quia illud administrat Filius Dei, quatenus est Sermo ille homo factus voluntariâ & gratiosâ Oeconomiâ, ad officium Mediatoris sese ultrò demittens; Unde etiam regnum *Oeconomicum* item *Mediatorium* non incommodè appellatur: & quia propriè ad nos homines pertinet.

IX. Hoc regnum tradet Christus Deo Patri 1.Cor.15.v.24. Quemadmodum notavit Athanasius

thanasius jam allegato loco his verbis; *Nam propter inimicos nostros Dominus tælorum, in similitudine nostri fuit, sumsitq; humanum illud solium Davidis, qui est secundùm carnem Pater ejus, ut reædificaret & instauraret illud, ut eo instaurato, nos omnes in ipso regnaremus, ac traderet humanum regnum instauratum Patri suo.*

X. *Postquam subjecta fuerint ei omnia*, hoc est, quum nos omnes Filio subjecti ejusq; membra reperti fuerimus, ac per eum geniti in filios Dei, hostes verò qui in hac vita regnum ejus oppugnarunt fuerint omni potestate exuti.

XI. *Tunc & ipse Filius subjicietur Patri*, nempe pro nobis ut Caput pro suis membris: *Quamdiu enim non subjecti sunt omnes, ipse eorum caput, nondũ subjectus Patri suo videtur, exspectans sua propria membra: nam si unus eorum esset, qui subjiciendi essent, statim ab initio Patri subjectus fuisset, ac non in fine tandem id ipsum cum aliis faceret, nos enim sumus, qui in eo subjiciẽdi sumus Patri:* ut verbis Athanasii utar.

XII. Subjectio autem in carne ejus futura est, ut idem Athanasius interpretatur: & subscribit Augustinus tomo sexto, libro contra Sermonem Arianorum, cap. trigesimo sept. *Quod dicit Apostolus, etiam in futuro seculo Patri Filium subjectum futurum, ubi ait; Tunc & ipse subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia, quid mirum, quandoquidem illa in Filio forma humana mansura est, quâ semper major est Pater?*

XIII. Ut *Deus sit omnia in omnibus*, id est, ut regnet Deus Pater, per Filiũ, ut per proprium Verbum suum, postquam regnaverit hîc per eum, ut per hominem Salvatorem, quemadmodum idem Athanasius piè declarat.

XIV. *Regnum gloriæ*, est gubernatio Filii Dei, quæ resurrectionem universalem mortuorum omnium consequetur, quum cõsummata electorum Dei instauratione & glorificatione, ipsi gloriam Dei Patris in Filio Unigenito per Spiritum Sanctum in æternum contemplabuntur, & ex præsenti visione Dei absque fine beati erunt & cum Christo gloriosè regnabunt.

XV. Ecclesię Christi Catholicæ Monarcha *universalis*, id est, qui universæ Ecclesiæ prœest, eamque universam regit, est solus JESUS CHRISTUS.

XVI. Eaque universali aliquo Monarcha præter Christum opus nõ habet. Contra Bellarminum cap. 9. lib. 1. de Roman. Pontifice.

XVII. Petrus Apostolus Ecclesiæ totius Monarcha, Caput & Princeps loco Christi nõ fuit. Cõtra cap. 10. & seqq. usq; ad finem libri.

XVIII. Pontifex Romanus non successit Petro Apostolo in Ecclesiastica Monarchia, seu in universæ Ecclesiæ primatu. Contra lib. 2. de Rom. Pont.

REGI AETERNO, IMMORTALI, INVISIBILI, SOLI SAPIENTI Deo honor sit & gloria in secula seculorum.
AMEN.

De

THESIBUS ANALYTICIS IN EPISTOLAM Pauli Apostoli ad Colossenses

Ab

AMANDO POLANO A POLANSDORF

propositis

DISPUTATIO TERTIA

in qua

Die 16. Septembris, CHRISTO directore, interrogantibus respondit

M. JOH. GEORGIUS GROSSIUS BASILIENSIS.

Anno clɔ Iɔcii.

Viro præstantissimo integerrimo

DN. JACOBO RÜDINO CIVI BASILIENSI,

Compatri suo plurimùm honorando

AMANDUS POLANUS A POLANSDORF gratiæ & pacis incrementa à CHRISTO precatur.

DUplicem esse redemtionem nostri Scriptura διάκρισιν tradit: *Una jam facta est, de qua dicitur Rom.* 1. *v.* 23, 24. Omnes peccaverunt ac deficiuntur gloria Dei: Ut qui justificentur gratis, ejus gratiâ, per redemtionem factam in Christo Jesu: *Alteram in universali illa omnium è mortuis resurrectione futuram, patienter exspectamus, de qua Christus loquitur Luc.* 21. *v.* 28. Quum autem hæc fieri incipient, surstum respicite & attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemtio vestri. *Et Apostolus Rom.* 8. 23. Neque verò ille solùm (*nempe totus mundus creatus:*) sed & ipsi qui primitias Spiritus habemus, nos ipsi, inquam, apud nos suspiramus, adoptionem exspectantes, *id est*, redemtionem corporis nostri: *Item Eph.* 1. *v.* 14. Qui est arrhabo hæreditatis nostræ, ad obtinendam redemtionem ad laudem gloriæ ipsius. *& cap.* 4. *v.* 30. Ne tristitiâ afficite Spiritum illum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemtionis. *Quisquis priorem redemtionem negat vel minùs pretiosam ducit, fidem corrumpit: quisquis verò posteriorem inficiatur, spem amputat, de qua Paulus Rom.* 3. *v.* 24, 25. Spe servati sumus. Spes autem si videatur, non est spes. Quod enim quis videt, cur speret? Si verò quod non videmus, spera-

speramus, nempe per tolerantiam exspectamus. *Utraque comprehenditur quum Christus dicitur nobis à à Deo Patre factus redemtio* 1. *Cor.*1.*v.*30. *quia utriusq; λύτρον nullum est aliud quàm sanguis Christi pro nobis effusus. Estque spiritualis utraque, & distinguenda à redemtione corporali à servitute & afflictione temporali, qualis fuit redemtio populi Israelitici à servitute Aegypti, & ejusdem à captivitate Babylonica. De spirituali his ago thesibus, ad quas illustrandas adduco locum Beati Augustini, exstantem tomo septimo, libro in quo refellit articulos falsò ipsi impositos, Respons. ad artic. primum:* Quod ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemtio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi & sine regenerationis sacramento (*nempe ex superbia contemto cùm potiri eo potuissent, quia non privatio, sed contemtus sacramenti damnat*) pertranseūt, redemtionis alieni sunt. Cùm itaque per unam omnium naturam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, redemti omnes rectè dicantur, non tamen omnes captivitate sunt eruti. Redemtionis proprietas haud dubium penes illos est, de quibus princeps hujus mūdi missus est foràs, & jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cujus mors non impensa est humano generi, ut ad redemtionem ejus etiam qui regenerandi non erant, pertinerent. *Eas tibi, præstantissime Rūdine Domine & compater plurimùm honorande, inscribere volui, ut haberes testimonium publicum mei in te amoris, quem sincera tua in Deum pietas, quem minimè fucata virtus tua conciliavit. Tu inter multos alios pios in hac urbe πατρῳὸς es socero meo venerando D. Joh. Jacobo Grynæo, quod mihi voluptatem nequaquam exiguam affert: tu Gymnasii nostri rationem habes christianam, ad cujus pauperes adjuvandos liberalem te hactenus exhibuisti: tu omnibus agnatis & cognatis tuis solatio es, quum in luctu versantur. Caterum benignissimum Deum ex animo comprecor, ut tibi*

tuæque conjugi feminæ lectissimæ & liberis adeoque toti domui & familiæ clementer benedicat. Perscriptum Basileæ die 8. Sept. Anno DIs Ce Mo I.

THESIUM ANALYTICARVM IN EPISTOLAM PAVLI ad Colossenses

PARS TERTIA.

Thesis 1.

SVPERIORE thesium parte declaratum est, quòd Pater cœlestis sit æternæ salutis nostræ causa efficiens: deinceps Paulus explicat, quòd unà cum Patre ejus autor sit Filius Dei Jesus Christus & Spiritus Sanctus: Nam *sine Spiritu Dei salvari non possumus.* Iren. lib. quinto, cap. duodecimo.

2. Id verò agit Apostolus à versu 14. usque ad 22. E quibus duntaxat versum 14. nempe:

In quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum: hac vice considerabimus.

3. Quòd CHRISTUS sit causa efficiens æternæ salutis nostræ, demonstrat Paulus hoc pacto:

In quo habemus redemtionẽ per sanguinem ipsius, id est, *remissionem peccatorum: is profectò æternæ salutis nostræ autor est:*

Atqui

Atqui in JESU CHRISTO *habemus redemptionem per sanguinem ipsius, id est, remissionem peccatorum.*

Ergo JESUS CHRISTUS *æternæ salutis nostræ autor est.*

4. Minorem jam declarabimus: deinde argumenta quibus eam Paulus demonstrat, alio tempore, Deo benignè concedente, perpendemus. *Sententia* ejus hæc est: Docetur in ea de *redemtione*, quis ejus sit causa efficiens, quod sit ejus subjectum, quæ causa meritoria, quæ definitio.

5. Causa efficiens redemtionis est Christus, sicut Paulus ait: *In quo* scil. CHRISTO *habemus redemtionem.* Non ergo martyres, neque nos ipsi: multò minus Papæ Romani, pseudepiscopi, sacrificuli, monachi, Jesuitæ, qui ipsimet in damnatione hærent, redemtionis autores exsistunt.

6. *Subjectum* δεκτικὸν, hoc est, homines redemtionis illius capaces & participes, non alii sunt, quàm soli electi credentes, quibus certè solis Apostolus se annumerat & includit, quũ dicit, *habemus.* Pro solis igitur electis & credentibus effusus est sanguis Christi.

7. Quod secundùm Scripturas definivit Concilium Valentinum tempore Lotharii Imperatoris, Anno salutis 855. celebratum: sic enim pronunciat capite quarto: *Item de redemtione sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum*

scripta indicant, etiam pro illis impiis qui à Mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui, & æterna damnatione puniti sunt, effusum definiant, contra illud Prophæticum: Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne: illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, juxta Evangelicam & Apostolicam veritatem, quòd pro illis hoc datũ precium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit: Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat vitam æternam. Et Apostolus: Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.

8. Concilium nimium erroré vocat, quem Hunnius de Provident. & Prædest. pag. centes. octogesimâ secunda Editionis Francofurtensis Anni M.D. XCVII. audet verè Evangelicum & orthodoxum affirmatum appellare; *Christum non minùs pro damnandorum peccatis esse mortuum, quàm pro peccatis Petri, Pauli & omnium sanctorum.* Quin etiam pag. centes. octogesimâ octavâ audet dicere; *Etiam pro his, qui tempore morientis Christi, in inferno jam erant, verè satisfeciſſe Christum.*

9. Quid est injuria Deum Patrem & Dominum nostrum Christum Jesum afficere, si hoc non est? Quid est eripere fidelibus consolationem è satisfactione Christi hauriendam, si hoc non est?

10. Nos

10. Nos Apostolicis vestigiis insistentes, plenè persuasi sumus verissima esse hæc pronunciata:

I. Pro quibus Christus verè satisfecit, eorum nullum Pater cęlestis in infernum detrudit, sed idoneos eos fecit ad participandam sortem Sanctorum in luce, & eripuit eos ex potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum Filii sui dilecti.

II. Satisfactio CHRISTI tam grata, tam accepta est Deo Patri, ut pro nemine frustrà sit præstita: tam potens, tam fortis est, ut nullius hominis peccato seu incredulitate superari possit: tam efficax, tam fructuosa est ut sicut salutem æternam; ita etiam media ad salutem æternam ducentia, inter quæ est fides in Christum Jesum, omnibus illis pro quibus præstita est, promeruerit. Fides salvifica satisfactionis Christi effectus & fructus est.

III. Consolatio hæc unicuique fideli firmissima atque indubitata esse debet: Pro quibus Christus verè satisfecit, ii certò habent remissionem omnium peccatorum & vitam æternam: Jam pro me Christus verè satisfecit: Quapropter ego certò habeo remissionem omnium peccatorum & vitam æternam. Hęc consolatio nulla est si major non sit universè vera, sed particularis: particularis autem tantùm fuerit, si longè maxima pars illorum pro quibus verè CHRISTUS satisfecit, in infernũ nihilominus detrudantur.

11. Quæritur, *An illi etiam fideles sanguine Christi redemti sint, qui ante passionem Christi è vita hac excesserunt: quum impossibile sit, effectum esse tempore prius causâ suâ efficiente; quum rei nondum existentis, nulla possit esse efficacia?* RESP. Omnes in universum verè fideles, etiam illi qui ante passionem Christi ex hac vita excesserunt, sunt sanguine Christi redemti, eiusque virtute & efficaciâ sunt servati & in cælum translati. Neque verò effectum tempore fuit prius causâ efficiente. Nam ut creditor debitorem non solventem vel solvere non valentem in carcerem conjecturus; si fidejussor seu expromissor interveniat idoneus, ad solvenda intra certum tempus debita nomine debitoris sese offerens, & creditor expromissionem sat habeat, dimittit debitorem liberum & carceri non mancipat, atque ita expromissor debitorem à carcere liberat, etiamsi non illico solutionem præstet, sed demum tempore constituto de quo convênit: ita Deus Pater homines in peccatum lapsos & debitores factos in carcerem infernalem detrusurus; cùm æternus Dei Filius electos commiseratus ultrò pro illis sponsor fieret & fidejuberet, se pro illis justitiæ Dei satisfacturum, & fidejussione illa Pater cœlestis sat haberet, electos impunitos dimisit & liberos à carcere, à quo eos Filius Dei sponsor factus liberavit, etiamsi non statim pro illis satisfecit, sed tempore demum divino decreto præfinito. Neutro in casu esse-

su effectus tempore precedit causam, sed causa liberationis precedit effectum: ea autem est voluntaria fidejussoris obligatio sui ad satisfaciendum termino definito, & creditoris sathabitio, id est, voluntas acquiescens in satisfactione suo tempore præstanda à sponsore. Hanc fidejussionem suam quòd loco nostro Christus justitiæ Dei esset satisfacturus, declaravit Gen. 3. v. 15. quum primam federis gratiæ promissionem promulgavit, dicens: *Semen mulieris conteret tibi caput; tu autem cõteres huic calcaneum.* Eandem notam fecit Ecclesiæ Israëliticæ Psal. 40. v. 8. & 9. *Tum dixi, ecce venio: in volumine libri scriptum est de me: Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector.* De impletione verò fidejussionis hujus Paulus dicit Hebr. 10. v. 9. 10. *Tunc dixi, Ecce adsum, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Tollit prius, ut posterius statuat. Quâ voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi semel factam.* Sententia est: Propter Levitica sacrificia non potuit cuiquam homini remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, justitia ac vita æterna obtingere: ideo Christus intervenit & se fidejussorem stitit pro nobis, sicut dicit, Ecce venio, ut faciam ô Deus, voluntatem tuam. Illa voluntate Dei quam Christus facturus venit sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel factam.

12. *Causa meritoria* redemtionis nostræ est *Sanguis Jesu Christi*, quo sanguine κ) συνεκδοχικῶς

tota satisfactio, tota obedientia CHRISTI intelligitur. Num enim sanguine delectatus fuit Deus, ac non potius obedientiâ CHRISTI fundentis sanguinem? Certè in illa sanguinis pro nobis effusione principatum obtinuit obedientia, profecta à constantissima Sponsoris nostri CHRISTI voluntate, quæ ipsam sanguinis effusionem anteceſſit, eique conjuncta mansit. In morte crucis primum gradum occupat voluntaria subjectio: quia ad justitiam nihil profuisset sacrificium, nisi spontè oblatum. Cæterùm synecdoche illa intelligitur ex dictis Pauli Rom. 5. v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam, justi constituentur multi.* & cap. 8. v. 3, 4. *Nam quæ Legis erat impotentia quum viribus esset destituta per carnem, Deus suo ipsius Filio misso in forma consimili carni peccato obnoxiæ, idq; pro peccato, condemnavit peccatum in carne: ut jus illud Legis compleatur in nobis, qui non secundùm carnem incedimus, sed secundùm Spiritum.* Condemnavit enim Deus peccatum nostrum in carne Christi: quia Christus peccatum nascendo non sensit, & natus non peccavit dissentiens à peccato, & moriendo peccatum crucifixit, ut Ambrosius & Augustinus hæc verba explicant. Sic cap. 10. v. 4. *Finis legis est Christus, ad justitiam cuivis credenti.* Gal. 4. v 4 *Postquam venit plenitudo temporis, emisit Deus Filium suum factum ex muliere, factum Legi subjectum, ut eos qui Legi erant subjecti redimeret,*

meret, ut adoptionem acciperemus.

13. *Consectaria. I.* Si redemtionem habemus per sanguinem CHRISTI: non igitur per nostrorum operum bonorum merita coram Deo justificamur & vitam æternam consequimur. *Excipiunt* Papani, non pugnare hæc duo: quum bona opera nostra sanguine Christi tincta sint, & ex eodem Christi sanguine vim suam atq; efficientiam habeant. RESP. Imò verò pugnant: nam nónne Abrahami opera bona sanguine Christi tincta fuerunt? nónne ex eodem Christi sanguine vim suam atq; efficientiam habuerunt? Dicitur enim Apoc. 13. v. 8. *Agnum illum mactatum esse à jactis mundi fundamẽtis:* de quo loco Ambrosius commentar. ait in cap. quintum epistolæ ad Romanos: *Adam ideo forma futuri est, quia jam tunc in mysterio decrevit Deus per unum Christum emendare, quod per unum Adam prævaricatum erat, sicut dicitur in Apocalypsi Johannis Apostoli: Agnus qui occisus est à constitutione mũdi.* Et tamẽ bonis operibus suis Abrahamus coram Deo justificatus non est, ut Paulus Apostolus perspicuè docet Roman. 4. Quanquam coram hominibus *ex operibus justificatus est, quum obtulisset Isaacum filium suum super altare,* ut Jacobus loquitur capit. 2. v. 21. hoc est, ostensus seu demonstratus & manifestatus atque cognitus est esse justus. Quo talis ostensus, demonstratus, manifestatus & cognitus est? Oblatione Isaaci filii sui, quod opus fuit testimonium fidei & justitiæ:

Quoniam (ut Glossa ordinaria Jacobi verba explicat) *per opera quæ fecit, justus non fuit, sed* SOLA FIDE: *Hic de operibus agitur, quæ fidem sequuntur, per quæ amplius justificatur, cùm jam per fidem fuisset justus. Unde Paulus: Fide Abraham obtulit Isaac, cùm tentaretur: hæc oblatio est opus & testimonium fidei & justitiæ.* Similiter Thomas Aquinas in explanatione hujus loci ait, opera hîc dici justificare, *non secundùm quod justificatio dicitur justitiæ infusio, sed secundùm quod dicitur justitiæ exercitatio vel ostensio vel cõsummatio.* Unde idem dicit lectione quarta super caput tertium epistolæ Pauli ad Galatas: *Opera non sunt causæ, quòd aliquis sit justus apud Deum, sed potiùs exsecutiones & manifestationes justitiæ.* Pauli Apostoli & aliorum Apostolorum fideliumq; tempore Pauli viventium opera bona nónne sanguine Christi tincta fuerunt, & ex eodem vim suam atq; efficientiam habuerunt? Et tamen ait Apostolus Tit. 3. v. 5. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos fecit nos,* &c. Bona opera nostra Christi sanguine tingi & ex eodem vim suam atq; efficientiam habere fatemur, ut quæ Deo placeant & hominibus utilia sint Tit. 3. vers. 9. Sic autem tingi & talem vim atque efficientiam habere, ut vitam æternam mereantur; id verò blasphemum & sanguini Christi injuriosum est, id gloriæ Dei & meritis Jesu Christi Domini nostri derogat, utut pseudepiscopi in pseudosynodo Tridentina Sess. sexta, can. trigesi.

trigesimo tertio, id negent & affirmantibus anathema denuncient. Christus enim sanguinem suum effudit in remissionem nostrorum peccatorum Matth. 26. 28. non autem ut operibus nostris vim & efficientiam merendi tribueret, vel ut vim servandi à se in opera nostra transferret. Christus *per proprium sanguinem, ingressus est semel in sacrarium, æternam redemtionem nactus* Hebr. 9. v. 12. Non ergo nos per opera nostra sanguine Christi tincta, nobis redemtionem comparamus. Proinde etiam anathemati Tridentino opponimus illud Proverb. 26. v. 2. *Ut avicula errando, ut hirundo volitando; ita maledictio immerita non adventura est.*

II. Si redemtionem habemus per sanguinem Christi; non igitur per indulgentias & bullas Romani Pontificis seu Antichristi. Ac proinde indulgentiarum nundinatio quæ in Papatu invaluit, impia & detestanda est. *Quam dabit quispiam compensationem animæ suæ?* Matth. 16. v 26. Marc. 8. 37.

III. Si redemti sumus sanguine Christi: non igitur per sanguinem pecudum; *non enim potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata.* Heb. 10. v. 4. Nec per legales purificationes, nec per humanas adinventiones vel traditiones, veluti purgatorium fictitium, aquam consecratam, vigilias, missas & similes nugas atq; deceptiones pecuniâ emtas à sacrificulis & monachis. 1. Petr. 1. vers. 18, 19. *Ut qui sciatis vos non caducis rebus, argento vel auro fuisse redem-*

vos ex vana illa vestra conversatione à patribus tradita: sed pretioso sanguine, utpote Agni inculpati & incontaminati, nempe Christi.

IV. Si redemtionem habemus per sanguinem Christi: ergo abluti & mundati sumus ab omni peccato. Huc pertinent dicta 1. Joh. 1. vers. 7. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus purgat nos ab omni peccato.* Apocal. 1. v. 5. Jesus Christus est *fidus ille testis, primogenitus ille ex mortuis ac princeps Regum terræ: qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum.*

V. Si redemti sumus per sanguinem Christi: ergo non sumus nostri juris, ac proinde nulli alteri nos possumus addicere, sed animo & corpore Deo servire obstricti sumus: sicut Paulus ait 1. Cor. 6. v. 19, 20. *An ignoratis, corpus vestrum esse templum Spiritus sancti, qui est in vobis, quem habetis à Deo, neque vos esse vestri juris? Nam emti estis pretio: glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.*

VI. Si redemti sumus per sanguinem Christi: liberi igitur sumus à ceremoniarum legalium & humanarum traditionum jugo; ac proinde nos illi subjicere non debemus. Hoc Paulus docet 1. Cor. 5. v. 23. *Pretio emti estis, ne estote servi hominum.*

VII. Redemti sumus per sanguinem Christi: ergo sanctè vitam instituamus dum in hoc corpore versamur. Hoc Petrus nos admonet 1. epist. 1. v. 17, 18, 19. *Cum timore versamini commorationis vestræ tempore, ut qui sciatis vos non caducis rebus, &c.*

IIX. Redemti sumus per sanguinem Christi: ergo cavendum nobis summopere ne à Christo deficiamus, ne apostatæ fiamus. Heb. 10.v.29. *Quanto (putatis) acerbiore supplicio dignus censebitur, qui Filium Dei conculcarit, & sanguinem federis per quem fuerat sanctificatus, profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumeliâ affecerit?*

14. *Quæstio* hîc occurrit: *An necesse fuerit nos per sanguinem Christi redimi?* RESP. Non defuit Deo, cujus potestati cũcta æqualiter subjacent, modus alius quo liberaret homines à miseria mortalitatis hujus: sed modus hic, quo nos per Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, in cruce moriẽtem pro nobis & sanguinem fundentem, liberare dignatus est, non solùm bonus & divinæ congruus dignitati est, sed sanandæ nostræ miseriæ convenientior alius non fuit, nec esse debuit: quia non alius modus à Deo decretus fuit, qui *omnia efficit ex consilio voluntatis suæ* Ephes. 1. 11. cui *placuit per stultum* (nimirum opinione hominum incredulorum) *præconium servare credentes.* 1. Cor. 1. v. 21. Hinc sæpè dicitur, *oportuisse Christum pati & occidi.* Ut Matth. 16. 21. & cap. 26. 54. Marc. 8. v. 31. Luc. 9. v. 22. & cap. 17. v. 25. & cap 22. 37. & cap. 24. 7, 26, 46. Joh. 3. v. 14. & cap. 12. v. 34. Act. 17. 3.

15. *Quæstio* alia est: *An aliqui redemti per sanguinem Christi, possint perire morte æternâ?* Respondeo Beati Augustini verbis quæ exstant tomo secundo, epistolâ centesimâ secundâ

quæ est ad Euodium: *Non perit unus ex illis pro quibus* (Christus) *mortuus est.* Et tomo tertio, libro tertiodecimo de Trinitate, capite decimoquinto: *In hac redemtione tanquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi, quo accepto diabolus non ditatus est, sed ligatus: ut nos ab ejus nexibus solveremur, nec quenquam secum eorum quos Christus ab omni debito liber, indebitè fuso suo sanguine redemisset, peccatorum retibus involutum traheret ad secundæ ac sempiternæ mortis exitium: sed hactenus morerētur ad Christi gratiam pertinentes, præcogniti & prædestinati & electi ante constitutionem mundi, quatenus pro illis ipse mortuus est Christus, carnis tantùm morte, non spiritus.* Hoc responsum Augustini secundùm Scripturā est, dicentem de beatis hominibus Apocal. 14. v. 3, 4. *Ii qui emti sunt è terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt inquinati; virgines enim sunt. hi sequuntur Agnum quocunq; ierit: hi emti sunt ex hominibus, primitiæ Deo & Agno Sacræ. Et in quorum ore non est inventus dolus: sunt enim inculpati ante thronum Dei.* Et Rom. 8. v. 34. *Quis est qui condemnet? Christus is est qui mortuus est.* q. d. Condēnari nō potest is pro quo Christus mortuus est.

16. Quæri etiam hoc potest: *An rectè credamus, redemtionem nostri esse gratuitam; quum tamen redemti simus per sanguinem Christi?* RESP. Quæ respectu diverso dicūtur, non pugnant. Quod ad Christum attinet, magno illi redemtio nostri constitit: quia captivi tenebamur, liberari nisi pretio persoluto non potuimus, justitiâ

justitiâ Dei id requirēte; quod pretium Christus loco nostro persolvit, sanguinem nimirum proprium fundendo: ideo ejus respectu gratuita non est. Nostri autem respectu planè est gratuita: quia λυτρον seu redemtionis pretium nos non persolvimus, neque ex toto, neque ex parte.

Actum est de redemtionis causa meritoria.

17. In fine versus, Apostolus redemtionem in sanguine Christi definit *remissionem peccatorum*: quia Deus, peccata nobis remittendo, ab æternæ mortis reatu nos eximit; liberos à morte ęterna nos pronunciat, cùm à peccatis absolvit.

18. Colligimus inde I. Libertatem nostram & gloriationem adversus mortem esse peccatorum nostrorum remissionem.

II. Eandem esse causam remissionis peccatorum, quæ & redemtionis, nimirum sanguinem Christi.

III. Satisfactionibus nostris ut non redemtionem, ita nec remissionem peccatorum obtineri.

DOMINO JESU CHRISTO REDEMTORI nostro sit honor & gratiarum actio in æternum.

AMEN.

THESIUM ANALYTICARUM

Quibus Epistola Pauli ad Colossenses explicatur

Ab

AMANDO POLANO
A POLANSDORF
propositarum

PARS QUARTA

in qua

Die 13. Octobris, CHRISTO benignè juvante, interrogantibus respondit

M. BALTHASAR THEODORICUS BASILIENSIS.

Anno cIↃ IↃcIII.

ILLUSTRI ET GENEROSO DOMINO D. CAROLO BARONI A ZEROTIN Juniori, &c. τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν ex animo precatur

AMANDUS POLANUS A POLANSDORF.

IN tertia Disputatione ex Epistola Pauli ad Colossenses petita, egimus de Redemtione per sanguinem Christi, quam credentium propriam esse Scripturæ Sanctæ docent, & secundùm illas orthodoxi Patres, Justinus Martyr, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus, fideles Ecclesiæ Smyrnensis in epistola de martyrio B. Polycarpi, Concilium Valentinum, &c. quibus addatur & hoc Irenæi Martyris lib. secundo adversus hæreses, capite trigesimonono: *Omnes enim venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & parvulos, & pueros, & juvenes & seniores. Ideo per omnem venit ætatem*, &c. Similiter & hoc Augustini dictum quod exstat in libro sententiarum Prosperi, & allegatur in jure Canonico, de Consecrat. Distinctione secunda, capitulo quinquagesimo secundo, *Semel immolatus*. in quo expressè dicitur quòd Christus *verus Deus & verus homo semel tantùm in cruce pependit, offerens seipsum Patri hostiam vivam, passibilem, mortalem, vivorum & mortuorum redemtionis efficacem, eorum scilicet, quos divini consilii altitudo redimendos judicavit, præscivit, prædestinavit, vocavit, modis atque temporibus, quibus id fieri congruebat.* Cum his & Confessio nostra Basiliensis consentit, in qua in capite, von Christo wahrem Gott vnd wahrem menschen/prostemur ad nostram consolationem in hunc modum:

Diesen Jesum Christum/ glauben wir empfangen seyn von dem heiligen Geist/ geboren von der reinen vnbefleckten Jungfrawen Marien/ gelitten vnder Pontio Pilato/ gecreutziget vnd gestorben für vnser sünd/ vnnd also mit einer sein selbs auffopfferung/ Gott vnserm himmelischen Vatter/ für vnsere vnnd aller Gläubigen sünd genug gethan/ vnd vns mit jhm versünt/ &c. Hæc fideliũ, & quidem omniũ per totum mundum, propria est consolatio, quæ nequaquam firma & certa est, imò nulla est, si Christus satisfecit etiam pro peccatis incredulorum super quibus ira Dei manet. Consentit & D. Martinus Lutherus, qui in Præfatione versionis Novi Testamenti sic apertè scribit: So ist nun Euangelium nichts anders/ dann eine Predigt von Christo/ Gottes vnnd Davids Sohn/ warhem Gott vnd mensch/ der für vns mit seinem sterben vnnd aufferstehen/ aller menschen sünde/ todt vnnd helle vberwunden/ die an jhn glauben. Daß also das Euangelium eine kurtze vnd lange Rede mag seyn/ vnd einer kurtz/ der ander lang beschriben mag. Der beschreibets lang der viel werck vnd wort Christi beschreibet/ als die vier Euangelisten thun/ Der beschreibts aber kurtz/ der nicht von Christus wercken/ sonder kürtzlich anzeiget/ wie er durchs sterben vnd aufferstehen/ sünde/ tod vnd helle vberwunden habe/ denen die an jhn glauben/ wie S. Petrus vnd Paulus. Quibus verbis Lutherus enunciationem hanc; *Christus sua morte & resurrectione* OMNIVM HOMINVM *peccata, mortem & infernum superavit*; restringit ad credentes, addens expressè, die an jhn glauben/ qui in ipsum credunt: quam restrictionem repetit; ut manifestum sit, non temerè, sed judicio illum asserere, *Christum per mortem & resurrectionem suam, peccatum, mortem & infernum devicisse* IIS QVI IN IPSVM

IPSVM CREDVNT. Quò etiam pertinet, quod in Catechesi Germanica parva scribit: Das wort Für euch/ fo:dert eitel gleubige hertzen.

Hanc autem quartam partem Thesium Analyticarum tibi, Illustris & Generose Baro CAROLE, inscribere volui, ut amoris in me tui aliquod documentum esset, dum majus, JEHOVA dante, exhibeam; simulq; incitamentū ut in vera pietate, Christiq; unici Redemtoris nostri salvifica cognitione proficias & crescas. Idem CHRISTUS DOMINUS vitæ & valetudini tuæ clementer benedicat, teque bonis omnibus abundè cumulet. Basileæ die 6. Octobris. Anno ultimi temporis 1603.

THESIUM ANALYTICARUM IN EPISTOLAM PAULI ad Colossenses

PARS TERTIA.

Thesis I.

PROXIMA disputatione declaratū est, *in Jesu Christo nos habere redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum*: nunc perpendamus, quibus argumentis Paulus Apostolus idem confirmet; ut ostendat suffeciſſe Christum ad nos redimendos, & nobis in sola redemtione illa quæ est in ipso, prorsus acquiescendum, nec aliam extra ipsum quærendam.

2. Argumenta adducit duplicia: quædam

suppeditat consideratio personæ Christi ut is Filius est Dei, Deus unus ab æterno cum Patre & Spiritu Sancto: quædam verò subministrat consideratio ejusdem personæ Christi, ut est Mediator θεάνθρωπος.

3. Argumenta prioris classis sunt numero quinque, quæ huic συζήτησις deputamus.

4. PRIMUM argumentum est in his verbis cap. 1. v. 15. *Qui est imago Dei invisibilis:* Quæ priùs declarabo, deinde ex illis demonstrationem exstruam.

5. *Imago*, est expressa alicujus repræsentatio ipsi archetypo respondens; ab imitando sic appellata.

6. Imago autem Dei vel *substantialis* est, vel *accidentalis*.

7. Christus imago Dei est & *substantialis* & *accidentalis*, sed secundùm diversas naturas.

8. Substantialis imago Dei est secundùm Deitatis naturam, quâ non tantùm ὁμοούσιος est Patri, sed etiam ὁμοφυής.

9. Est imago perfecta, essentialis, naturalis & increata.

10. Estq; imago non sui ipsius aut Spiritus Sancti, quia non à seipso est genitus, nec à Spiritu Sancto: sed est imago Dei invisibilis, id est, Patris, qui sic describitur ad differētiam Filii qui est Deus in carne conspicuus factus.

11. Patris, inquam, est imago: quia à Patre est genitus ab æterno Proverb. 8. v. 22 proinde quod Pater est naturâ, id ipsum & Filius est: hinc

est: hinc similis naturaliter Genitori Filius est, ut imago: & quia in eo Pater seipsum contuendo exhilaratur Proverb. 8. v. 30. Matth. 3. ver. 17. & 17. 5. & quia Patris gloria in eo quasi relucet, unde Hebr. 1. vers. 3. ἀπαύγασμα, id est, expressa imago ὑποστάσεως seu personæ Patris, & ἀπαύγασμα gloriæ, hoc est, fulgor claritatis & lucis paternæ appellatur; unde in Filio naturam Patris contemplamur: quascunque enim proprietates Deitatis Scripturæ Patri tribuunt, easdem & Filio tribuunt omnes: & quia nunquam Deus se Patribus nisi in æterno suo SERMONE & Filio unigenito patefecit, sicut Jesaias cap. 6. Joh. 12. v. 41. dicitur Christi gloriam vidisse, quia Christus jam tunc fuit imago Dei invisibilis.

12. Accidentalis verò imago Dei est secundùm humanam naturam, creata quidem, sed gradibus & numero donorum, sapientiâ, justitiâ, potentiâ & gloriâ omnibus Angelis & hominibus in immensum antecellens.

13. Hoc in loco Paulus agit de substantiali imagine Dei: quia paulò pòst per Filium illum, quem imaginem Dei vocat, omnia condita esse & conservari dicit.

14. Huic declarationi subjicio jam demonstrationem:

Qui est substantialis & naturalis imago Dei invisibilis, in eo solo redemtionem habemus:

At Jesus Christus est substantialis & naturalis imago Dei invisibilis:

Ergo in Jesu Christo solo redemtionem habemus.

15. Major certissima est. Nam cùm per redemtionem & remissionem peccatorum ad primævam illam imaginem Dei ad quam conditi fueramus, reduci debuerimus: per nullum alium id fieri potuit, nisi per eũ, qui substantialis est imago Dei.

16. SECUNDUM argumentum est in his verbis: *Et primogenitus omnis rei creatæ.* Est autem Filius Dei primogenitus omnis rei creatæ, tum quia primus est genitus ante tempora quibus creaturæ exsistere cœperunt (nam tempus ante creationem non fuit:) tum quia est caput omnis rei creatæ, autoritate primas à Patre tenens personaliter, cum Patre essentialiter.

17. Neque enim primogenitus omnis rei creatæ dicitur ideo, quòd sit prima creatura: quum ipsa verba Pauli repugnent, qui non creatum, sed genitum Filium dicit: & paulò pòst addit, eum esse ante omnia, & omnia per eum condita esse & subsistere.

18. Demonstratio itaq; talis est:

Qui est primogenitus omnis rei creatæ, in eo redemtionem habemus:

Atqui Jesus Christus est primogenitus omnis rei creatæ:

Ergo, &c.

19. Majoris evidens est veritas: nam quia in primo homine ac proinde primo filio Dei inter homines Luc. 3. v. ult. justitiam & vitam æternam

æternam amisimus, nempe in Adamo: non in alio redemtionem ab injustitia & morte æterna obtinere potuimus, quàm in primogenito Filio Dei. Tum quia per peccatum à Deo & Angelis separati fueramus, non per alium vicissim conjungi cum Deo & Angelis potuimus, quàm per eum qui & Deus & Angelorum caput est, ac proinde primogenitus omnis rei creatæ.

20. TERTIUM argumentum est in his verbis v. 16. *Nam per eum condita sunt omnia quæ in cælis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates, omnia* (inquam) *per eum & ejus respectu condita sunt.* Horum verborum sensus priùs declarandus est: deinde demonstratio hinc texenda.

21. Per *creationem* hoc loco non intelligitur regeneratio spiritualis, quæ solis electis hominibus competit (dissentimus enim jure à Samosatenianis, qui Paulum contendunt de regeneratione spirituali loqui, ne cogantur concedere, Christum esse naturâ verum æternum Deum ὁμοούσιον Patri:) sed prima illa creatio Mundi & omnium quæ initio condita sunt, de qua scribit Moses Genes. 1. & 2.

22. Id manifestum est tum ex sequente eorum quæ condita sunt distributione, petita è subjectis & adjunctis: tum ex appositio rerum invisibilium exemplo.

23. Distributio è subjectis est, quum Apostolus ait, per Christum condita *omnia quæ in*

cælis sunt & quæ in terra. Quâ dichotomiâ Scriptura Sacra συνεκδικῶς complecti solet quicquid uspiam creatum est. Gen. 2. v. 1.

24. In aliis Scripturæ locis tertium distributionis membrum expressè adjicitur, velut Exod. 20. vers. 4. Deuter. 5. v. 8. Et pro eo aliud Philipp. 2. v. 10.

25. Distributio ex adjunctis est in his verbis, *visibilia & invisibilia:* hac res creatæ omnes comprehenduntur.

26. Exemplum invisibilium sequentibus verbis annectit; *sive throni sive dominia, sive imperia, sive potestates.* Quibus nominibus gloriosissimis Angelos intelligit, qui appellantur *Throni*, quia in illis quodammodo gloria Dei residet: *dominationes*, quia propter dominium quod in res inferiores à Deo Angeli acceperunt, authentica sunt & habentur quæcunq; in mundo nomine Dei agunt: *Imperia*, quia instar Imperatorum ac Principum secundùm voluntatem Dei Mundum regunt & præsunt provinciis earumque curam gerunt: *Potestates*, quia autoritatem & jus à Deo habent in hæc inferiora.

27. Exemplum autem Angelorum Paulus annectit tum ut ostēdat, omnia omnino quæ initio Mundi facta sunt, per Filium Dei facta esse, sine ulla prorsus exceptione, quum Angeli etiam gloriissimi per ipsum facti sint: tum ut per comparationem Angelorum declaret, quàm infinita sit potentia, sufficientia & præstantia

ſtantia Chriſti, in quo ſolo præteritis etiam Angelis nobis eſt acquieſcendum.

28. Quum ſubjicit Paulus, *omnia per eum & ejus reſpectu condita ſunt*, efficientem & finem creatarum rerum Filium Dei eſſe declarat.

29. Filius Dei eſt cauſa efficiens rerum creatarum, non ut inſtrumentum, non ut adminiſter Patris, nec tantùm ut συνεργὸς, ſed ut αὐτεργὸς & ut ὁμοεργὸς & ἰσόεργος ſociusq; Patris in Creatione, pari & eâdem ſapiẽtiâ, voluntate, potentiâ & autoritate ſimul operans.

30. Idem eſt finis rerum creatarum, cujus reſpectu & gratiâ illæ conditę ſunt, cujus gloriæ ſubſerviunt omnes.

31. Jam ſubjicio demonſtrationem:

Per quem & cujus gratiâ omnia in univerſo Mundo condita ſunt, ipſi etiam Angeli; in eo nos redemtionem habemus:

At per Chriſtum & ejus gratiâ omnia in univerſo Mundo condita ſunt, ipſi etiam Angeli:

Ergo in illo redemtionem habemus.

32. Major veriſſima eſt: Nec enim per alium redimi à morte æterna potuimus, quàm per eum, per quem ad vitam æternam & ad glorioſæ gratiæ laudem creati ſumus.

33. QUARTUM argumentum eſt in his verbis v. 17. *Eſtq; ipſe ante omnia:* nempe non tantùm dignitate & officii honorisq; prærogativâ, quâ nobis prælatus eſt, ſed etiam tempore; *ante omnia*, nempe quæcunque creata ſunt: quum enim dicit *omnia*, palàm eſt hoc

dici excepto Patre, à quo genitus est, & Spiritu Sancto qui creatus non est. Sensus est igitur: sempiternus est, per generationem æternam sunt anni ejus, antè quàm terram fundasset & opus manuum ejus essent cæli Psal. 102. v. 25. & 26. Jehova possidebat eum principio viæ suæ, ante opera sua, ante tēpus, antę principium, ante primordia terræ: Quum nullæ essent abyssi, genitus erat; quum nulli essent fontes graves aquis. Quum nondum factum esset, ut montes demersi incumberent terræ, ante colles genitus erat. Adhuc non fecerat terram, aut rura: imò principium, pulveres orbis habitabilis. Prov. 8. v. 22. & sequentibus.

34. Syllogismus est:

Qui ante omnia est, in eo redemtionem habemus:
At Jesus Christus est ante omnia: Ergo, &c.

35. Major certissima est: nam,

Qui nobis æternitatis autor est, in eo redemtionem habem⁹: At q ante omnia est, nobis æternitatis autor est: Ergo q ante omnia est, in eo redemptionē habem⁹.

36. QUINTUM argumentum continetur in his verbis: *& omnia per eum consistunt.* Sensus est; non tantùm omnia Filius creavit, sed etiā portat, sustentat, alit, conservat omnia verbo illo suo potente Hebr. 1. v. 3. Non enim est ut architectus, qui postquam domum vel navem ædificavit, relinquit eam & non ampliùs curat aut exstructam conservat: sed perpetuò providentiâ suâ & curâ saluti & conservationi rerum creatarum prospicit.

37. Syl-

37. Syllogismus igitur est:

Per quem omnia consistunt, in eo redemtionem habemus:

At per Christum omnia subsistunt:

Ergo in eo redemtionem habemus.

CONSECTARIA.

38. Quapropter etiam sufficiens, certa ac stabilis est nostra redemtio, quæ tam firmo fundamento nititur.

39. Nam *redemtio quæ est in sanguine ejus qui non merus homo, sed simul verus naturâ Deus est, non potest non esse sufficiens, certa ac stabilis.*

At nostra redemtio est in sanguine Christi, qui nõ merus homo, sed simul verus naturâ Deus est.

Ergo redemtio nostra quæ est in sanguine Christi est sufficiens, certa ac stabilis.

40. Christum non esse merum hominem, sed simul verum naturâ Deum, eadem argumenta quinq; demonstrant.

41. Sequitur etiam, nos habere Regem Deum, quia Christus, in cujus regnum Pater nos transtulit, est Deus.

42. Sequitur, sanguinem quo sumus redemti, esse sanguinem Dei. Quò referri debet quod Paulus ait Actor. 20. v. 28. *Attendite igitur vobis ipsis & toti gregi, in quo vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos ad pascendum Ecclesiam Dei, quam suo illo sanguine acquisivit.*

CHRISTO DOMINO SIT GLORIA.

THESIUM ANALYTICARUM

Quibus epistola Pauli Apostoli ad Colossenses explicatur

Ab

AMANDO POLANO A POLANSDORF propositarum

PARS QUINTA

in qua

Die 19. Aprilis, DOMINO JESU benedicente, opponentibus respondit

SIMON GARNIERIUS GENEVENSIS.

Anno clɔ lɔ cIV.

ILLUSTRI ET GENEROSO
DOMINO
D. JAROSLAO LIBERO BARONI
A SMIRZICZ, &c.

Gratiæ divinæ incrementa ex animo precatur

AMANDUS POLANUS
A POLANSDORF.

David rex & Propheta, qui vir secundùm cor Dei fuit, Psal. 130. v. 7. & 8. ait; Exspectationem habeat Israël in Jehova: quia apud Jehovam est benignitas, & plurimum apud eum redemtionis. Et ipse redimet Israëlem, ab omnibus iniquitatibus ejus. *Quibus verbis hortatur fideles ad fiduciam in Jehova ponendam, fulciens hortationem laude benignitatis Jehovæ & promissione redemtionis per Christum Jehovam perficiendæ. De illius complemento ut cæteri Apostoli & Euangelistæ, ita etiam beatus Paulus in epistola ad Colossenses præclarè concionatur; quemadmodum tum ex præcedente tum ex hac disputatione liquet, quam tibi, Illustris & Generose Dn. Baro, inscribere volui, tum ut aliquod mei in te amoris cum observantia conjuncti argumentum tibi præberem, tum ut te veræ pietatis & virtutis stadium ingressum accessione meæ quoque vocis confirmarem, quum alioquin domesticus hortator tibi non desit Vir ornatissimus & doctissimus D. Casparus Dornavius, cujus institutione fida præclaros in bonis literis progressus fecisti, quorum specimen insigne in Oratione de Concordia in cœtu frequentissimo instituta, non ita pridem exhibuisti, ut de privatis exercitiis nihil addam. Perge igitur, ut cœpisti præclarè, Generose Baro, & in amore sincero Christi Redemtoris nostri*

unici, in vera ac minimè fucata pietate, in virtutis studio indefesso crescе & perseverа. Benignissimus Pater cælestis velit æquare tuæ vitæ spacia cum iis bonis, quæ in te summa contulit, & quemadmodum Illustri ac Magnifico Dn. parenti tuo ac toti inclytæ familiæ, ita etiam nominatim tibi è cælis abundè benedicere. Perscriptum Basileæ, die 12. Aprilis, Anno reparatæ salutis Mundi 1604.

THESIUN ANALYTICARUM IN EPISTOLAM PAULI ad Colos. senses

PARS QUINTA.

Thesis I.

PRAECEDENTE disputatione proposita sunt quinque argumenta, quibus Apostolus probat in Jesu Christo nos habere redemtionem eamque sufficientissimam, quæ petita sunt ex consideratione personæ Christi, ut is est verus Deus naturâ: sequuntur alia quæ suppeditat consideratio ejusdem personæ Christi ut est Mediator καὶ ἄνθρωπος, quæ sunt itidē numero quinque.

2. PRIMUM est in his verbis versus 18. καὶ αὐτός ἐστιν ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας, *& ipse est caput illud corporis Ecclesiæ:* Quæ priùs declaranda sunt, deinde exstruenda ex illis demonstratio.

3. CAPUT

3. CAPUT ECCLESIAE dicitur secundùm Scripturas duobus modis; *Communiter* & *singulariter*.

4. *Communiter* caput Ecclesiæ, ut & rerum creatarum omnium, est DEUS Pater, Filius & Spiritus S. in unitate essentiæ Deus unus, qui naturali dominio omnibus præest rebus, dás omnibus halitum & vitam & omnia: & in potestate sua habens & liberè gubernans omnia. Sic idem Deus Pater, Filius & Spiritus S. est ratione communi Dominus etiam Ecclesiæ, dominio naturali.

5. *Singulariter* caput Ecclesiæ est JESUS CHRISTUS, quatenus ut Mediator Ecclesiæ ἀνθρωπος ei præest, non communi ratione naturalis dominii, sed divina ordinatione gratię illius salutaris, quæ nobis Christo Capiti unitis per Spiritum S. est vitæ æternæ causa. Act. 2. 36. Ephes. 1. 22. quâ gratiosâ Oeconomiâ atq; ordinatione etiam Deus Pater est caput Christi 1. Cor. 11. 3.

6. In Patrum verò Ecclesiasticorum scriptis præter hos duos modos caput Ecclesiæ dicitur adhuc dupliciter, *typicè* & *metaphoricè*.

7. *Typicè* Ecclesiæ caput fuit Pontifex summus Aaronicus in veteri Testamento, non autem formaliter; ut typus Christi capitis formalis.

8. *Metaphoricè* Petrus Apostolus interdum vocatur caput, sed non à Scriptura divina, verùm, ut jam dictum, à Patribus quibusdam,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0105
DFG

Deinde non formaliter, singulariter vel analogicè, sed tantùm metaphoricè vocatur caput. Tum non solus, sed communiter cum aliis Apostolis ita vocatur: sicut & columna Ecclesiæ dictus fuit, similiter non solus, sed communiter cum aliis Apostolis Gal. 2.v.9.

9. *Metaphoricè* etiam quilibet Pastor seu Episcopus Ecclesiæ illius particularis cui præfectus est legitimè, à Patribus interdum caput illius Ecclesiæ vocatur. Simili metaphorâ Ecclesia Antiochena κεφάλαιον τῆς οἰκουμένης ἁπάσης vocatur à Chrysostomo, ad populum Antiochen. hom. 3.

10. Sed nos in dogmatibus religionis Scripturam divinitus inspiratam ducè sequimur, in qua CHRISTUM qui Caput nostrum est loquentem audimus, Patrum verò sententias non nisi cum Scriptura Sacra congruentes approbamus, & contra Papistas, qui ipsis Patribus judicandi autoritatem deferunt, meritò allegamus.

11. Hoc in loco Pauli intelligitur Caput Ecclesiæ singulariter, quod est solus CHRISTUS, qui formaliter, seu formale & essentiale caput, hoc est, Dominus universę Ecclesiæ est, divinitate sua principaliter, humanitate autem velut essentiali instrumento Ecclesiam sibi unitam vivificans & regens.

12. Idem solus analogicè est caput Ecclesiæ: nam Christus ad Ecclesiam habet se analogicè. CHRISTUS enim MYSTICUS, id est, persona

persona Christi cum Ecclesia mysticè adunata analogiam habet unius personæ secundùm ordinationem gratiæ. 1.Cor.12.12.

13. Quę est ratio capitis & corporis naturalis : eadem est ratio & analogia capitis & corporis mystici. Ut caput corporis naturalis uniuscujusq; hominis est supra corpus & tanquam Dominus subjecti corporis, est in se perfectum, est in convenientia cum suo corpore bene ordinatum, & cum eo arctissimè conjunctum, ac propter hanc cõjunctionem arctissimam communicat cum corpore vitam, sensum ac motum, virtute nimirum & efficaciâ suâ singulis corporis membris influentiam vitæ, sensus, & motus suppeditans per singulas compages ipsius : Ita & Servator noster Jesus Christus est supra Ecclesiam ut DOMINUS illius Ephes 1.22. & perfectione sua in se, & ordine ad membra corporis, & arctissima conjunctione cum Ecclesia communicat cum illa quicquid ad salutem ejus requiritur, virtute atque efficacia sua intus agente, universum corpus Ecclesię & singula membra illius vivificans, fovens, nutriens & conservans, ut in ipsum adolescamus, donec evadamus omnes in unitate fidei & agnitionis ipsius in virum adultum, ad mensuram staturę perfecti Christi. Ephes.4.v.13.

14. CORPUS Christi dicitur hoc loco Ecclesia non *naturale corpus*, quod ipse de Spiritu Sancto conceptum, ex Maria Virgine assum-

sit & sibi personaliter univit: sed *corpus mysticum*, quod ex ipso congruenter coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente pro mensura uniuscujusq; membri, incrementũ capit corpori conveniens ad suiipsius exstructionem per charitatem. Ephes. 4. 16.

15. Ut enim corpus humanum subjectum est capiti: sic Ecclesia Christo Domino subjecta est Ephes. 5. 24. Ut corpus humanum unitum est capiti suo: sic Ecclesia Christo Capiti suo unita est. Ut corpus humanum accipit à capite suo vitam, sensum ac motum corporalem: ita Ecclesia accipit à CHRISTO vitam, sensum ac motum spiritualem. Ut corpus humanum est complementum capitis: ita Ecclesia est complementum Christi. Ephes. 1. 23.

16. Unde Christus & Ecclesia ei conjuncta est analogicè una persona, id est, velut unus homo qui est Christus mysticus, ut paulò antè dictum est.

17. Corpus autem Christi mysticum appellatur tum Ecclesia Catholica tota, triumphans nempe quæ ex Angelis sanctis & hominibus in cælum jam translatis constat, & militans in his terris sub vexillo Christi: tum quælibet pars Ecclesiæ militantis.

18. Quælibet enim particularis Ecclesia Christi orthodoxa atque pura, ut templum, tabernaculum, domus, civitas, hæreditas, regnum & peculium Dei, sponsa item & uxor Christi

Christi, & mater fidelium appellatur: ita etiam corpus Christi nominatur; quemadmodum nomen totius similaris tribuitur cuilibet parti similari.

19. Proinde Christus caput est tum sanctorum Angelorum, tum electorum hominum, quibus simul divina sua virtute præest, & quos arcana efficacitate Spiritus sui vegetat & fovet instar corporis sui.

20. Declaratis Pauli verbis, subjicio jam demonstrationem:

Qui est caput illud corporis Ecclesiæ, in eo redemtionem habemus:

Filius Dei Jesus Christus est Caput illud corporis Ecclesiæ.

In ipso igitur redemtionem habemus.

21. Consectaria hujus demonstrationis:

I. Solum Jesum Christum esse caput universæ Ecclesiæ Christianæ singulariter. Hic honor nulli puræ putæ creaturæ competit, nulli Prophetę, nulli Apostolo, ne quidē Petro, ne quidem Deiparæ Virgini Mariæ, imò ne quidem ulli creato Angelo.

II. Quisquis hominum sibi honorem illū sumit qui solius Jesu Christi est, is Antichristus est: Jam quisquis sese prętер Jesum Christum pro capite universę Christianę Ecclesię gerit, hoc est, pro summo Doctore atque Propheta, pro summo Pontifice, pro Domino & Monarcha universę Ecclesię Christianę vult haberi, efferens se supra Imperatores, Reges,

Principes & alios Magistratus politicos, &c. is sibi honorem illum sumit qui solius Jesu Christi est: Ergo quisquis sese præter JESUM CHRISTUM pro capite universæ Christianæ Ecclesiæ gerit, hoc est, pro summo Doctore atque Propheta, pro summo Pontifice, pro Domino & Monarcha universę Ecclesię Christianæ vult haberi, efferens se supra Imperatores, Reges, Principes & alios Magistratus politicos, &c. is profectò est Antichristus ille. Hanc demõstrationem fictitia & seipsam destruens distinctio capitis principalis & ministerialis minimè labefactat: Quemadmodum gubernator in regni parte aliqua constitutus, si præter Imperatorem aut Regem, qui solus universi Imperii aut regni caput est, ipse etiam pro universi Imperii seu regni capite haberi vellet, à quo cæteris gubernatoribus & subditis omnibus esset pendendum; procul dubio adversarium Imperatoris aut Regis facto ipso se declararet, etiamsi verbis profiteretur, se ministeriale duntaxat caput universi Imperii seu regni esse. Domitianus tyrannus & persecutor Ecclesiæ, Colosso Romæ caput ademit, & suum imponi fecit: Domitiani imitator est, quisquis post Christum pro capite Ecclesiæ universæ haberi vult.

III. Quicunq; unico capite Christo contenti non sunt, sed aliud præter & post Christum caput sibi imponunt, ii corpus Christi non sunt, ii Ecclesia Christi non sunt. Unius

corporis

corporis unum caput esse necesse est, nō duo: Ecclesia autem unum corpus est: Ecclesię igitur unum caput esse necesse est.

IV. Sine Christo Ecclesia non potest vivere, non potest spiritualiter crescere, non potest facere quicquam boni: quia ipse est caput Ecclesiæ, à quo vitam, à quo incrementum, à quo facultatem operandi bonum illa accipit.

22. SECUNDUM argumentum est in his verbis: ὅς ἐστιν ἀρχή, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, *qui est principium, primogenitus ex mortuis.* Hujus etiam argumenti verba priùs declaranda sunt: deinde ex illis demonstratio texenda.

23. Ἀρχὴ *Principium* hoc loco significat eum qui initium viventium factus est, quoniam primus Adam initium morientium factus est, ut explicat Irenæus libro tertio adversus hæreses, cap. trigesimo tertio. Quemadmodū Paulus vocat ἀπαρχὴν 1. Cor. 15. 20. & Chrysostomus legit homiliâ tertiâ in epist. ad Colos. hoc loco ἀπαρχὴν, id est, primitias, ut sit alluſio ad primitias, quarum oblatio totam reliquam massam sanctificabat; ita Christus nos omnes in se sanctificavit, quemadmodum nos omnes in se sacrificium Patri obtulit. Paulus 1. Cor. 15. 20. ait, *Nunc autem Christus suscitatus est ex mortuis: & primitiæ eorum qui obdormierunt factus est. Quia enim per hominem mors, per hominem quoq; resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem suo ordine: primitiæ*

Christus postea qui sunt Christi, in adventu ipsius.

24. *Primogenitus ex mortuis* dicitur Christus hoc loco, ut & Apocal. 1. v. 5. propter sequentes rationes: *primò*, quia ipse solus virtute propria resurrexit, non autem alienâ, sicut illi qui ante vel post ipsum resurrexerunt, quò pertinet locus insignis Joh. 10. v. 17, 18. Unde patefactum & demonstratum est, ipsum verè esse Filium illum Dei ab æterno genitum ex Patre, Psal. 2. v. 7. Actor. 13. 33. Rom. 1. v. 4. *Secundò*, quia ipse primus ad cælestem, immortalem, incorruptibilem & semper duraturam vitam resurrexit, nullius dum ad immortalem & incorruptibilem vitam factâ resurrectione, præterquam ipsius, ut dicitur libro Responsionum & quæstionum ad Orthodoxos, adjuncto Justino Martyri, respons. ad quæst. octogesimam quintam. Quicunq; ante & post resurrectionem Christi ex mortuis excitati sunt, ad hanc animalem & naturalem & brevem vitam excitati & rursus mortui sunt. *Tertiò*, quia pro nobis susceptâ morte atque abolita, primus inter homines sic resurrexit, ut pro nobis corpus suum excitaverit; quo excitato nos quoque deinde ab illo & per illum excitamur ex mortuis: ut explicat Athanasius tomo primo, oratione tertia contra Arianos paginâ ducentesimâ trigesimaquartâ, Editionis Commelinianæ. Unde est ἀρχηγὸς τῆς ἀναστάσεως ἡμῶν *dux resurrectionis nostræ*, ut loquitur Justinus Martyr Quæstion. Græcar. Confutatione

futatione pag. centes. sexages. tert. Edit. Com. & quia est autor atque causa resurrectionis & vitæ nostræ, virtute ejus participes simus utriusque resurrectionis tum primæ quæ est à morte peccati ad vitam novam & spiritualem regeneratis convenientem. Apocal. 20. v. 5. 6. Joh. 5. v. 25. Rom. 6. v. 4, 5, 11. Ephes. 2. v. 1, 5, 6. Gal. 2. 20. Coloss. 2. v. 12. tum secundæ resurrectionis quæ erit corporum ex pulvere terræ in extremo die ad vitam æternam. Joh. 5. v. 28, 29. & cap. 6. v. 39, 40. 1. Cor. 15. v. 12. & sequentibus.

25. Declarationi demonstrationem subjicio.

Qui est principium in quo nos sanctificati sumus & primogenitus ex mortuis, qui solus virtute propria ad immortalem vitam resurrexit, nobis causa resurrectionis & vitæ factus; in eo profectò redemtionem habemus:

At Filius Dei est principium in quo nos sanctificati sumus & primogenitus ex mortuis, qui solus virtute propria, ad immortalem vitam resurrexit, nobis causa resurrectionis & vitæ factus: Ergo, &c.

26. Amplificatur hoc argumentum à fine: ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων, *ut in omnibus primas teneat*, hoc est, ut mortuis ac viventibus dominetur. Rom. 14. 9.

Ut in generatione primus est, quia ab æterno genitus ex Patre; ita in Ecclesia primus est, quia caput illius est; ita quoq; primus est in resurrectione; primatū ergo habet in omnib.

Eundem primatum habet inter omnes & super omnes Angelos & homines, omnibus illis naturâ, potentiâ, dignitate & officio superior.

27. Consectaria hujus demonstrationis.

I. Christum esse excellentiorem Adamo, Abrahamo, Davide, atq; adeò omnibus creaturis.

II. Christum peculiari & aliis nequaquá communi ratione ex mortuis resurrexisse, nimirum ut principem vitæ, ut primogenitum inter multos fratres, ut primitias resurgẽtium ex mortuis.

III. Nos emtos esse ex hominibus, primitias Deo & Agno sacras. Apocal. 14.v.4.

IV. Nos confirmandos esse imagini Filii Dei, ut is sit primogenitus inter multos fratres. Rom. 8.29.

V. Nos in Christo juris primogenituræ participes factos, & cooptatos in Ecclesiam primogenitorum qui conscripti sunt in cælis. Hebr. 12.v.22,23.

28. TERTIUM argumentũ continetur in his verbis; ὅτι ἐν αὐτῷ εὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι: *Quoniam in eo placuit [Patri] ut omnis plenitudo inhabitaret.* Cùm dicit Paulus, *in eo placuit*, docet, non aliam causam esse cur plenitudo omnis inhabitet in Christo, quàm Dei beneplacitum.

29. *Omnis plenitudo* autem hîc intelligitur ut Deitatis ex cap. 2.v.9. ita & omnium thesauro-

saurorum cognitionis & sapientiæ, eodem cap. 2. v. 3. dignitatis & honoris, bonorumque omnium divinorum & cælestium quibus nobis opus est ad salutem.

30. Unde sequitur, Christum nullis virtutibus, nullis operibus suis promeritum fuisse, ut in ipso utero materno à primo momento conceptionis fieret secundùm humanam naturam Filius Dei, caput Angelorum & hominum, lux, justitia, vita & salus mundi. Gratis tanto honore fuit donatus, ut alios postea faceret donorum suorum consortes itidem gratis, absque ullis eorum meritis. Caput ipsum nõ ex merito, sed ex ἀδωρία Patris cælestis gratis honorem istum consecutum est, ut secundùm humanitatem esset Filius Dei: multò minùs membra meritis suis obtinuerunt, ut filii Dei & hęredes essent. De Capite Christo prę-clarè *Augustinus* tomo septimo, libro de bono perseverantiæ, cap. ultimo. *Oremus dilectissimi, oremus, ut Deus gratiam det etiam inimicis nostris, maximeq; fratribus & dilectoribus nostris, intelligere & confiteri post ingentem & ineffabilem ruinam quâ in uno omnes cecidimus, neminem nisi gratiâ Dei liberari, eamq; non secundùm merita accipientium tanquam debitam reddi, sed tanquam veram gratiam nullis meritis præcedentibus gratis dari. Nullum autem est illustrius prædestinationis exemplum quàm ipse Jesus: Unde & in primo libro jam disputavi, & in hujus fine commendare delegi. Nullum est, inquam, illustrius prædestinationis exem-*

plum quàm ipse Mediator. Qui ſquis fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipſum, atq; in illo inveniat & ſeipſum: Fidelis, inquam, qui in eo veram naturam credit & confitetur humanam, id eſt, noſtram, quamvis ſingulariter ſuſcipiente Deo Verbo, in unicum Filium Dei ſublimatam, ita ut qui ſuſcepit & quod ſuſcepit, una eſſet in Trinitate perſona. Neq; enim homine aſſumto quaternitas facta eſt, ſed trinitas manſit, aſſumtione illa ineffabiliter faciente perſonæ unius in Deo & homine veritatem. Quoniam nō Deum tantùm dicimus Chriſtum, ſicut hæretici Manichæi: nec hominem tantùm ſicut hæretici Photiniani: nec ita hominem ut aliquid minus habeat, quod ad humanam certum eſt pertinere naturam: ſive animam, ſive in ipſa anima mentem rationalem, ſive carnem, nō de femina ſumtam, ſed factam de Verbo in carnem converſo atq; mutato, quæ omnia falſa & vana, hæreticorum Apollinariſtarum, tres partes varias diverſasq; fecerunt: Sed dicimus Chriſtum Deum verum, natum de Deo Patre ſine ullo initio temporis, eundemq; hominem verum, natum de homine matre certa plenitudine temporis, nec ejus humanitatem, quâ minor eſt Patre, minuere aliquid ejus divinitatem, quâ æqualis eſt Patri: hoc autem utrumq; unus eſt Chriſtus, qui & ſecundùm Deum veriſſimè dixit: Ego & Pater unum ſumus, & ſecundùm hominem veriſſimè dixit: Pater major me eſt. Qui ergo hunc fecit ex ſemine David hominem juſtum, qui nunquam eſt injuſtus ſine ullo merito præcedentis voluntatis ejus, ipſe ex injuſtis facit juſtos ſine ullo merito præcedentis voluntatis ipſorum, ut ille Caput, hi membra ſint ejus

ejus. Qui ergo fecit illum hominẽ sine ullis ejus præcedentibus meritis, nullum quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum: ipse nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum. Qui fecit eum talem ut nunquam habuerit habiturus voluntatem malam, ipse fecit in membris ejus ex mala voluntate bonam. Et illum ergo & nos prædestinavit, quia in illo ut esset Caput nostrum, & in nobis, ut ejus corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præscivit. Qui legunt hæc, si intelligunt, agant. Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent ut eorum ille sit Doctor interior, à cujus facie est scientia & intellectus. Qui verò errare me existimant, etiam atq; etiam diligenter quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent. Ego autem cùm per eos qui meos labores legunt, non solùm doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco: & hoc per Ecclesiæ Doctores maximè exspecto, si & in ipsorum manus venit, dignenturq; nosse quod scribo. Eodem tomo, lib. de Correptione & Gratia, capite undecimo: *Deus ergo naturã nostram, id est, animam rationalem carnemq; hominis Christus suscepit, susceptione singulariter mirabili, vel mirabiliter singulari, ut nullus justitiæ suæ præcedentibus meritis Filius Dei sic esset ab initio quo esse homo cœpisset, ut ipse & Verbum quod sine initio est, una persona esset. Neq; enim quisquam tantâ rei hujus & fidei cæcus est ignorantiâ, ut audeat dicere, quamvis de Spiritu Sancto & Virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene*

vivendo & sine peccato bona opera faciēdo meruisse, ut esset Dei Filius, resistente Euangelio atq; dicente. Verbum caro factum est. Nam ubi hoc factum est, nisi in utero virginali, unde fuit initium hominis Christi? Itemq; virgini requirenti quomodo fieret quod ei per Angelum nunciabatur Angelus respondit, Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, propter hoc, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Propterea, inquit, non propter opera, quæ nondum utiq; nulla sunt, sed propterea quia Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Ista nativitas profectò gratuita conjunxit in unitate personæ hominem Deo, carnem Verbo. Istam nativitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt.

31. Hinc talis demonstratio exstruitur:

In quo placuit Patri, ut omnis plenitudo inhabitaret, in eo habemus redemtionem:

At in Filio Dei placuit Patri ut omnis plenitudo inhabitaret: Ergo in Filio Dei habemus redemtionē.

32. Consectaria.

I. Fundamentum excellentiæ nostræ est εὐδοκία, hoc est, beneplacitum Dei. Nam si fundamentum dignitatis Capitis nostri est beneplacitum Dei, tum profectò etiam membrorum Christi honor & felicitas omnis benevola voluntate Dei nititur, non ipsorum meritis. Si Christus Caput nostrum nullis suis meritis, sed gratis obtinuit ut secundùm humanam naturam Filius Dei esset: quanto minùs

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0118
DFG

nùs nos qui membra ejus sumus, meritis nostris consequimur, ut Filii & hæredes Dei simus? Beatus est qui hoc intelligit & toto corde credit.

II. Qui in hac vita non obtinet quę optat, acquiescat beneplacito Dei quo omnia & singula unicuiq; decreta sunt & dantur.

33. QUARTUM argumentum est in his verbis vers. 20. καὶ δι αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτὸν, εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, δι αὐτοῦ, εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. hoc est. *Et per eum reconciliare omnia sibi, pace facta per sanguinem crucis ejus, per eum* (inquam), *tum quæ in terra, tum quæ in cælis.* Declarandum est priùs hoc argumentum, deinde Syllogismus demonstrativus ex eo exstruendus. Ductum est ab effecto Filii Dei, quia per eum omnes electi sunt Deo Patri reconciliati.

34. Reconciliationis hujus indicátur *causæ efficientes, subjectum, definitio. Causa efficiens princeps* est Deus Pater per Filium suum per quem nos sibi reconciliavit. *Causa* προηγουμένη est εὐδοκία Patris: nam verbum infinitum ἀποκαταλλάξαι regitur & pendet à præcedente verbo εὐδόκησε: unde colligimus, reconciliationẽ nostram cum Deo ab ejus εὐδοκίᾳ, hoc est, beneplacito proficiscì & pendere. *Causa meritoria* seu προκαταρκτικὴ est sanguis Filii Dei, sed sanguis crucis, hoc est, cum maledictione divina conjunctus, juxta illud, Maledictus qui pendet in ligno.

35. *Subjectum* reconciliationis duplex intelligitur, ᾧ & ὃ. *Subjectum* ᾧ id est, is cui reconciliati sumus est Deus Pater; qui nos reconciliavit SIBI. ἑαυτῷ enim idem est quod ἑαυτῷ, sicut locus παρεμβολὴ ostendit 2. Cor. 5. v. 19. Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Ita principium reconciliationis fuit à parte offensa. *Subjectum* ὃ, id est, ii quos sibi Pater reconciliavit sunt omnes electi homines tum qui adhuc in terris sunt & erunt usque ad seculi consummationem, tum qui jam in cælis vivunt.

36. Quòd Apostolus neutro genere dicit τὰ πάντα, OMNIA, universali acceptione accommodata dicit, hoc est, ad certam universitatem, quæ propriè & revera ab Apostolo intelligitur, accommodatè restricta. Per OMNIA igitur hîc intelliguntur non omnes creaturæ, imò nec omnes creaturæ rationales; nam nec boni Angeli, nec dæmones hac particulâ comprehenduntur, quum illis in primigenia integritate ab initio per eundem Filium Dei confirmatis & persistentibus reconciliatione opus non fuerit, his verò destinata improbitate Filio Dei rebellibus reconciliatio promissa non sit; imò nec omnes & singuli homines, quũ super eos, qui Filio Dei non obtemperât, ira Dei maneat Joh. 3. v. 36. sed tantùm omnes electi homines in Filium Dei verè credêtes, qui simili Synecdoche *mundus* dicuntur 2. Cor. 5. v. 19. *Deus erat in Christo, mundum*

mundum reconcilians sibi, non imputando eis lapsus ipsorum.

37. Quapropter etiam distributio reconciliatorum è subjectis locis, quòd sint *tum in terra, tum in cælis*, non ad Angelos bonos, multò minùs ad Angelos malos, sed ad solos homines electos directè pertinet.

38. Quáquam negari non possit, Angelos bonos cũ hominibus electis per Christum esse unitos in unum corpus Ecclesiæ Catholicæ invisibilis, quemadmodum dicitur Hebr. 12. v. 22, 23. *Sed accessistis ad mõtem Sion & civitatem Dei vivi, Jerusalem cælestem & myriadas Angelorũ, conventum universalem & concionem primogenitorum qui conscripti sunt in cælis*; Sic ut beati Angeli agnoscant Christum pro Capite suo non tantùm secundùm divinam, verùm etiam secundùm humanam naturam, ut patet ex eo quod legitur Philipp. 2. v. 8. & sequentibus: tamen ipsi non sunt è numero illorum quos Pater sibi per sanguinem crucis Christi reconciliavit, pace inter se & illos facta, quâ nunquam exciderant. Reconciliationis cum Deo hæc *definitio* in verbis Apostoli traditur, quòd sit pacificatio inter Deum & electos homines per sanguinem crucis Christi. Virtute autem reconciliationis hujus, homines electi cum Angelis sub Christo reuniti fuerunt, à quibus antea per peccatum superati fuerant.

39. Subjicio jam demonstrationem:

Per quem placuit Patri sibi omnia reconciliare tum

quæ in terris tum quæ in cælis sunt, pace per sanguinem crucis ejus facta, in eo habemus redemtionem plenam & perfectam:

At per Filium Dei placuit Patri sibi omnia reconciliare tum quæ in terris tum quæ in cælis sunt, pace per crucem sanguinis ejus facta:

Ergo in Filio Dei redemtionem habemus plenam atq; perfectam.

40. Consectaria.

I. Fedus novum cum Deo seu novum Testamentum esse reconciliationem nostri cum Deo, pace inter ipsum & nos per sanguinem Christi facta.

II. Fedus seu Testamentum novum esse prorsus gratuitum nostri respectu: etsi Christi respectu pretium intervenerit, nempe sanguis ipsius loco nostro effusus.

41. QUINTUM argumentum comprehenditur v. 21. & 22. καὶ ὑμᾶς ποτε ὄντας ἀπηλλοτριωμένους καὶ ἐχθροὺς τῇ διανοίᾳ ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς, νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν, Ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ διὰ τοῦ θανάτου· παραστῆσαι ὑμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους καὶ ἀνεγκλήτους κατενώπιον αὐτοῦ. h. e. *Et vos quum eratis quondam abalienati & hostes mente operibus malis* dedita, *nunc sanè reconciliavit, In corpore illo carnis suæ, per mortem: ut sisteret vos sanctos & inculpabiles & irreprehensibiles in conspectu suo.* Verba Apostoli priùs declaranda, deinde ex illis demonstratio proponenda. Paulus à thesi ad hypothesin descendens generalem de reconciliatione omnium electorum hominum cum Deo doctrinam

nam Colossensibus accommodat, ut constet omnes fideles & electos Dei nō solùm ex Judæis, verùm etiam ex Gentibus in Christo redemtionem plenam ac sufficientem habere, sic ut nulla re alia extra Christum ad redemtionem sui opus habeant.

42. Ad hujus verò argumenti evidentiam comparatione utitur, quâ ostendit, quàm infelici & miserâ cōditione Gentiles fuerint ante regenerationem ipsorum, & quàm felici & bonâ conditione sint post regenerationem.

43. Priorem conditionem infelicem & miseram declarat duobus argumentis ductis à Gentilium adjunctis: *Primum* est, quòd fuerint ἀπηλλοτριωμένοι, hoc est, abalienati. Non fuerunt ἀλλότριοι, id est, alieni: quia novit Dominus eos qui sunt sui 2. Tim. 2. ver. 19. electos in Christo ante jactum mundi fundamentum Ephes. 1. v. 4. & amatos æterno atq; immutabili amore. Joh. 3. v. 16. Roman. 5. v. 8. 1. Joh. 4. vers. 9. & 10.

44. Sed ἀπηλλοτριωμένοι id est, abalienati. Deus enim se non abalienavit ab electis hominibus, sed ipsi se abalienarunt à Deo, deficientes ab eo per peccatum, sicut dicitur Jesa. 59. v. 1. & 2. *En non est brevior manus Jehovæ quàm ut servet: neq; gravior auris ejus, quàm ut audiat: sed iniquitates vestræ disterminant inter vos & Deum vestrū, & peccata vestra faciunt ut occultet faciem à nobis, ne exaudiat.*

45. Abalienatio ista quid in se comple-

ctatur, docet Paulus Ephes. 2. v. 11. & 12. cùm ait: *Mementote, vos quondam Gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ vocatur Circumcisio manibus in carne facta: Vos, inquam, illo tempore fuisse absq; Christo, abalienatos à politia Israëlis, & extraneos à pactis promissionis, spem non habentes & absq; Deo in mundo.* Ac proinde *abalienati à vita Dei* Ephes. 4. vers. 18 hoc est, quâ Deus vivit in suis, quamq; præcipit & approbat.

46. *Secundum* documentum infelicis & miseræ conditionis Gentilium ante regenerationem ipsorum est, quòd *fuerint hostes Dei mente operibus malis dedita.* Gradatio quædam est in recensendis miseriæ Gentilium ac proinde omnium non regenitorum documentis. Primus gradus miseriæ ipsorum erat, quòd fuerunt abalienati à Deo: alter & quidem altior est, quòd fuerũt hostes Dei. Hic secundus gradus necessariò primum sequitur: non potest quisquam abalienatus esse à Deo, quin sit hostis Dei, sicut Christus ait Matth. 12. v. 30. *Qui non est mecum, adversum me est: & qui non colligit mecum, dispergit.*

47. Alterum hoc documentum amplificatur, indicatione tum subjectæ sedis, tum effectorum inimicitiæ cum Deo.

48. Sedes ac veluti arx inimicitiæ hominum cum Deo est potissimùm διάνοια, hoc est, mens humana seu ratio, nempe suprema ac præstantissima animæ humanę facultas, facultatum aliarum domina ac dux, quæ intelle-

ctum

ctum & voluntatem complectitur, quâ intelligimus & ratiocinamur, quâ eligimus & volumus. Inimicitia autem ista ortum habens à mente, totum hominem, id est, tam animam quàm corpus pervasit, sic ut nihil sit in homine non regenerato quod inimicitiâ cum Deo non exerceat. Rom. 8. 7.

49. Effecta inimicitiæ cum Deo sunt opera mala, interna & externa, quæ ex mente veluti ex arce erumpunt, & quæ per reliquas animæ facultates & organa corporis perficiuntur.

50. Errant proinde quicunq; tantùm inferiores animę facultates sedem corruptionis & pravitatis nativæ constituunt, mentem seu rationem ab ea eximentes. At quicquid est arx, caput & fons inimicitiæ adversus Deum, ibi profectò corruptio cõgenita potissimùm regnat. Jam verò mens seu ratio hominum non regenitorum est arx, caput & fons inimicitiæ adversus Deum. Proinde in mente seu ratione hominum non regenitorum potissimùm corruptio nativa dominatur.

Hæc de misera conditione Gentilium ante regenerationem.

51. Felix & bona conditio eorundem post regenerationem, declaratur eò quòd sint reconciliati cum Deo.

52. Reconciliationis indicatur *tempus, adjuncta certitudo, causa efficiens principalis, modus & finis proximus.*

53. *Tempus* reconciliationis innuitur particulâ NUNC, quum ait Paulus, *nunc sanè reconciliavit.* Nam etsi Christus merito suo nos reconciliavit in cruce: tamen efficaciâ suâ nos reconciliat quum per Euangelium vocatos & fide salvifica donatos justificat coram tribunali Dei.

54. *Adjuncta certitudo* reconciliationis insinuatur particula *sanè*: nam in textu Græco δὲ positum est pro δή.

55. *Efficiens reconciliationis causa* seu persona reconcilians hîc statuitur Filius Dei: quia additur quòd nos reconciliaverit *in corpore illo carnis* SUAE: quod non potest nisi de Filio, qui solus incarnatus est, intelligi. De Patre priùs locutus est Apostolus, quòd nos sibi reconciliaverit, quia Pater est fons omnium essentialium operum divinorum & beneficiorum quæ in Ecclesiam collata sunt: nunc Filium Dei reconciliatorem nostrum esse dicit, quo ostendit, illum in opere reconciliationis non tantùm passum esse, sed etiam egisse; non tantùm sacrificium, sed etiam Sacerdotem seu Pontificem fuisse seipsum sacrificantem per Spiritum æternum.

56. *Modus* reconciliationis duabus partibus comprehenditur: assumtione humanæ naturæ & morte.

57. Cùm Apostolus ait, quòd Filius Dei nos reconciliaverit in corpore illo carnis suæ, συνεκδοχικῶς intelligit assumtionem naturæ nostræ,

ſtræ, & in ea obedientiam quà Legi toti ſatisfecit ad extremum uſq; apicem.

58. *Corpus carnis* ideo vocat, non quòd aliud corpus Filius Dei habuerit olim, quàm nunc habeat, quod ad ſubſtantiam attinet; neque quòd phantaſticum ſeu imaginarium, Mathematicum aut majeſtaticum corpus ſibi aptaverit: ſed tum quòd verum corpus humanum habeat, carne, ſanguine, oſſibus aliiſque veri humani corporis partibus conſtans & animâ humanâ animatum & noſtrorum corporum, quod ad ſubſtantiam attinet, proſus ſimile: tum quòd corpus illud obnoxium fuit infirmitati naturali, cui & nos obnoxii ſumus, excepto peccato; quæ tamen infirmitas ipſius reſurrectione gloriosâ fuit ſublata, quêadmodum etiam in nobis, qui communionem cum eo habemus, noſtra reſurrectione ad vitam æternam terminabitur, ut Apoſtolus declaravit 1. Cor. 15.

59. Altera pars modi reconciliationis noſtræ cum Deo, fuit mors Chriſti quæ eſt veluti colophon, conſummatio & complemẽtum obedientiæ ejus quà omnem juſtitiam implevit, non tantùm omnia mandata Legis faciendo, verùm etiam pœnas peccatis noſtris debitas ſufficientiſſimè perſolvendo.

60. Ita autor reconciliationis eſt Pater & Filius: Pater permanens in gloria ſua; Filius autem ſeipſum exinaniens corpore carnis aſſumto & morte loco noſtro obita.

61. *Finis proximus* reconciliationis cum Deo est, ut Filius Dei *sisteret nos sanctos & inculpabiles & irreprehensibiles in conspectu suo:* Quod non potest intelligi aliter nisi de imputatione sanctitatis & justitiæ Christi: nam in hac vita non sumus in nobis ipsis ita sancti & justi, ut inculpabiles simus; quia *sumus ut immundus omnes nos & sicut panniculus menstruatus omnes justitiæ nostræ.* Jesa. 64. v. 10. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est.* 1. Joh. 1. 8. At ubi peccatum est, ibi culpationis & reprehensionis materia est. In Christo autem sumus sancti & inculpabiles & irreprehensibiles in conspectu ejus, imputatâ nobis gratiosè ejus sanctitate & justitiâ: talesq; nos sibi Christus sistit in conspectu suo non solùm dum in hac vita versamur, verùm etiam in adventu suo ad judicium universale; siquidem propter eandem Christi justitiam quæ nobis hîc imputatur per fidem operibus charitatis, qualia Matth. 25. commemorantur, declaratam hæredes vitæ æternæ pronunciabimur, non propter justitiam nobis inhærentem: ac proinde in extremo quoque judicio nos non in nobis ipsis, sed in se judex intuebitur. Quanquam autem in altera vita etiam in nobis ipsis sancti, inculpati & irreprehensibiles erimus abolito prorsus peccato: tamen propterea hæreditatem cælestem non consequemur.

62. Declarationi huic subnecto jam demonstrationem.

Qui

Qui etiam gentiles quondam abalienatos à Deo & hostes Dei mente operibus malis intenta, nunc reconciliavit in corpore illo carnis suæ per mortem, ut sisteret eos sanctos & inculpabiles & irreprehensibiles in conspectu suo; in eo profectò redemtionem habemus perfectam atq; sufficientem:

At Filius Dei etiam Gentiles quondam abalienatos à Deo & hostes Dei mente operibus malis intenta, nunc reconciliavit in corpore illo carnis suæ per mortem, ut sisteret eos sanctos & inculpabiles & irreprehensibiles in conspectu suo:

Ergo in Filio Dei redemtionem habemus perfectam atq; sufficientem.

63. Consectaria.

I. Non tantùm Ecclesiam Israëliticam, sed etiam ex Gentibus collectam esse per Christum reconciliatam cum Deo.

II. Non tantùm universalem Ecclesiam, verùm etiá quamvis particularem, & unumquemque verè fidelem reconciliationis cum Deo participem esse.

III. Certam atque indubitatam esse salutem nostram æternam, quæ reconciliatione tam efficaci nititur.

64. Tot igitur & tam efficacibus argumentis quæ duabus disputationibus tractavimus, Apostolus probat, in Filio Dei Domino nostro Jesu Christo nos habere redemtionem, eamq; perfectissimam & sufficientissimam, sic ut extra Christum nulla alia sit quærenda.

65. SPIRITUM SANCTUM unà cum Patre & Filio esse salutis nostræ æternæ causam, licet expresè Paulus hoc loco non dicat, alibi tamen non obscurè docet. Rom. 8. vers. 9. ait: *Si quis Spiritum Christi non habet, is non est ejus.* Ephes. 1. vers. 13, 14. *obsignati estis Spiritu illo promissionis Sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ, dum in libertatem vindicemur, ad laudem gloriæ ipsius.* Tit. 3. vers. 5, 6. *Non ex operibus justis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti: Quem effundit super nos copiosè per Jesum Christum Servatorem nostrum.* Plura non addo: Sed precor toto pectore Deum Patrem, ut nos in Filio suo Jesu Christo per Spiritus Sancti virtutem gratiosè conservet ad gloriam suam & salutem nostram æternam.

AMEN.

THE-

THESIUM ANALYTICARUM

Quibus Epistola Pauli ad Colossenses explicatur

Ab

AMANDO POLANO
A POLANSDORF

propositarum

PARS SEXTA

de qua

Die 19. Julii, DEO OPT. MAX. benedicente, interrogantibus respondit

M. PETRUS CHRISTIANUS
Mülhusinus.

Anno cIↃ IↃCIV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0131
DFG

ILLUSTRIBUS ET GENEROSIS DOMINIS

D. WOLFGANGO HENRICO ET D. JOH. WOLFARTO STREINIIS Baronibus Schwartzenaviis, &c.

AMANDUS POLANUS A POLANSDORF *gratiæ & pacis Christi incrementa precatur.*

VT regni cujusque terreni cives, si illud ab hoste oppugnatur, pro ejus conservatione militandum sibi esse judicant: ita etiam pro regno Christi verè fidelibus civibus ejus adversus Satanam, Mundum, Antichristum & hæreticos militandum esse Scripturæ divinitus inspiratæ docēt, præcepto & exemplis. Illud est 1. Tim. 6. 12. *Decerta præclarum illud certamen fidei, apprehende vitam æternam, ad quam & vocatus es.* & 2. Tim. 2. v. 3. *Tu igitur tolerans esto afflictionum ut bonus miles Jesu Christi.* Exemplum verò est in eodem Paulo 2. Tim. 4. v. 7. *Certamen illud præclarum certavi, cursum peregi, fidem servavi.* Et in turba illa innumerabili fidelium de quibus Apoc. 7. v. 14. *Hi sunt qui venerunt ex afflictione magna: & laverunt stolas suas, ac dealbarunt in sanguine Agni.* Hoc autem portēti instar est, quòd cùm ii qui pro regno terreno, hoc est, exigua terræ portione bellum gerunt, nō tantùm facultates, verùm etiam vitam ipsam cupidè impendant, sic ut gloriosum sibi ducant, si in acie moriantur; tanta in Christianis sit infirmitas, ut cùm pro regno Christi & fide decertandum est, quod fit liberè Christum confitendo coram persecutoribus, & constanter veritatem ejus tuendo, & falsam doctrinam atque idolo-

idololatriam, exemplo sociorum Danielis Christiana magnanimitate recusando, plerique omnes id facere reformident, vel metu amittendi gratiam collectam, aut pauculas opes terrenas, aut patriã, aut vitam hanc ærumnosam, vel ambitione & spe magnarum opum & dignitatum.

At verò, si milites, ut fidem Principi seu duci suo terreno servent, animosè hosti ejus resistunt, etiam cum vitæ periculo certissimo: multò magis constantiam cælesti nostro Principi CHRISTO in fide probare nos decet. Ad id passim nos Scripturæ Sacræ hortantur, è quibus argumenta nonnulla è Pauli Apostoli epistola ad Colossenses depromta proponimus hac disputatione, quam vobis, Illustres & Generosi Domini Barones inscribo, ut quantumvis in historicis viri reverendi D. D. Johannis Jacobi Grynæi lectionibus, quas sedulò frequentatis, talia & multa alia præclara audiatis, quamvis etiam domesticum formatorem & Ephorum habeatis virum præstanti eruditione & virtute prudentiâq; eximium Dn. Johannem Clementem juniorem Schmalcaldensem, qui salutari institutione & monitis vobis nequaquam deest: tamen ego quoque Christianum meum vobis officium & studium probem, & Paulinis argumentis ad constantiam in fide Euangelii Christi vos horter. Auditis procul dubio, qualia & quàm difficilia jam sint tempora, quibus multæ apostasiæ à fide Christi ad idololatriam Antichristi fiunt: contra scandala defectionum ejusmodi, ut animi vestri præmuniantur, etiam atque etiam necessarium est. Fides nostra quam in Euangelicis Ecclesiis profitemur, est verè sola Catholica, quia est illa ipsa fides quam Paulus, quam alii Apostoli per totum terrarum orbem annunciarunt, & quam omnes verè fideles ubique amplexi sunt & professi. Eam ex Euangelio JESU Christi didicimus, non aliunde: eam ut vos quoque constanter profiteamini, non tantùm æ-

quum est, verùm etiam vobis salutare. Quòd si exempla, quæ imitemini requiritis, non desunt vobis domestica, tum illustris Domini parentis vestri laudatissimæ memoriæ, Dn. REICHARDI STREINII, tum verò generosi & heroici avunculi & tutoris vestri Dn. GEORGII ERASMI à TSCHERNEMBL: illorum vestigiis insistite, illorum pietatem erga Deum sequimini. Quod superest, DOMINUM JESUM verum Deum & hominem supplex comprecor, ut vos tanquam plantulas quas plantavit benignissimus Pater cælestis, ipse clementer servet, magnisq; incrementis augeat, ut velut palmæ in domo Jehovæ semper floreatis. Basileæ die 9. Julii. Anno epochæ Christianæ 1604.

THESIS I.

HACTENUS de præcipua parte doctrinæ fidei Christianę, nimirum de principe causa efficiente salutis nostræ æternæ actum: sequitur de instrumentali, quæ est fides, de qua ita Apostolus agit, ut ad ejus constantiam horteturadversus persecutiones ab hostibus Euangelii Dei motas: quæ cõstantia primùm definitur, deinde magnis argumentis suadetur.

2. CONSTANTIA in fide Christi, est virtus divinitùs infusa, per quam permanemus in fide fundati & firmi, sic ut nullo modo nos dimoveri sinamus ab Euangelii, quod Apostoli annunciarunt, sancta professione.

3. Ex hac definitione colligimus

I. Fide-

I. Fideles, ut constantes sint, oportere esse fundatos, hoc est, exstructos velut ædificium super fundamentum solidè jactum.

II. Fundamentum super quod nos oportet ædificari, esse fidem: ἐπιμένετε τῇ πίστει τεθεμελιωμένοι. Cum quo consentit istud in epistola Judæ fratris Jacobi, v. 20. *Vos autem, dilecti, sanctissimæ vestræ fidei superstruentes vos ipsos.* Hoc non pugnat cum Paulo dicente 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Jesus Christus.* & Ephes. 2. v. 19, 20. *Nempe igitur non amplius estis peregrini & inquilini, sed cives sanctorum ac domestici Dei: superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum.* Nam cùm Jesus Christus dicitur esse fundamentum, intelligitur fides seu doctrina de Jesu Christo per Apostolos & Prophetas annunciata.

III. Qui super fidem fundati sunt, esse firmos. Quò pertinet illud Christi Matth. 7. v. 24, 25. *Quisquis audit ex me sermones istos & eos præstat, assimilabo eum viro prudenti, qui ædificavit domum suam super petram: Decidit autem nimbus & venerunt flumina, & flaverunt venti, & incident domui illi, sed non concidit, fundata enim fuerat super petram.*

4. Ad constantiam illam probandam quæ nos impellant multa sunt argumenta, quorum in residuo capite primo recensentur undecim:

5. PRIMUM, est certioratio reconciliatio-

nis cum Deo & justificationis: quia qui permanent in fide, ii certò sunt reconciliati cum Deo & justificati. Sic enim Paulus ait, *Reconciliavit vos in corpore illo carnis suæ per mortem, ut sistat vos sanctos & inculpatos & irreprehensos coram se: εἴγε ἐπιμένετε τῇ πίστει τεθεμελιωμένοι καὶ ἑδραῖοι. Siquidem permanetis in fide fundati & firmi.*

6. His autem verbis nequaquam Apostolus docere voluit verè reconciliatos & regeneratos posse excidere salute æternâ. Nostra enim perseverantia nequaquam est causa salutis, sed tâtùm conditio cum qua Deus promittit salutem, cujus conditionis complemẽtum ipse Deus etiam nobis infallibiliter præstat, non autem in nostra manu relinquit. Similis locus est Hebr. 3. v. 6. *Christus ut filius domui suæ præest, cujus domus sumus nos, si modò fiduciam & spem illam de qua gloriamur, ad finem usque firmam retinuerimus.*

7. Hinc autem conficiuntur consectaria:

I. Perseverantiam in fide esse certum & infallibile τεκμήριον reconciliationis cum Deo & justificationis.

II. Solos illos qui perseverant in fide Christi usque ad finem, esse per mortem Christi reconciliatos cum Deo, ac proinde nõ universos & singulos homines.

III. Veram fidem esse constantem & firmam: Contrà, veram fidem non esse quæ deficit, quæ non permanet.

8. SECUNDUM, est spes Euangelii, hoc est, vita

vitâ æterna, quam Deus in Euangelio sperare jubet: sicut Paulus docet Tit. 1. v. 1, 2, 3. quum ait se esse *Apostolum Jesu Christi secundùm fidem electorum Dei & agnitionem veritatis quæ est secundùm pietatem: & ad spem vitæ æternæ quã promisit Deus ille mentiri nescius ante tempora seculorum.* Qui obtinere cupiunt spem Euangelii, ii in fide constanter perseverare debent.

9. Unde colligimus, fidei fulcrum, alimentum & robur spem esse: ac propterea fidem à spe differre, quum fidem spes alat ac sustentet. Ut enim exspectare à Deo vitam æternam nemo potest, nisi qui priùs promissioni vitæ æternæ crediderit: ita rursus fidei nostræ imbecillitatem, ne velut fessa concidat, sustineri ac foveri patienter sperando & exspectando oportet. Fides intuetur promissionem: spes exspectat complemẽtum promissionis quod præstabitur cùm Christus vitæ æternæ autor venerit ad perficiendam liberationem.

10. Colligitur etiam inde præstantia Euangelii', quia per illud promittitur fidelibus vita æterna quam speramus. Est enim causa instrumentalis spei, hoc est, medium divinum per quod spes in nobis excitatur, fovetur, alitur, incrementa capit & conservatur.

11. TERTIUM, est exemplum omnium aliorum electorum sub cælo, qui in fide Euangelii quod ipsis prædicatum est, constantes perseverarunt & perseverant. Proinde nos quoque, cùm tanta nos circumstet testium

nubes, abjecto omni pondere & peccato ad nos circumcingendos proclivi, per tolerantiam propositum nobis stadium decurramus, ut Apostolus loquitur Hebr. 12.v.1.

12. Hoc argumentum proponitur his verbis: *Nec dimovemini à spe Euangelii quod audistis, prædicati omni creaturæ quæ sub cælo est*, hoc est, universis gentibus.

13. Unde I. verè deprehendimus, Deum non respicere ad personam, sed in quavis gente acceptum ei esse quemvis qui eum timeat & operam det justitiæ, vt Petrus ait Actor. 10. 34, 35.

II. Colligimus inde, unum idemq; Euangelium esse quod ab Apostolis virisque Apostolicis ubiq; gentium prædicatum est: Non aliud Jerosolymis, aliud Romæ, aliud alibi.

III. Euangelii veritatem nō esse æstimandam ex personis illud docentibus, sed personas potius ex Euangelio ubiq; prędicato. Sicut Paulus non voluit ut Colossenses judicarent de Euangelii veritate ex persona Epaphræ qui non erat è numero Apostolorum illorum præcipuorum, sed potiùs judicarent Epaphram ex Euágelio quod docuerat, fideliter eum docuisse, quia ab ipso audierant Euangelium idem quod ubiq; prædicatum fuerat ab omnibus Apostolis. Unde & hoc sequitur, fidem non pendere ex personis hominum prædicantium Euangelium, sed ex Euangelio prædicato.

IV. Verè,

IV. Verè, propriè & absolutè Catholicam doctrinam esse Euangelium Christi, quod Apostoli Christi ubique seu omni creaturę quæ sub cælo est, prædicarunt, & deinceps literis consignatum Ecclesiis tradiderũt & reliquerunt: ac proinde Euangelio Christi omnes qui salutem à Deo exspectant, omni tempore & loco sine exceptione obligari.

V. Verè catholicos esse qui amplectuntur & retinent fidem, doctrinamq; verè, propriè & absolutè Catholicam, id est, Euangelium Christi quod prædicatum est omni creaturæ quæ sub cęlo est, & sacris literis consignatum. Unde etiá Doctores verè Catholici sunt, qui prædicát Euangelium illud, quod ubique inter omnes Gentes Apostoli annunciarunt.

VI. Euangelium, quod in Ecclesiis reformatis prædicatur, habere consensum totius veteris Ecclesiæ primitivæ, quæ ab Apostolis fundata fuit, virisque Apostolicis: nam est illud ipsum Euangelium quod Paulus & alii Apostoli, quod Lucas, Barnabas, Epaphras, Timotheus, Titus & alii viri Apostolici in toto mundo publicarunt.

14. QUARTUM est causa administra Euangelii, ex cujus prædicatione est fides, quia ejus ministri fuerunt Apostoli Jesu Christi. Hoc argumentum continetur his verbis: *Cujus factus sum ego Paulus minister.* Profectò in illius Euangelii fide cujus ministri fuerunt Apostoli Jesu Christi, est cõstanter perseveran-

dum, ne à fundamento super quod ædificati sumus, dimoveamur. Superstructi enim sumus super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, existente imo angulari lapide ipso Jesu Christo, ut docet Paulus Eph. 2. 20. Atqui Euangelium quod in sacris literis continetur, est illud ipsum Euangelium cujus ministri Apostoli fuerunt: In illius igitur fide est firmiter persistendum.

15. Ex hoc argumento colliguntur præterea multa alia:

I. Si Apostoli ministri Euangelii fuerunt; non igitur ab ipsis ortum est, sed à causa superiore cui illi ministrarunt, nempe à Deo. Unde nec aliis concessum est quicquam ex seipsis proferre, quod pro articulo fidei sit habendum. Quapropter Papistæ turpissimè errant, cùm Ecclesiæ, imò & soli Pontifici Romano adscribunt potestatem novos fidei articulos condendi, qui in Euangelio, cujus ministri Apostoli fuerunt, non continentur.

II. Si Apostoli ministri Euangelii fuerunt, tum non fuit in illorum arbitrio prædicare quod vellent: Ac proinde nec Episcopi, nec alii ministri Ecclesiæ habent libertatem proponendi doctrinam quamcunq;, sed tantùm eam cujus ministri fuerunt Apostoli.

III. Si Apostoli ministri Euangelii fuerũt, tum sequitur, illos esse Apostolorum successores, qui idem Euangelium annunciant: illos autem qui vel aliud Euangelium proferunt,

vel

vel aliquid quod Euangelio ab Apostolis annunciato contrarium est, promulgant, vel quidpiam quod in Euangelio cujus ministri Apostoli fuerunt, nullo modo exstat, adsuūt, non esse Apostolorum successores.

IV. Si Apostoli ministri Euangelii fuerūt, tum Episcopi Papani quia dominatum in Ecclesia & Republica affectant & ad se rapiunt, & nequaquam Euangelii ministri sunt, non sunt verè Episcopi.

16. QUINTUM, multiplex passio quam Apostolus Paulus cū cæteris Apostolis & præconibus Euāgelii sustinuit cum gaudio. Nam in ea fide, cujus causâ Apostoli cum gaudio acerbissima quæq; passi sunt, est nobis profectò constanter persistendum.

17. Hoc argumentum tripliciter amplificatur, ut ei tantò major vis ad persuadendum accedat: primò *ab adjuncto*, deinde *à fine*, tertiò *ab exemplo* seu similitudine.

18. Adjunctum fuit gaudium afflictionibus Pauli ut & aliorum Apostolorum ac servorum Christi: sicut Paulus ait se gaudere de iis quæ patiebatur.

19. Finis passionum Pauli, ut & cæterorum Apostolorum, erat ædificatio Ecclesiæ. Hunc finem Paulus indicat cùm ait; *patior pro vobis*: item *pro corpore Christi, quod est Ecclesia*. Sententia enim est, Paulum ideo cum gaudio multa perpessum esse in prędicando Euangelio, ut Ecclesiam, quæ corpus Christi est, pa-

tientiæ suæ exemplis tum confirmaret, quò sciret veram esse atque divinam doctrinam quam docuerat, quum pro obsignatione ejus pati gravissima quæque non recusaret : tum consolaretur: tum ad constantiam erudiret.

20. Exemplum verò seu similitudo his verbis proponitur; *& reliquias afflictionum Christi vicißim expleo in carne mea.* q.d. conformor imagini & exemplo Filii Dei in afflictionibus.

21. Neque enim ex his Pauli verbis rectè colligitur, passionem Christi quam in cruce subiit, ad expianda nostra peccata & redemtionem nostri esse imperfectam, eiusque defectum afflictionibus martyrum esse supplendū: sed duplices esse afflictiones Christi, Apostolus docet, unas quas sustinuit in sua propria persona ad nostri redemtionem: alteras, quas sustinet in membris suis, quæ ipsi tanquā Capiti conformari necesse est, ad testificationem veritatis Euangelii, non autem ad peccatorum expiationem, unde & *martyria* appellantur, hoc est, testimonia veritatis Euangelii; ipsi verò fideles patientes illas afflictiones, *Martyres* dicuntur, hoc est, testes Jesu Christi.

22. Observata hac distinctione afflictionum ex subjectis & finibus, non est difficile respondere ad objectionem istam :

Quicquid est complementum afflictionum Christi, id ad expiationem peccatorum nostrorum & redemtionem nostri pertinet :

At

At martyria Apostolorum & aliorum sanctorum sunt complementum afflictionum Christi:

Ergo illa ad expiationem peccatorum nostrorum redemtionem nostri pertinent.

Respondendum est per distinctionem. Major propositio est vera tantùm de afflictionibus quas Christus in sua propria persona sustinuit: ut non satis erat ad expiationem peccatorum nostrorum & redemtionem nostri Filium Dei exinaniri, carnem fieri, pauperem nasci, circumcidi, exsulare, ignominiâ & contumeliam multiplicem pati, prodi, capi, injustè accusari & damnari, flagellari & cum ludibrio spinis coronari, purpurâ vestiri: verùm ad complementum satisfactionis requirebatur crucifixio, sanguinis in cruce effusio, mors denique in cruce, hoc est, cum maledictione divina conjuncta, unde Christus traditurus animam Patri, dixit: *Consummatum est.* Minor autem propositio non loquitur de afflictionibus quas Christus in propria persona sustinuit, sed de iis, quas membra corporis ipsius mystici perferunt, quæ afflictiones Christi dicuntur, propter illam Capitis cum corpore communionē. Quapropter afflictiones Martyrum non pertinent ad expiationem peccatorum nostrorum & redemtionē nostri. Unde sequitur, nequaquam ex hoc loco defendi posse indulgentiarum Papalium turpissimam nundinationem & fictitium illum thesaurum Ecclesiæ Romanæ, meritis Christi & marty-

rum plenum, cujus dispensandi aut potiùs pro præsentaria pecunia divendendi Romanus Pontifex potestatem habeat.

23. Conficiuntur hinc & ista consectaria:

I. Verè fideles, maximè verò ministros verbi Dei gaudere de iis quæ patiuntur Euangelii Christi causâ. Huc ptinet locus Matth. 5. v. 12. *Gaudete & exsultate, quoniam merces vestra multa est in cælis: ita enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Et Jac. 1. v. 2. *Summo gaudio ducite fratres mei quoties in tentationes varias incidentis.*

II. Afflictiones à fidelib. sustineri pro corpore Christi, quod est Ecclesia, hoc est, afflictionum illarum finem esse & usum, ut Ecclesia videns fideles, & in primis ministros Euangelii cum gaudio pati persecutiones & cruciatus suppliciorum, confirmetur verè divinam esse Euangelii doctrinam; ut deinde consolationem solidam habeat tùm quòd illi doctrinæ assensa sit, tum si & ipsa persecutionē pro eadem doctrina patiatur: & ut ad ejus cōstantem professionem animetur.

III. Afflictiones, quas fideles Euangelii causâ patiuntur, esse reliquias afflictionum Christi, quas illi per vices sibi succedentes explent in carne sua. Jesus Christus tribuit hunc honorem suis fidelibus, quòd reputat sibiipsi factum quicquid illis factum fuerit; propterea quia ipse est Caput totius corporis Ecclesiæ,

quam

quam sibi vult reddere conformem non solùm in gloria, sed etiam in afflictionibus; unde voluit eas velut cõsecrare in cruce in sua propria persona pro omnibus suis membris. Ut Ecclesia est corpus Christi & complementum ejus qui omnia implet in omnibus, Ephes. 1. v. 23. dum eum quodammodo perfectum reddit hominem, ex Capite nimirum & corpore constantem: sic afflictiones Ecclesiæ & membrorum ejus sunt complementum afflictionũ Christi; quemadmodum etiam gloria Ecclesiæ & membrorum ejus est complementum gloriæ Christi. Hoc insigne est documentum dilectionis Christi erga Ecclesiam & singula ejus membra.

IV. Ecclesiam esse corpus Christi.

V. Evidentia esse discrimina inter afflictiones Christi quas in sua propria persona sustinuit, & nostras. Primum, Afflictiones Christi fuerunt expiatoriæ: Martyrum verò nequaquam, quod verbis LEONIS I. qui & Leo Magnus appellatur, explicare malo. Is epistolâ octogesimâ primâ quæ est ad Palæstinos, & ep. nonagesimâ quintâ quæ est ad Leonẽ Augustum, *Quamvis*, inquit, *multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Accepêre justi, non dederunt coronas: & de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe eorum mortes fuêre, nec alterius quispiam debitum suo fine persolvit: quum unus exstite-*

rit Dominus Christus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, sepulti, suscitati. In eandem sententiam Augustinus Tractatu octogesimo quarto in Johannem, *Etsi fratres*, inquit, *pro fratribus morimur, nullius tamen sanguis Martyris in peccatorum remissionem funditur, quod fecit Christus pro nobis: neque in hoc quod imitaremur, sed quod gratularemur, contulit nobis.*

Secundum, Afflictiones expiatorias semel in seipso Christus perpessus, non ampliùs eas patitur: quò etiam pertinet quod legitur Rom. 6 v. 9. & 10. *Ut qui sciamus Christum suscitatum ex mortuis, non ampliùs mori: mortem ei non ampliùs dominari: Nam quòd mortuus est, peccato mortuus est semel, quòd autem vivit, vivit Deo.* & Hebr. 9. v. 26, 27, 28. *Semel in consummatione seculorum, ad peccatum per immolationem sui ipsius è medio tollendum, factus est manifestus. Et sicut illud statutum est hominibus ut semel moriantur, postea verò judicium: ita & Christus semel oblatus ut auferret multorum peccata, secundò absq; peccato conspicietur iis qui ipsum exspectant, ad salutem.* At afflictiones, quas in suis fidelibus Christus perfert, non perficiuntur omnes simul & semel; nec omnia membra simul & eodem tempore affliguntur, sed per vices sibi succedentes, sic ut afflictiones illæ duraturæ sint usque ad ultimum Christi advêtum, tum omnes reliquiæ afflictionum Christi expletæ erunt.

Tertium, Afflictiones, quas Christus redemtionis nostræ causâ in sua propria perso-

na per-

na pertulit, fuerunt veluti immēsus aquarum vehemētium in Christum irruentium cumulus & quasi Oceanus, quemadmodum ipse ait Psalm. 69. v. 2, 3. *Serva me Deus, quia perveniunt aquæ usque ad animam. Demergor in cœnum profundissimum, ubi non est consistendi locus: ingredior profunditates aquarum, & fluentum inundans abripit me;* Fuerunt veluti onus cui ferendo totus mundus par non fuisset: At nostræ & aliorum fidelium afflictiones sunt tantùm ὑστερήματα, reliquiæ afflictionum, quarum molem Christus sustinuit. Fluctus afflictionū in Caput ipsum quod vim illorum sustinuit, allisi sunt, sic ut jam fracti, debilitati & dispersi in corpus & corporis membra sensim defluant. Minimè æquiparandæ sunt afflictiones quas corpus Ecclesiæ tolerat cum perpessionibus iis quas Caput ipsum pertulit.

VI. Ecclesiæ salutem per afflictiones perfici. Christus afflictus fuit in propria persona pro Ecclesiæ redemtione: Apostoli & alii sancti afflicti sunt & affliguntur pro Ecclesiæ ædificatione & profectu, ut in fide cōfirmetur, ut in afflictionibus consolationem accipiat, & ad patientiam aliorum exemplis instituatur, ut Martyrum & confessorum triumphis ad pugnandi pro veritate zelum accendatur.

24. SEXTUM, est principalis causa efficiens Euāgelii, nam autor ejus Deus est. Certè in fide Euangelii illius, cujus principalis autor est Deus, nobis constantissimè est perse-

verandum. Atqui illius Euangelii cujus Paulus minister fuit, quodque in sacris literis continetur, principalis autor est Deus. Propterea in fide ejus nobis constantissimè est permanendum. Minor propositio ex verbis Apostoli Pauli manifesta est: nam Euangelium appellat Dei sermonem.

25. Cõsectaria hujꝰ argumẽti præterea sunt:

I. Ministri Euangelii sunt ministri Ecclesiæ: non ergo domini. Errant igitur Papistæ, qui Papam Rom. contendunt esse Ecclesiæ dominum. Sequitur etiam hinc, Papam Rom. non esse successorem Apostoli: quia Apostolus profitetur se esse ministrum Ecclesiæ, at Papa licet verbo servum servorum se appellet, facto tamen & vi dominus Ecclesiæ vult esse, agnosci & haberi.

II. Ministerium Ecclesiæ est ex dispensatione Dei, ad quem solum tanquam Dominum familiæ pertinet constitutio ministerii Ecclesiæ. Magni ergo faciendum & nequaquam contemnendum.

III. Illa dispensatio nemini contingit ex merito, sed datur ex gratia.

IV. Qui Euangelium Christi annnunciant, sermonem Dei implent, hoc est, sunt ministri Dei, per quos præstat complementum promissionum de vocatione omnium gentium ad Christum. Item impletio ad promissionem refertur, cujus impletionis administri sunt præcones Euangelii.

26. Se-

26. SEPTIMUM, est antiquitas Euangelii, quam Apostolus indicat aut potiùs prædicat, quum docet, Euangelium esse mysterium illud quod absconditum fuit à seculis & ætatibus. Hinc argumentum Syllogismo tali concludi potest:

Quæcunque doctrina est omnium antiquissima, in ea immobiliter est persistendum: At Euangelii doctrina quam Paulus annunciavit, est omnium antiquissima. Ergo.

27. Consectaria, quæ præterea hinc deducuntur, sunt ista:

I. Euangelium est mysterium quod absconditum fuit à seculis & ætatibus, id est, ab æterno: Est ergo æternum, quemadmodum & in Apocalypsi Johannis celebratur. Non enim aliud Euangelium Johannes æternum appellat, quàm quod Paulus mysterium esse asseverat, quod absconditum fuit à seculis & ætatibus.

II. Si Euangelium est mysterium, sequitur non esse naturâ hominibus notum. Hoc facit discrimen inter Legem & Euangelium: nam lex natura nobis nota est, Euangelium verò est mysterium minimè notum nobis naturâ.

III. Si Euangelium est mysterium, tum sine doctore cognosci non potest: ac proinde ministerium Ecclesiæ per quod Euangelium explicatur, necessariũ est & magnificiendum.

IV. Si Euangelium absconditum fuit à seculis & ætatibus, tum ab æterno est decre-

tum & præfinitum. Quò pertinet illud Pauli 1. Cor. 2. v. 7. *Loquimur sapientiam Dei latentem in mysterio, occultam illam, quam præfinierat Deus ante secula ad gloriam nostram.*

28. OCTAVUM, est gratiosa Euangelii manifestatio seu patefactio. Hinc talis Syllogismus exstrui potest:

Quæ doctrina gratiosè est patefacta sanctis Dei, in illius fide constanter est manendum: Atqui Euangelii doctrina gratiosè est patefacta sanctis Dei: Ergo.

29 Consectaria præterea hæc sunt:

I. Fides Euangelii non revelatur à carne & sanguine, sed à Patre nostro qui est in cælis.

II. Euangelium non omnibus fit salutariter manifestum, sed iis duntaxat, quibus vult Deus notum facere, nempe sanctis, quas ipse Deus in Christo consecrandos elegit. Unde vocatio æterna per prædicationem Euangelii ad Christum non est absolutè universalis, quæ se extendat ad universos & singulos homines nullo excepto.

III. Fides non est omnium, quia Euangelium, quod est verbum fidei, Rom. 10. non fit manifestum omnibus.

IV. Euangelium NUNC est patefactum: hoc NUNC non est restringendum ad tempus Pauli, sed etiamnum durat: est enim dies ille hodiernus, de quo Hebr. 3. v. 13 & 4. v. 7. est tempus illud acceptum & dies salutis, 2. Cor. 6. v. 2.

30. NONUM, est gloria Christi quam per Euange-

Euangelium Deus notam facit. Nam *quibus datum est potiri illis divitiis glorioſi hujus myſterii inter Gentes, qui est Chriſtus inter nos, ſpes illa gloriæ; iis profectò in fide Euangelii intrepidè est perſeverandum: Atqui nobis illud datum est. Ergo, &c.*

31. Conſectaria ex hoc argumento præterea deducimus iſta:

I. Euangelium ad unum Chriſtum homines adducit, velut ad unicũ illum theſaurum, cujus participatione & poſſeſſione per fidem beati ſumus. Propterea Apoſtolus Chriſtum dicit eſſe illas divitias glorioſi hujus myſterii inter Gentes, & ſpem illam gloriæ. Proinde illi ſunt fidi Eccleſiæ Paſtores & Doctores, qui auditores ad unum Chriſtum ducũt, tanquam ad fontem divitiarum cæleſtium inexhauſtum. Qui verò aliò homines, quàm ad Chriſtum ablegant, ii à theſauro divitiarum ſempiternarum & à ſpe illa gloriæ homines abducunt.

II. Quicunq; Chriſtum per fidem poſſidet, verè dives eſt: quia divitias glorioſi illius myſterii poſſidet. Hoc ſervit conſolationi fidelium cõtra paupertatis corporalis incõmoda.

III. Quicunque Chriſti per fidem particeps eſt, ſpei verę gloriæ particeps eſt: ac proinde probra ac contumelias, quibus fideles in hoc mundo obnoxii ſunt, æquo animo perfert, ſpe veræ gloriæ ſe ſuſtentans.

IV. Quum Euangelium ſit myſterium, quod Deus notum fecit quibus vult, ſequitur

non esse curiosè investigandum, cur tam multis non sit cordi, ut ei fidem adhibeant & Ecclesiæ Christi membra facti, æternùm serventur: sed adorandum Dei judicium in incredulos, agnoscēdum verò & celebrandum beneficium in credentes. Hic est fidei summus gradus, credere Deum esse clementem, qui tam multos damnat, tam paucos servat.

32. DECIMUM, est finis Euangelii, qui est docere omnes homines, & erudire omni sapientia, ut omnes sistantur perfecti in Christo Jesu. Nam *quicquid omnes docet & erudit omni sapientia, vt omnes sistantur perfecti in Christo Jesu; in ejus professione constanter est progrediendum. Atqui Euangelium omnes docet & erudit omni sapientia, ut omnes sistantur perfecti in Christo Jesu.* Hoc docet Apostolus Paulus v. 28. his verbis: *Quem nos annunciamus, admonentes omnem hominem & erudientes omnem hominem omni sapientiâ, ut sistamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.* Quum Apostolus ait, *omnem hominem*, idq; ter repetit, discrimen omne inter Judæos & Gentes tollit. Est autem terminus hic communis non accipiendus absolutè, quasi universi & singuli homines nullo excepto significarentur, nam & Scriptura ipsa & experientia id refelleret: sed positus est *acceptione accommodata*, sic ut sumatur pro generibus singulorum, quasi diceret Apostolus, admoneri & erudiri omnem hominem, id est, tam Gentiles quàm Judæos, cujuscunque sint ordinis, dignitatis, conditionis & sexus.

33. Qua-

33. Quapropter Pelagiani veteres & recentes malè ex hoc loco colligunt, universos & singulos homines esse ad vitam æternam electos, Redemtionem & vocationem esse absolutè universalem, seu, universos & singulos homines esse per Christum redemtos, & vocari ad Christum, omnes item simpliciter justificari & regenerari. Sic autem argumentantur:

Quicunq; admonentur & eruduntur omni sapientiâ, ut sistantur perfecti in Christo Jesu; ii sunt electi ad vitam æternam, redemti per Christum, vocati, justificati & regenerati:

Atqui universi & singuli homines admonentur & eruduntur omni sapientiâ, ut sistantur perfecti in Christo Jesu.

Ergo universi & singuli homines sunt electi ad vitam æternam, &c.

RESP. *Primò* major propositio est falsa: nam Christus ipse apertè distinguit eos quibus annunciatur Euangelium in diversos ordines, qui profectò non omnes sunt terra bona ferēs fructum. *Deinde* minor quoque propositio est falsa: neque ex hoc Pauli loco probari potest, quia communis terminus *omnem hominem*, nō accipitur pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, ut dictum est.

34. Consectaria præterea ista hinc colligimus:

I. Euangelii subjectum est Christus: eum enim Apostoli annunciarunt. Proinde ab Eu-

angelio abducunt, quicunq; homines à Christo ad Antichristum abducũt, quod ii faciunt qui aliud caput Ecclesiæ præter Christũ constituunt, nempe Roman. Pontificem. Unde & hoc sequitur, illos esse veros Apostolorũ successores, qui Christum annunciant, quem Apostoli annunciaverunt. Atqui Apostoli illum Christum annunciaverunt, qui solus caput est Ecclesiæ, & præter quem nullum aliud caput agnoverunt. Propterea Pontifices Romani Apostolorum successores nõ sunt, quia alium Christum annunciant, quàm Apostoli.

II. Euangelium ab Apostolis annunciatum & postea ab iisdem in Scriptura Ecclesiæ traditum, est perfectum & sufficiens ad salutem: quia illud admonet omnem hominem & erudit omnem hominem omni sapientiâ, ut sistat omnem hominem perfectum in Christo Jesu.

III. Euangelium est *sapientia* quæ verè hoc nomine appellatur, ac proinde omnibus aliis doctrinis meritò præfertur. Unde & hoc sequitur, quicunque sapientiam religionis & fidei extra Euangelium in Scripturis S. traditum quærunt, eos desipere, quemadmodum Papistæ qui sapientiâ salvificam in nescio quo verbo Dei non scripto aut potiùs humanis commentis investigant. Quapropter peccant qui Euangelio in Scripturis Sacris comprehenso contenti non sunt, sed alibi sapientiam ad salutem sibi venandam esse existimãt. Nos potiùs

potiùs acquiescamus in Scriptura divinitùs inspirata, in qua omnem sapientiam, quâ perfecti in Christo Jesu sistamur, reperiemus: Sic ut gratulari nobis debeamus & gaudere de tanto beneficio divino, quo nobis datur salutari illâ sapientiâ ad perfectionem ducente potiri.

IV. Perfectio nostra ad salutem nobis necessaria, non est nisi in Christo Jesu. Quapropter errant Pelagiani & Papistæ qui se in seipsis perfectos in hac vita fieri, & perfectè Legem Dei implere se posse gloriantur. Unde intelligimus peccare eos, qui perfectionem suam alibi quærunt, quàm in Christo: quo nos contentos esse decet, ut qui sciamus perfectionē ejus nobis gratiosè à Deo Patre imputari, non secus ac si in nobis ipsis perfecti exsisteremus. Quod solatio nobis esse debet adversus tentationem de imperfectione nostra & terrorem tribunalis Christi judiciique ultimi: sic ut Satanæ vel conscientiæ nos accusanti & dicenti, Tu servari non potes, quia non es perfectus; respondere possimus intrepidè: Etiamsi in meipso perfectus non sim, tamen certò persuasus sum & de eo lætor quòd sim perfectus in Christo Jesu; quocirca de salute nullus dubito.

V. Perfectionis nostræ ad salutem instrumentum seu medium est Euangelium, quod Paulus & alii Apostoli prædicarunt & in Scripturis Sacris reliquerunt.

35. UNDECIMUM, est indefessum studiũ, quo olim Paulus cum aliis Apostolis enitebatur, & hodie fidi servi Christi enitũtur ad nos sistendos perfectos in Christo Jesu per Euangelium, decertantes continuâ quasi luctâ secundùm vim illam efficacem agẽtem in ipsis potenter. *Quibus tale studium fidorum pastorum & doctorum non deest, eos profectò constantes in fide ad quam adducti sunt, perseverare decet.*

36. Huic argumento robur & amplificatio inde accedit, quòd laboris & studii illius causa efficiens princeps sit vis efficax Spiritus Sancti, agens in pastoribus & doctorib. potenter.

37. Consectaria præterea hinc deducuntur ista:

I. Munus pastorale in Ecclesia Dei est difficillimum: quia cum indefesso studio sistendi omnes homines perfectos in Christo Jesu & lucta vehementi conjunctum est. Proinde fœdè errant qui illud cuivis committi posse autumant. Quin etiam graviter peccant qui illud temerè appetunt, aut qui collatum obiter tractant & levi studio vel nullo, nihil pensi habentes sive auditores perfectos sistant in Christo sive non: sicuti, proh dolor, nimis multi tales reperiuntur. Unde expetenti munus pastorale aut vocato ad illud, firmiter in animum inducendum ut indefesso studio in illo laboret, & luctando enitatur, ut quosvis sistat perfectos in Christo Jesu. Auditores verò ex eo fidos pastores à mercenariis & lupis dignoscant,

dignoscant, quòd fidi pastores enituntur & luctantur ad sistendos omnes homines perfectos in Christo Jesu. Tales pastores quicunq; habent, causam sibi gratulandi habent.

II. Fidelitas & indefessa assiduitas, quam fidi præcones Euangelii in Agone ministerii sui probât, proficiscitur ex vi efficace Christi, agente in ipsis potenter. Itaq; causa illius efficiens non est ex sese liberum arbitrium, sed gratia Christi per Spiritum S. efficaciter operantis in renatis seu fidelibus & ad singulas bonas actiones ipsos informâtis, impellentis, dirigentis & vim agendi proficiendique largientis: quò etiam pertinet illud Christi Joh. 15.5. *Sine me nihil potestis facere.* Merito autem reprehenduntur, qui in functione ministerii Euangelici plus suis viribus, eruditioni & eloquentiæ tribuunt, quàm efficaciæ Christi. Quapropter ut ministerium utile sit fidelibus, seriis precibus Christus Dominus sollicitandus est, ut ipse vi illa efficaci sua in nobis potenter agat. Denique habent hîc quo se solentur ministri Euangelii contra infirmitatem & multiplicem ignorantiam, quâ dum in hac vita sumus, omnes laboramus: efficaciam nimirum ministerii ipsorum, non ab humana eruditione & eloquentia pendêre, sed à vi illa efficace Christi, agente in ministris fidis potenter.

Hactenus theses analyticæ in primum caput Epistolæ ad Colossenses.

I

CAP. II.

1. Capitis secundi duæ sunt partes. *Prima*, est continuatio hortationis ad perseverantiam in Euangelio Jesu Christi. *Secunda pars*, est admonitio de cavenda pseudotheologia tum Judæorum, tum Gentilium, quam argumentis firmissimis confutat.

2. Quod ad primam attinet partem, duo sunt argumenta hortationis ad perseverantiam in Euangelio Jesu Christi.

3. PRIMUM est, quia Apostoli magnum certamen sustinuerunt pro fidelibus qui Euangelio crediderunt: sicut Paulus de se ait: *Velim enim vos scire quantum certamen sustineam pro vobis & iis qui sunt Laodiceæ, & quotquot non viderunt faciem meam in carne.*

4. Hoc argumentum Syllogismo hujusmodi comprehendi potest:

Pro quibus Apostoli magnum certamen sustinuerunt, ii profecto in Euangelii professione constanter persistere debent: At pro nobis Apostoli magnum certamen sustinuerunt: Nos igitur in Euangelii professione constanter persistere debemus.

5. Consectaria præterea deducimus ista:

I. Fideles, etiamsi in media morte versarentur & de vita periclitarentur, non tantùm sui, sed etiam aliorum rationem habere, & salutis illorum studiosi esse debent.

II. Ministri Euangelii, quotquot fidi sunt, non

non vulgari amore Ecclesiam Dei complectuntur, sed pro fidelibus Christianis ubicunque sint terrarum, agonem & certamen sustinent contra Satanam & mundum totis viribus molientem cursum Euangelii Christi impedire & sistere.

III. Non tantùm noti, verùm etiam de facie ignoti fideles nostra cura & sollicitudine pia digni sunt: sicut Paulus non tantùm de Colossensibus, sed etiam de aliis Christianis quotquot non viderant faciem ejus in carne, sollicitus fuit. In hoc differt charitas Christiana à communi seu morali, quia hæc vulgò est erga notos, illa autem etiam erga ignotos.

6. SECUNDUM est utilitas Euangelii: Hoc autem Syllogismo comprehenditur:

Quæcunq; doctrina corda consolatur, fideles charitate compingit, omnem opulentiam plenè certioratæ intelligentiæ exhibet, veram cognitionem mysterii Dei ac Patris & Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac notitiæ absconditi, docet; in ea firmiter est perseverandum.

Atqui Euangelium illa omnia, quæ numerata sunt, præstat:

Ergo in Euangelio firmiter est perseverandum.

7. Consectaria ex hoc argumento ista insuper colliguntur:

I. Consolationis veræ, hoc est, solidi gaudii piorum animos perfundentis, & tranquillitatis in qua corda nostra conquiescant, fon-

tem esse Euangelium Christi, quod hoc ipso nomine distinguitur à Lege, quæ terret, peccata exprobrat, mortem æternam comminatur, ac, ut breviter dicam, occîdit. Quapropter errant vehementer Papistæ, qui Legem & Euangelium confundunt, & per Legis observationem perfectamque impletionem homines vitam æternam mereri fingunt, atque ita cordium consolationem in Lege Mosis potiùs quærunt quàm in Euangelio Christi.

II. Quicunq; Euangelio Christi credunt, ii, charitate cum fidelibus aliis sunt compacti. Proinde quicunque charitate destituti, odiis, cædibus, flammis, exsiliis, facultatum direptionibus ob religionem alios persequuntur, quod Papistæ faciunt, ii Euangelio Christi nõ credunt, etiamsi cêties millies se credere profiterentur. Tum qui sincerè Euangelium Christi docent, enituntur omni studio ut compingant, conjungant & uniant homines inter se charitate. Huc pertinet quod legitur 1. Joh. 1. v. 3. *Quod vidimus & audivimus, id annunciamus vobis, ut & vos communionem habeatis nobiscum, & communio nostra sit cum Patre & Filio ejus Jesu Christo.* Quapropter quicunque concionandi munere funguntur, & non dant operam ut coalescant homines inter se vera ac constanti charitate, ii nequaquam sincerè Euangelium Christi docent.

Discimus hinc præterea, compactionis fidelium inter se & cum Christo instrumentum atque

atque vinculum esse charitatem : charitatem autem ex Euangelio Christi manare, dum illud uno consensu amplectimur.

III. Vera fides in Jesum Christum est opulentia omnibus terrenis bonis præferenda. Qui verè dives esse cupit, ad Christum veniat & in ipsum credat, sine quo nullæ veræ divitiæ. Utq; Christus est ὁ πλοῦτος τῆς δόξης, divitiæ illæ gloriæ : ita etiam cognitio Christi est opulenta. Eadem fides est πληροφορία τῆς συνέσεως, hoc est, plena ac certa persuasio conjuncta cum intelligentia. Proinde graviter errant Papani, qui tantopere fidem implicitam cõmendant, & ad eam homines adigunt, in ignorantia eos detinentes, & de gratia Dei dubitare jubentes: nam si fides est πληροφορία, ut certè est, tum dubitatio de gratia Dei cum illa cõsistere nequit: Et si fides est πληροφορία τῆς συνέσεως, hoc est, certò persuasa intelligentia, tum profectò ignorantia non est fidei mater. Si exceperint Papani, Paulum non loqui hîc de fide, replicamus per fiduciariam reprobationẽ, etiamsi Paulus non loqueretur hoc loco de fide, tamen quia docet, Euangelium præstare nobis omnem opulentiam certò persuasæ intelligentiæ, inde necessariò sequeretur, verè fideles, hoc est, quicunq; Euangelium amplectuntur, certam & indubitatam in animis suis persuasionem (hoc enim est πληροφορία) de iis quę in Euangelio credenda proponuntur, habere debere: necessariò sequitur, eos pulsâ igno-

rantiâ rerum credendarum, συνέσεως firmam intelligentiam habere oportere. Refellit hic locus etiam Samosatenianos recentes qui Poloniam hæresi suâ fœdant, & contendunt fidem esse opinionem, quemadmodum videre est in Instrumento Logico Prosperi Gratiani Samosateniani: Atqui si fides est πληροφορία & συνέσεως, hoc est, plenè certiorata intelligentia, seu intelligêtia cum plena firmaq; animi persuasione, non igitur opinio.

IV. Quicunq; Euangelium intelligunt, ii cognitionem mysterii Dei ac Patris & Christi habêt. Euangelium est mysterium, hoc est, arcanum quod non revelat caro & sanguis, sed Pater cælestis, Matth. 16 v. 17. ac proinde sola fide, non ratione nec perspicaciâ humanę mentis capi potest. Euangelii præstantia è subjecto de quo agit intelligitur: agit enim de Deo, qui in eo revelatur, cum aliæ disciplinæ, quæ sunt humanæ, subjecta longissimè inferiora & nonnulla planè vilia habeant. Ac quanquam etiam Philosophia de Deo agat: tamen nihil solidi, nihil perfecti de eo docet, quodque ad salutem æternam sufficiens sit. Hanc laudem Philosophia Euangelio relinquat necesse est: quum Philosophia nonnisi confusè quædam de Deo tradat, at Euangelium distinctè de unitate essentiæ divinæ & tribus in ea personis ὁμοουσίοις nos edocet. Is enim verè cognoscit Deum, qui eum cognoscit ut Patrem & Filium qui est Christus Dominus

minus, & Spiritum Sanctum qui inseparabilis est à Patre & Filio, licet nomen ejus non semper exprimatur. Ex eo quod Paulus Euangelium vocat mysterium Dei ac Patris & Christi, colligimus etiam, neminem rectè agnoscere posse Patrē, nisi simul cognoscat Christum per quem solum Pater cognoscitur: neminem etiam salutariter cognoscere Christum, nisi à Christo conscendat ad Patrem, in quo fidem nostram subsistere necesse est, cùm altius adscendere non detur. Huc pertinet quod legitur 1. Joh. 2. v. 22, 23. *Qui negat Patrē, & Filium. Quisquis negat Filium, nec Patrem habet: qui agnoscit Filium, & Patrem habet.*

V. Quòd Apostolus amplificandi argumenti hujus gratia non dicit, in Christo esse absconditam sapientiam ac cognitionem, neque etiam dicit, thesauros esse in illo absconditos, sed OMNES thesauros sapientiæ ac cognitionis in eo absconditos esse, inde colligimus, *primò*, quicunq; Jesum Christum rectè cognoscit, eum plenè & perfectè sapere, seu plenam perfectamque sapientiam, quatenus in hac vita ad salutem æternam consequendam necessaria est, tenere. *Secundò*, extra Christum sapientiam atq; cognitionem salvificam nullam esse, aut reperiri posse. Ergo quicunq; extra Christum aliquid de Deo scire se putant, idolum sibi fingunt Dei loco. *Tertiò*, Sapientiam atq; cognitionem Jesu Christi verè thesaurum esse cui nulli thesauri mundani cō-

parari queant, imò omnium thesaurorum loco esse: ac proinde sapiẽtiam & cognitionem illam verè opulentam esse, quum rerum terrenarum possessio & humanarum rerum sapientia & cognitio cum illa collata sit inops & sterilis. *Quartò*, thesauros sapientiæ & cognitionis in Christo Jesu esse occultos coram sapientibus & intelligentibus hujus mundi, quò etiam pertinet locus Matth. 11. v. 26. nec eminere magno splendore conspicuos, sed potiùs sub crucis humilitate & simplicitate contemtibili quasi delitescere, cùm crucis prædicatio sit mundo stultitia, 1. Corint. 1. 21. *Quintò*, eosdem thesauros ex parte duntaxat in hac vita nobis patefieri, omnino plenam autem eorũ manifestationem & exhibitionem in altera vita futuram, in qua videbimus Deum sicuti est, de facie ad faciem.

8. Hactenus de parte prima capitis secundi: Sequitur

SECUNDA quæ est admonitio summè necessaria de cavẽda pseudotheologia tum Gentilium tum Judæorum.

9. Argumenta quibus Apostolus nos admonet ut à Gentilium doctrina nobis caveamus, proponuntur octo.

10. PRIMUM est, quia doctrina illa est fallax, etiamsi sermonis probabilitate constet:

11. Discimus ex hoc argumento ingenium & mores sapientum hujus mundi, quales sunt Philosophi gentiles patriarchæ hæreticorum,

ticorum, ut à Tertulliano nuncupantur; ipsi item hæretici, & sophistæ & pseudopolitici, qui ratione carnali seu consilio carnis & sanguinis negotium religionis Christianæ tractant & tractari volunt: nimirum illi artibus quibusdam irretire gestiunt simplicium animas, ut ratione mundanarum rerum abstrahant eos ab spe quæ est in Christo.

12. Artes autem illæ sunt, παραλογισμὸς & μυθολογία.

13. παραλογισμὸς, est sophisticus elenchus, qui cùm videatur esse Syllogismus & elenchus, revera tamen non est. Quemadmodum & in aliis rebus hoc fit ob quandam similitudinem, ita etiam in argumentationibus accidit. Et enim habitum corporis alii bene constitutum habent, alii habere videntur, instar tribuariarum hostiarum (hoc est, quæ in tribuum sacrificiis offerebantur) tumentes & apparantes semetipsos: & pulchri alii sunt nativa pulchritudine, alii ἀλοκόσμῳ, hoc est, per fucum videntur. In rebus etiam inanimis itidem se res habet: harum enim quædam argentum, quædam aurum sunt revera, aliæ cùm non sint, tamen quod ad sensum, videntur esse, ut lythargyrina & stannea videntur esse argentea; quæ verò felle tincta [item orichalcina] sunt, ænea: Eodem modo & Syllogismus & elenchus aliàs est re vera, aliàs non est, sed esse videtur, propter imperitiam: nam imperiti, quasi procul distantes, contemplantur, ac

proinde falluntur ut ii, qui eminus res adspiciunt: ut Aristoteles salubriter admonet libro de Sophisticis elenchis, capite primo.

14. πιθανολογία est oratio ad persuadendum accommodata rationum probabilitate, sermonisq; venustate. Eadem appellatur Sophistica, & sapientia videtur, cùm revera non sit. Talis est falsa Logices & Rhetorices κολακευτική, ad quidvis persuadendum comparata artificio sermonum deceptoriorum, qualium sermonum artifices & bonas disciplinas omnes corruperunt, & respublicas perdiderût, & inprimis religionem Christianam Ecclesiasque subvertere conati sunt.

15. Discimus hinc *secundò*, rectum usum veræ Logices & Rhetorices à κολακευτική & πιθανολογία plurimùm differre. Proinde perversè hoc Pauli loco abutuntur, qui eo usum Logices & Rhetorices damnari contendunt in Theologia atque in Ecclesia.

16. Hactenus primum argumentum admonitionis: deinceps Apostolus Prolepsi seu occupatione utitur, quæ duabus partibus cõstat, anticipatione objectionis & responsione ad illam objectionem.

Objectio hoc enthymemate comprehendi potest: Tu corpore à nobis abes, Ergo cognitum tibi non est quid nobis desit & de quo simus admonendi: quid ergo nos admones, ut à doctrina hominum nobis caveamus, quasi nos inconstantiæ accusares? Responsio ad hanc

hanc objectionem tribus partibus cõstat: *Prima* est concessio, in his verbis, *Etsi corpore absum: altera* est positio seu asseveratio suæ præsentiæ inter illos per spiritum, unde intelligerent Colossenses, Paulum non omnino ab illis abesse. Qui enim spiritu cum aliis fidelibus est, is nequaquam omnino ab illis abest: *tertia* est gratulatio de constantia Colossensium, quam declararunt tum in observatione ordinis, hoc est, disciplinæ Ecclesiasticæ, tum in soliditate fidei suæ in Christum, hoc est, constanti perseveratione in doctrina veræ fidei in Christum.

17. Usus in his cõsectariis manifestus est:

I. Qui admonet alios, etiam atque etiam videat ne temerè offendat & alienos à proposito bono reddat, quos admonet. Ideo si admonitio odiosa vel invidiosa videtur, tempestiva occupatione est occurrẽdum, objectioni quæ proferri poterat contra admonitionem respondendo, & eos quos admonemus justis laudibus nequaquam fraudando.

II. Discunt hinc peculiariter ministri verbi, quomodo conscientias aliorum tractare & curare debeant: nempe, cùm aliqua observaverint propter quæ reprehendi debeant alii, non tantùm admonendis iis intenti sint, verùm etiam laudandis iis quę in ipsis commendationem merentur: Nam admonitio temperata laude faciliùs admittitur, quia intelligitur proficisci ab animo benevolo & virtutes aliorum magnificiente.

III. Communio sanctorum non tam in corporali fidelium inter se præsentia, quàm in spirituum conjunctione consistit. Quòd si fideles alii aliis adsunt, etiamsi corpore absint: multò magis Christus nobis ubicunq; simus in his terris adest suo spiritu, gratiâ, benedictione, protectione, atq; adeò Deitate, etiamsi corpore à nobis absit.

18. Secundum argumentum admonitionis Apostolicę ductum est ab officio fidelium v. 6. & 7. contineturq; hoc Syllogismo:

Quicunq; ut Christum Jesum Dominum acceperunt, ita in eo ambulare debent, radicati & superstructi in eo ac confirmati fide, sicut edocti sunt, exundantes ea cum gratiarum actione; sed profectò ab hominum doctrina cavere sibi debent.

Atqui omnes verè fideles ut Christum Jesum Dominum acceperunt, ita in eo ambulare debent, &c. Ergo omnes verè fideles ab hominum doctrina cavere sibi debent.

19. Consectaria hujus argumenti usum monstrantia hæc præterea sunt:

I. Non est sine distinctione standum iis quæ majores tradiderunt, sed in iis solis perstandũ quæ à Christo Domino percepimus.

II. Quicunq; veram fidei doctrinam suscipiunt, Christum Jesum Dominum accipiunt.

III. Si in Christo est ambulandum fidelibus, tum ipse solus est via quà per veritatem ad vitam pervenitur sempiternam.

IV. Christus est radix nostra ex qua pullulamus,

lulamus, crescimus, viremus, floremus, fructum proferimus veluti surculi ipsi insiti.

V. Christus est fundamentum unicum, in quo nos superstrui necesse est, si adversus impetum ventorum atq; aquarum subsistere cupimus. Huc pertinet quod Christus dicit Matth. 7. v. 24, 25.

VI. Fidei nostræ fundamẽtum alibi quęrendum non est quàm in Christo.

VII. Vera doctrina ac fides semper est eadem. Qui ergo aliam doctrinam nunc edocentur, quàm fideles primitivæ Ecclesiæ, nempe Colossens. & alii edocti fuerunt ii à verè Catholica & Apostolica fide abducuntur.

VIII. Vera fides est instar liquoris saluberrimi à Spiritu S. cordibus electorum infusi, qui crescit indies ita ut alveolis cordium contineri nequeat; sed instar crescentis fluvii limpidissimi longè lateque exundet ad alios irrigandos, qui liquore sanæ doctrinæ destituti arent. Unde vera fides non est, quæ concluſa est & ad alios Christo lucrifaciendos se non diffundit.

IX. Vera fides cum perpetua gratiarum actione & gratitudine adversus Deum conjuncta est.

DOMINO JESU SIT LAUS ET Gloria in omne ævum.

AMEN.

THESIUM ANALYTICARUM

Quibus epistola Pauli Apostoli ad Colossenses explicatur

Ab

AMANDO POLANO
A POLANSDORF,

propositarum

PARS SEPTIMA

in qua

Die 18. Octobris DOMINO JESU *benedicente, objicientibus respondit*

M. PAULUS LOCHMANNUS
BASILIENSIS.

Anno CIↃ IↃ CIV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0170
DFG

ILLUSTRI ET GENEROSO BARONI D. FRIDERICO A ZEROTIN Straznicii hæredi

AMANDUS POLANUS A POLANSDORF quæ ad vitam & pietatem pertinent precatur.

ETSI, *Illustris & Generose Baro, domesticum monitorem habeas virum præstantissimum Dn. Fridericum Pierium, qui salutaria præcepta quibus ad veram pietatem instituaris instillare animo tuo non desistit: tamen mei quoque officii esse ratus sum te publicè compellare, & ad ea quæ ad gloriam* DEI *tuamque salutem pertinent hortari. Summa autem hortationis meæ est, ut ab erronea atque in primis Antichristiana religione, quæ veluti novus Samaritanismus ex Gentilismo & Judaismo sub specie Christianismi conflata est, sedulò tibi caveas. Causæ cur id facere debeas, gravissimæ sunt, nimirum, ne quis te deprædetur, thesauro vitæ* CHRISTO JESU *erepto: ne quis te vana seductione decipiat, aut ad traditiones humanas à* DEI *verbo abducat, aut animum elementis mundi affigat & non secundùm Christũ esse sinat: sed ut in* CHRISTO JESU *maneas, in quo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, in quo completi sumus, qui est Caput omnis imperii ac potestatis. Has causas pluribus verbis in Thesib*^9 *hisce explico, quas tibi inscribere volui, etiam atque etiam orans benignissimum Patrem cælestem ut te in Filio suo Unigenito conservet & per Spiritum Sanctum gratiosè regat. Vale feliciter, Illustris & Generose Baro, &* DEO *in omnibus placere stude. Basileæ 10. Octobr. Anno ultimi temporis 1604.*

THESIS I.

ARGUMENTA admonitionis Apostolicæ de cavenda pseudotheologia & religione falsa Gentiliũ Philosophorum, præcedente disputatione duo proposita sunt : sequuntur jam cætera.

2. TERTIUM igitur argumentum hoc est:

Quocunque homines perversi nos deprædari conantur id sedulò nobis cavendum: At pseudotheologiâ homines perversi nos deprædari conantur: Ergo illa sedulò nobis cavenda.

3. Hoc argumentum continetur his verbis : *Videte ne quis sit qui vos deprædetur per philosophiam. Deprædari*, verbum est militare, quod significat prædam abigere : hoc loco metaphoricè usurpatur & idem valet quod eripere thesaurum veritatis, sapientiæ, scientiæ, ac proinde & salutis æternæ CHRISTUM JESUM, verbis ad promovendum atque persuadendum compositis, & pro thesauro illo carbones obtrudere.

4. *Philosophiæ* autem nomine non intelligit hoc loco Apostolus veram Philosophiam: *Primò* quia ipsemet Philosophiâ utitur, dum ratiocinando aliud ex alio colligit, vera confirmat, falsa confutat, Methodo accuratissima omnia

omnia disponit. Visum est huc adscribere locum Augustini pulcherrimum, qui exstat tomo septimo, libro primo contra Cresconium Grammaticum, cap. vigesimo: *Hanc artẽ quam Dialecticam vocant, quæ nihil aliud docet quàm consequentia demonstrare, seu vera veris vel falsa falsis, nunquam doctrina Christiana formidat, sicut eam in Stoicis non formidabat Apostolus, quos secum volentes conferre non respuit. Et ipsa enim fatetur & verum est, neminem à disputando ad conclusionem falsam consequenter impelli, nisi priùs consenserit falsis, quibus eadem conclusio velit nolit efficitur, ac per hoc qui cavet ne se loquente consequantur falsa quæ non vult, volens falsa caveat quæ præcedunt. Si autem præcedentibus veris inhæserit, quæcunq; consequentia perspexerit quæ falsa existimabat, vel de quibus dubitabat, admonitus amplectatur, si veritati est pacatissimæ amicior, quàm contentiosissimæ vanitati.*

5. *Secundò*, quia vera Philosophia donum DEI est, imò DEI sapientia est. *Augustinus* tomo tertio, libro secundo de doctrina Christiana, capite trigesimo secundo ait: *Veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus & notata, ut eam possint vel discere vel docere. Nam est in rerum ratione perpetua & divinitus instituta. Sicut enim qui narrat ordinem temporum, non eum ipse componit: & locorum situs aut naturas animalium vel serpentium vel lapidum qui ostendit, non res ostendit ab hominibus institutas: & ille qui demonstrat sydera, eorumq; motus, non à se*

vel ab homine aliquo rem institutam demonstrat: sic etiam qui dicit, cùm falsum est quod consequitur, necesse est ut falsum sit quod præcedit, verissimè dicit, neque ipse facit ut ita sit, sed tamen ita esse demonstrat.

6. *Tertiò*, quia fundamentum habet in notitiis nobiscum nascentibus & experientia universali.

7. *Quartò*, quia finem habet veritatis inventionem. Justinus Martyr Paræneſi ad Græcos pag. vigeſ. quintâ editionis Commelinianæ.

8. *Quintò*, quia non repugnat Sacræ Scripturæ, ſed ancillatur & ſubſervit.

9. Sed intelligit per *Philoſophiam* Apoſtolus ψευδώνυμον γνῶσιν, falsò nominatam cognitionem 1. Tim. 6. 20. cum veritate à DEO revelata in Sacris Scripturis pugnantem, nimirum ſpeculationes curioſas de rebus divinis, reconditæ cujuſdam ſapientiæ ſpeciem habentes, ex Gentilium Philoſophorum commentis hauſtas, quas Gētiles vel pſeudochriſtiani Chriſtianiſmum cum Ethniciſmo commiſcentes jactabant & magnificiebant: unde orta commentitia θεογονία & Gentilium Theologia ad quam pertinent ſuperſtitiones & impiæ obſervationes, quibus Gentilium vita deteſtanda erat, ad quam Magicæ artes & ſimiles impoſturæ referuntur: ex Philoſophia malè intellecta vel perperam accommodata propugnatæ φιλοσοφήσεις humanæ ut ἀγγελολατρείαι, & hæreſis multiplex; ſic ut non dubitarit appel-

appellare Tertullianus Gentiles Philosophos hæreticorum Patriarchas, libro adversus Hermogenem, capite octavo: pluribus autem explicat libro de Præscriptionibus adversus hæreticos, capite octavo.

10. Unde colligimus, peccasse contra hâc admonitione Apostolicam Theologos Scholasticos, qui ex Philosophicis axiomatibus magnam Theologiæ & religionis partem deduxerunt.

11. Nec minùs peccant stolidis præjudiciis quidam matæologi qui Philosophiam etiam veram, veluti artem rectè ratiocinandi, item discrimen inter proprias & figuratas seu tropicas locutiones damnant & rejiciunt, & ex Theologicis scholis proscribunt atque exterminant.

12. QUARTUM argumentum est: Omnis vana seductio seu deceptio est fugienda: At pseudotheologia Gentilium Philosophorum est vana seductio seu deceptio.

13. QUINTUM: Quicquid à verbo DEI abducit ad traditionem hominum, est nobis fugiendum: At pseudotheologia Gentilium Philosophorum à verbo DEI abducit ad traditionem hominum. Nam Græci Philosophi multa observabant à majoribus tradita. Ergo, &c.

14. Consectaria. I. Traditiones humanæ non sunt verum principium Theologiæ & religionis divinæ.

15. II. Traditiones Papanę non sunt meliores Gentilibus seu Ethnicis: quia sunt humanæ vanitatis partus, superstitiosæ, & pleræq; etiam stultę & ineptæ solâ nitentes consuetudine & fictis miraculis.

16. SEXTUM: Quicquid affigit animos elementis mundi, id est fugiendum: At pseudotheologia Gentilium Philosophorum affigit animos elementis mundi: Ergo, &c.

17. *Elementa mundi* vocat Paulus non quatuor illa Physica elementa ex quibus corpora naturalia composita sunt; sed externas ceremonias in religionis exercitio quibus mūdus deditus est & affixus: cujusmodi ceremoniæ erant plurimæ sicut apud Gētiles, ita & apud Judæos in cultu Legali, quem pseudochristiani cum Euangelio conjungere volebant.

18. Nominantur autem *elementa*, quia sunt veluti puerorum prima rudimenta, sicut & Deus Judæos ceremoniis quasi sub pædagogo erudiit: ut docetur pluribus Gal. 4. v. 3. & sequentibus: donec postea pleno cornu effudit Spiritum Sanctum tempore Euangelii.

19. Id enim fuerunt legales ceremoniæ quod sunt literæ Alphabeti: nempe ut hę sunt elementa à pueris priùs cognoscenda, quàm legere integras dictiones & orationem continuam discant: ita illæ fuerunt elementa, quibus fideles cognitionem Christi inchoatam & rudem habuerunt.

20. SEPTIMUM: Quicquid nō sinit nos esse secun-

secundùm Christum, sed ab eo abducit, id est sedulò fugiendum: At pseudotheologia Gentilium Philosophorum non sinit nos esse secundùm Christum, sed ab eo abducit: Est ergo sedulò fugienda.

21. Consect. Etiamsi maximè esset, ut ex dimidio posses & Christo & alii servire, ne sic quidem oporteret. Chrysost. Commentar.

22. OCTAVUM: Si in Christo nobis manendum: tũ profectò pseudotheologia Gentilium Philosophorum est sedulò fugienda: Antecedens certum est: Ergo & consequens.

23. Assumtum tribus argumentis confirmatur:

Primum est; In quo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, in eo nobis manendum: In Christo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Ergo, &c.

24. Ut hujus argumenti sensum verum habeamus, perpendenda sunt accuratè verba Pauli. Ait, *in eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.*

25. *In eo*, idem est ac si dixisset in Christo, ut Capite:

26. Nam loquitur non de sola carne Christi, sed de tota ejus persona.

27. *Inhabitat*, id est, perpetuò & realissimè inest:

28. Non solùm Deitas, sed *plenitudo Deitatis.*

29. Nec solùm plenitudo, sed OMNIS *ple-*

nitudo Deitatis, id est, tota divina essentia cum omnibus suis proprietatibus atque thesauris: cùm in aliis quantumvis excellentissimis creaturis, ut Angelis; & hominibus veluti Prophetis vel Apostolis vel aliis sanctis quædam solummodo dona creata, Spiritus Dei efficiat.

30. Inhabitat autem non πνευματικῶς, spiritualiter, hoc est, per gratiam aut per efficacitatem tantùm Spiritus sui, sicut inhabitat in omnibus sanctis, juxta illud 2. Corint. 6. v. 16. *Inhabitabo in eis.*

31. Sed σωματικῶς, *corporaliter*, ho est, proprio quodam corpore assumto, sibiq́ue in unam hypostasin seu personam unito: sic ut verbum σῶμα factum sit, eo sensu quo Joh. 1. v. 14. caro factum, & 1. Tim. 3. v. 6. Deus in carne manifestatus est. Est enim quodam modo facta corporata ipsa Deitas, assumtione corporis. Athanasius sermone quarto contra Arianos ait, Deitatem in Christo habitare σωματικῶς, quia proprium quoddam corpus accepit.

32. Unde Orthodoxi Patres dixerunt, *divinam naturam verbi incarnatam* nimirum non per cõversionem in carnem, sed per unionem cum carne in una hypostasi Verbi illius: sicut vice versa Gregorius Nazianzenus epist. 1. ad Chelidonium dicit, *carnem deificatam per incarnationem verbi*, non quia conversa sit in Deitatem, nec quia realiter cum ea communicata sit plenitudo Deitatis, aut quia realiter in ipsam

psam transfusa sint essentialia Deitatis idiomata, sed quia facta est caro Dei per hypostaticam unionem cum Verbo illo, quia suscepta est in unitatem personæ ejus qui reipsa Deus est.

33. Quòd si quis illud, *in eo*, dicat Synecdochicè accipiendum pro *in corpore Christi*, quòd in eo Deitas Christi habitet tanquam in templo proprio: tum σωμαλικῶς idem erit quod ὑποσταλικῶς, personaliter qa corpꝰ personaliter unitũ est Deitati Christi: sicut Justinus Martyr in Expositione fidei de recta confessione ait, *Ubiq; substantiâ Verbũ adesse, & καθ' ἐξαίρετον*, hoc est, *eximio quodammodo in templo suo proprio.*

34. Utrovis modo voces, *in eo* & *corporaliter*, acceperis, hoc tamẽ ratum erit, Christum non tantùm hominem, sed etiam verum & perfectum in eadem persona Deum esse naturaliter, essentialiter, substantialiter; eoque fontem bonorum omnium & totius salutis nostræ: Ac proinde in eo nobis manendum.

35. QUAESTIO autem hîc oritur, si concedatur, in corpore Christi habitare totam plenitudinem Deitatis, quomodo id fieri possit, cùm Deitas sit immensa & infinita, corpus autem Christi loco circumscriptum & finitum? RESP. Tota plenitudo Deitatis habitat in corpore Christi, nec tamen ibi est concluſa: quia ita tota est in corpore, ut etiam sit tota extra illud ubique in cælo & in terra. Ratio est, quia non solùm est immensa ut possit

esse ubiq;, sed etiam est simplicissima, ut possit esse & sit ubique tota. Si anima humana est tota in toto corpore & tota in singulis partibus corporis; quia substătia est simplex & incorporea: quantò magis id dicendum est de divina essentia, quæ est simplicissima & spiritualissima ὐσία.

36. Cæterùm ex his Apostoli verbis minimè sequitur, Christi humanæ naturæ aliquas essentiales proprietates Deitatis realiter communicatas, velut ubiquitatẽ, omniscientiam, omnipotentiam.

37. Nam omnis plenitudo Deitatis non significat quasdam proprietates Deitatis, sed universas. Ideo si hinc concludendum esset, proprietates essentiales Deitatis esse carni realiter communicatas, tum omnes communicatæ erunt, nempe æternitas, simplicitas, immensitas, infinitas, &c.

38. Proinde non sequitur, Deitas Christi est ubique; Ergo & corpus in quo illa tota habitat est ubique. Sicut non valet hæc sequela: Deitas Christi est infinita: Ergo & corpus in quo illa tota habitat est infinitum.

39. Nec sequitur ex verbis Apostoli, animam Christi increato lumine divino Deum videre & omnia.

40. Quia etsi tota plenitudo Deitatis est in humana Christi natura, tamen non est ita in illa, ut anima Christi per illam Deitatis plenitudinẽ videre Deum queat; quia hoc Deitatis

tatis proprium est, per seipsam videre seipsam & omnia: & quia nulla creatura per lumen increatum perq; sapientiam increatam potest Deum videre & intelligere. Ideo anima Christi videt Deum non per increatum lumen divinum, sed per creatum.

Hactenus primum argumentum quo assumtum confirmatur.

41. Secundum argumentum est; In quo completi sumus, in eo nobis manendum: At in Christo completi sumus, hoc est, consummationem sapientiæ beatificæ & salutis nostræ habemus in Christo: perfecti sumus in conspectu Dei non tantùm partibus verę pietatis, quę omnes in nobis regeneratis inchoatæ sunt, sed etiam gradibus veræ & integræ justitiæ Christi nobis imputatæ. Ergo, &c.

42. Consectaria. I. Quæcunq; ad salutem pertinent & nobis necessaria sunt, ea omnia habemus in Christo: nihil igitur extra Christum quærendum.

43. II. Christi justitia atq; perfectio nobis imputatur, quia in Christo sumus completi & perfecti.

44. Tertium argumentum est: Qui est caput omnis imperii ac potestatis, in eo nobis manendum: Atqui Christus est caput omnis imperii ac potestatis, hoc est, dignitate superior omnibus Angelis & causa omnis principatus & potestatis: Ergo in Christo manendum.

45. Consectaria. I. Si Christus est caput omnis imperii ac potestatis: Ergo ejusdem est cum Patre essentiæ. Hoc colligit Chrysostomus in commentariis ad hunc locum.

46. II. Si Christus est caput omnis imperii ac potestatis: Ergo etiam omnium Angelorum.

47. III. Si Christus est caput omnis imperii ac potestatis; illo igitur contenti esse debemus, nec audiendi illi qui cultum Angelorum vel aliarum præcipuarum creaturarum proponunt & commendant.

48. IV. Si Christus est caput omnis imperii ac potestatis: Ergo ab ipso omnia bona exspectanda, ab eo petenda & fide accipienda; non autem expetenda aut petenda ab Angelis vel aliis primariis creaturis.

49. Hactenus fuerunt argumenta admonitionis Apostolicæ de cavenda Gentilium Philosophorum pseudotheologia: sequuntur jam argumenta admonitionis de cavendo Judaismo.

50. Judæi enim docebant circumcisionis & aliarum ceremoniarum Mosaicarum observationem esse ad salutem æternam necessariam: Apostolus igitur admonens nos ut Judaismum caveamus variis utitur argumentis.

51. Circumcisione nobis opus non esse duobus argumentis evincit.

52 PRIMUM est: Quicunq; meliorem habent circumcisionem quàm est externa Mosaica,

saica, hac externâ Mosaicâ in Christo exhibito jam completâ & abrogatâ, iis externa illa circumcisione Mosaica opus non est: At Christiani meliorem habêt circumcisionem quàm est externa Mosaica, &c. Ergo, &c.

53. Assumtio certa est: nam Christiani in Christo jam exhibito circumcisi sunt circumcisione quæ fit sine manibus, corpore peccatorum carnis exuto in circumcisione Christi.

54. Duplex ergo est circumcisio, *externa & interna.*

55. *Externa*, est corporalis quæ in carne fiebat manibus humanis Ephes. 2. v. 11. sola, hoc est, separata ab interna & spirituali inutilis, propterea appellata circumcisio in litera Rom. 2. v. 29.

56. *Interna*, est spiritualis quæ in corde seu spiritu fit Rom. 2. 29. sine manibus humanis, ut hoc loco Apostolus dicit.

57. Circumcisio hæc interna à Deo præcipitur Deut. 10. v. 16. Jerem. 4. v. 4. & promittitur Deut. 30. v. 6.

58. Dicitúrque aliàs Regeneratio, quæ fit tum exuendo, hoc est, auferendo deponendoque ex animo nostro *corpus peccatorum*, hoc est, vitiositatem eam quæ voluntati divinæ repugnat, quam vitiositatem hominem veterem appellat Paulus, in hac Epistola cap. 3. & corpus peccati Rom. 6. v. 6. tum reformando cor ad obsequium voluntatis divinæ.

59. *Corpus peccatorum*, id est, vitiositas illa

innata dicitur esse carnis tum quia ortum ducit ex carne per generationē carnalem, nam, *quod natum est ex carne, caro est* Joh. 3. vers. 6. tum quia in carne, hoc est, in toto homine, nempe anima & corpore, quatenus nondum plenè regeneratus est inhæret. Ephes. 2. v. 3.

60. Circumcisio hæc nostra interna fit in Christo in quo per fidem sumus.

61. Et fit in circumcisione non Abrahami, non Mosis, sed Christi, qui efficit illam in nobis per Spiritum Sanctum: hoc admirabile est Christi beneficium.

62. USUS I. Sicut circumcisio externa sine interna nihil prodest: ita etiā Baptismus externus sine interno inutilis est. Similiter externa Cœna seu usus panis & vini, absque interna Cœna seu fruitione corporis & sanguinis Christi nihil prodest, imò etiā obest, quia auget judicii divini rigorem adversus abutentes sacris signis.

63. II. Interna veritas Sacramentorum absq; externis signis ad salutem sufficiens est: sed externa signa absque veritate Sacramentorum interna ad salutem non sufficiunt.

64. SECUNDUM argumentum est: Quicunque loco externæ circumcisionis habent Baptismum, iis non est opus externa circumcisione: At Christiani loco externæ circumcisionis habent Baptismum: Ergo, &c.

65. Hoc argumentum amplificatur à fine Baptismi, quòd sit signum significans & obsignans

gnans nobis beneficium tum *regenerationis* tum *justificationis*.

66. *Regenerationis* quidem, quia nobis confirmat, nos quò ad veterem hominem mortificatos & consepultos cum Christo: & suscitatos cum eodem, quò ad novum hominem, hoc est, ex efficacia mortis & sepulturæ Christi promanare, ut vitiositas nativa in nobis perimatur & quasi sepulta contineatur: & vicissim ex virtute resurrectionis Christi proficisci, ut novam vitam vivamus.

67. Non ex opere operato, id est, externo usu aquæ Baptismi, sed per fidem Dei qui efficaciter in nobis vim suam exserit, quemadmodum & in Capite nostro Christo quē ex mortuis suscitavit, efficiendo in nobis fidem per quam vivimus.

68. *Justificationis* verò beneficium quod attinet, Baptismus idem nobis confirmat, nos qui mortui eramus in peccatis & præputio carnis nostræ, cum Christo esse vivificatos, hoc est, donatam nobis vitam æternam, condonatis nobis omnibus peccatis.

DOMINUS JESUS CHRISTUS MANEAT in nobis, ut nos in ipso maneamus,
AMEN.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0185
DFG

THESIUM ANALYTICARUM

Quibus Epistola Pauli ad Colossenses explicatur

Ab

AMANDO POLANO
A POLANSDORF
propositarum

PARS OCTAVA

de qua

Die 16. Maji, DEO dante, interrogantibus respondit

M. JOHAN. ENDERLINUS
BASILIENSIS.

Anno cIↃ IↃcv.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0186
DFG

GENEROSO ET VERE Nobili D. ADAMO BUDOVVECIO à Budovva, &c.

AMANDUS POLANUS A' POLANSDORF gratiæ & pacis CHRISTI incrementa precatur.

QVi falsa dogmata in fidei negotio pertinaciter tuentur; illos etiã à vero cultu Dei aberrare necesse est. Qualis enim fides est, talis & cultus Dei, quũ hic illam & ex illa nascatur & consequatur. Ac ut jam de erroribus circã fidẽ sileam, inter alias cultus divini corruptelas fuerũt olim & sunt jam hæ duæ usitatissimæ; ceremoniarum externarũ superstitiosa observatio & ἐθελοθρησκεία, hoc est, cultus religiosi absq; mãdato divino, ex proprio voluntatis arbitrio confícti vel electi. Ut enim mundus pompis: ita hypocrisis ceremoniis & variis religionibus humanã vel superstitione vel audaciã invectis delectatur. Utranq; corruptelã Apostolus Paulus in epistola ad Colossenses argumẽtis refellit validissimis, q̃ declarare & ad usum accommodare nostrũ studio habui in hac disputatione Analytica, quã tibi, Generose Domine ADAME, inscripsi, tum ut meũ in te amorẽ testarer, tum ut calcar currẽti in stadio religionis sanctissimo adderẽ. Præceptũ habes cui obtemperes divinũ; Ne discedito liber Legis ex ore tuo, sed meditaberis de eo interdiu & nocte, ut cũ observãtia facias omnino prout scriptum est in eo: tũ enim prosperaberis in viis tuis & tunc secundaberis: ait Jehova ad Josuam c. 1. v. 8. Exemplũ habes quod imitere domesticum, verè Generosi Dn. Parentis tui, cujus etiã adhortationes planè paternę tibi nõ desunt. Quin etiã monitores habes assiduos & sincerò affectu curam tui gerẽtes Dn. Iohannem Gebhardũ & Dn. Simeonẽ Müllerum. Perge igitur, & in cognitione salvifica unici veri DEI, Patris, Filii & Spiritũ Sancti magna cape incrementa, atq; in pietatis minimè fucatę exercitiis sincerè & constãter pseverа. DOMINUM JESUM supplex veneror, ut vitę, valetudini, studiis & peregrinationi tuæ ubertim benedicat. Perscriptũ BASIL. die 8. Mai Ann. CVM Deo

THESIS I.

POSTQUAM Apostolus adversus Judaismi patronos confirmavit, circumcisione externâ Christianis opus non esse, deinceps probat etiam aliarum Judaicarum ceremoniarumlege Mosis præceptarum, exempli gratiâ, discriminis ciborum & potuum, festorum, novilunio rum, Sabbathorum, sacrificiorum, &c. observationem ad salutem æternam necessariam non esse: nullumque Christianorum ob illarum ceremoniarum omissionem à quoquam damnandum.

2. Argumenta probationis adducit quatuor:

PRIMUM: Quicquid nos coram Deo non justificat, sed nobis contrarium est tanquam chirographum convincens nos debitorum & obligationis ad pœnam; ejus profectò observatio ad salutem æternam non est nobis Christianis necessaria.

At ceremoniæ Judaicæ Lege Mosis præceptæ nos corâ Deo non justificant, sed nobis contrariæ sunt, tanquam Chirographa convincentia nos debitorum & obligationis ad pœnam: Ergo, &c.

3. Colligimus inde, *Primò* quid sit statuendum de ceremoniis mundationum legalium, discriminis ciborum mundorum ab immundis, potuum, sacrificiorum, observationis dierum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0188
DFG

rum festorum, noviluniorum, Sabbathorum & similium, nempe eas veluti chirographa fuisse & solennia instrumenta, quibus unusquisque confitebatur tum sua peccata, tanquam debita, tum obligationem ad pœnam æternam pro illis. Quid enim externis mundationibus aliud agebant Judæi, nisi quòd se immundos esse testabantur? & mactatione pecudum, quę in sacrificium offerebantur, nonne fatebantur se naturâ filios iræ & dignos morte æterna esse? Proinde in ceremoniis Mosaicis confessio magis delictorum & reatus exstitit, quàm expiatio & solutio.

4. Cum hoc autem argumento Apostolico non pugnat, quòd ceremoniæ Mosaicæ fuerint gratiæ Dei sacramenta. Diverso enim respectu eædem ceremoniæ & chirographa erant confessionem reatus nostri habentia, quæ ipsarum cultores quasi arctiore vinculo coram judicio Dei adstringebat: & sacramenta gratiæ Dei erant per Christum exhibendę.

5. Nam quicquid in ceremoniis illis foris agebatur, nihil præ se ferebat aliud quàm obligationem tempori congruentem, quia nondum Christus sponsor noster in carnem venerat, nondum loco nostro satisfecerat: at intus fidelibus simul erant pædagogię ad Christum liberatorem mundi promissum.

6. Et ut clariùs dicatur: Ceremoniæ Mosaicæ usurpatæ sine fide in Christum, quasi cultus quidam Dei ex opere operato, quomo-

do à multis Judæorum usurpatas fuisse locus hic Pauli ostendit, nihil aliud erant quàm chirographum obsignans ipsorum reatum: usurpatæ verò cum fide in Christum venturum, cujus figurę erant, sacramenta gratiæ exstiterunt.

7. Quod de ceremoniis legalibus hîc dicitur, etiam de Sacramentis novi Testamenti similiter intelligendum. Baptismus & Cœna Domini sunt signa gratię iis qui in fide Christum præditi ea accipiunt: iis verò qui fide in Christum vacui sunt, nihil aliud quàm chirographa sunt adversus eos testantia quòd propter peccata æternæ mortis rei sint.

8. *Secundò*, colligimus inde, retentâ vel reductâ post Christum exhibitum observatione ceremoniarum Mosaicarum, irritum reddi Christi beneficium, quatenus peracta semel æterna redemtione à peccatorum culpa & pœna, chirographum nostræ saluti cõtrarium sanguine suo delevit, & clavis crucis suę transfixit. Chirographo enim manẽte, debita non sunt remissa. Multò magis fictitio & à Deo nõ mandato Missæ Papanæ sacrificio expiatorio irritum redditur Christi sacrificium in cruce oblatum. Nam si sacrificium crucis sit substantiâ idem cum sacrificio Missæ, tum necesse est in Missa fieri aut continuationem, aut reiterationem sacrificii crucis. Si fit cõtinuatio, tum sacrificium crucis non est perfectum; quia quandiu actio aliqua temporalis cõtinuatur, non

non est perfecta, sed tum demum cùm ad finem pervenit, perfectionem recipit. Quòd si in Missa iteratio fit sacrificii Christi, rursus sequitur illud imperfectum fuisse: nam & sacrificia veteris Testamenti ideo repetebantur, quia imperfecta erant, & peccatum non abolebant.

9. *Tertiò*, ceremonias Mosaicas ad peccata consignanda tantùm validas fuisse, ad eadem delenda nihil potuisse.

10. SECUNDUM ARGUMENTUM: Quicquid per Christum abolitum est, ejus observatio ad salutem æternam non est nobis Christianis necessaria:

Ceremoniæ Judaicæ lege Mosis præceptę, sunt per Christum abolitæ:

Ergo earum observatio ad salutem ęternam non est nobis Christianis necessaria.

11. Minorem Apostolus proponit, cùm ait, quòd *Christus deleverit* δογμάτων, hoc est, *decretorum chirographum & illud è medio sustulerit.* Hoc non de lege Morali accipiendum, sed de Ceremoniali: quia Paulus in loco parallelo per δόγματα seu *decreta* intelligit ceremonias, nempe Ephes. 2. v. 14, 15. *Ipse enim est pax nostra, qui utraque fecit unum, & intergerini parietis septum solvit, Inimicitias*, id est, *lege mandatorum* quæ *in decretis* posita est, *per carnem suam abolitis.* De ceremoniis illic agi, minimè ambiguum, quia τὸ μεσότοιχον & φραγμὸς, *intergerini parietis septum*

vocat, quo Judæi à gentibus dissidebât, quod à Christo est sublatum.

12. Ita quod Judæi contra se faciebant, cæremoniis legalibus utendo, id Christus pro eis seu ipsorum bono delevit, & è medio sustulit. Non satis fuit Apostolo dicere *delevit*; sed addidit, *& è medio sustulit*, ad amplificandum Christi beneficium. Nam plus est tollere è medio chirographum, quàm lineas transversas inducendo ipsum expungere : unde Christi beneficentia nõ inchoata tantùm est, sed perfecta.

13. Modus abolitionis chirographi & cæremoniarum fuit, quòd Christus cruci affixus sanguine suo pretioso in ea effuso non tantùm nostram inobedientiam expiavit, sed etiam annihilationem obligationis quæcunq; contra nos erat obtinuit, ac proinde cæremoniarum chirographum, quod adversus nos erat perforatum cruci secum affixit, sicut inter homines fieri solet, cùm soluto debito chirographum perfoditur, & irritum redditur. Quemadmodum per fructum ligni scientiæ boni & mali facti sumus debitores Deo : ita per Christum ligno crucis affixum accepimus nostri debiti remissionem.

14. Colligimus inde, *primò* persolutum à Christo pro nobis sufficiẽs pretium, quo nos à mortis reatu redemit : nam si sufficiens non fuisset, chirographum nostræ saluti contrarium non esset abolitum. *Eramus omnes obnoxii peccato*

peccato & pœnæ: Christus pro nobis in cruce solvit & peccatum & pœnam, ait Chrysostomus homiliâ sextâ in epist. ad Colost.

15. *Secundò*, peccata nobis remitti gratuitò, quia Christus chirographum nostrum expunxit & transfixit, nulla solutione à nobis facta.

16. *Tertiò*, satisfactionem nostram, quam tertiam pœnitentiæ partem Papistæ faciunt, necessariam non esse: Probè enim notandum est quòd Christus chirographum nobis non reddidit, nec antapocham dedit, quâ testetur à nobis sive pro culpa, sive pro pœna satisfactum; sed nulla à nobis præstita solutione chirographum abolevit, quod quidem est ejus qui lætus remittit.

17. *Quartò*, In Christi manu & potestate esse nostram vitam & salutem æternam: ipse enim chirographum quod nobis adversum erat cruci affixit & disrupit: ipse est cælestis Patris Cancellarius, qui chirographum nos ad mortem obligans ita induxit, ut nullum vestigium maneat ejus quod deletũ est. Quare quisquis vult chirographum suum, quo ad satisfactionem pro peccatis obligatus est, deleri & irritum reddi, is ad solum Christum confugiat: Et quoniam omnis spes & fiducia vitæ in Christo est, quoniam per ipsum peccatum deletum, & mors devicta, Christum solum sequatur.

18. TERTIUM ARGVMENTUM: Si cere-

moniarum Mosaicarum observatio adhuc ad salutem est necessaria; tum Christus diabolum & angelos ejus non exarmavit, illisq; jus accusandi nos coram tribunali Dei non ademit.

Atqui Christus exarmavit diabolum & angelos ejus, illisq; jus omne accusandi nos coram tribunali Dei ademit:

Ergo, &c.

19. Connexa propositio est necessaria: quia manentibus ceremoniis Mosaicis, manet chirographum adversus nos: manente chirographo adversus nos, habet adhuc diabolus jus accusandi nos, tanquam debitores corâ Deo, habet quod adversus nos proferat.

20. Assumtio est in his verbis: *Et exspoliata imperia ac potestates traduxit palàm, triumphatis illis per eam:* quibus respexit Apostolus ad morem illum veterem triumphandi, qui apud Romanos fuit.

21. Per *imperia ac potestates* intelligit diabolum & angelos ejus, quos sic nominat, tum quia sunt principes Mundi, Johan. 12. 31. Ephes. 6. 12. principes quibus potestas est aëris Ephes. 2. 2. tum quia magna est illorum potentia & fortitudo, quâ se nostræ liberationi per Christum factæ opponunt, conantes nos velut spolium in captivitate retinere, Matth. 12. 29. Luc. 11. v. 21, 22. Eos Christus heros verè bellicosus & victoriosus, de quo prædictum Jesai. 63. vers. 1. & sequent bus, prostravit: eis spolia,

spolia, in quibus latro in cruce conversus, eripuit: eos captivos traduxit palàm ignominiæ causâ, triumphum de illis agens in cruce, quæ fuit instar triumphalis currus.

22. Quum enim diabolus, qui mortis imperium habet, ut dicitur Hebr. 2. v. 14. existimaret, se Christum in cruce pendentem in potestate sua habere, etiam quotquot ex iis qui Christi sunt habuit, pdidit: quia Christus cruci affixus eripuit Satanæ spolia & omnia ad se traxit, sicut Joh. 12. 32. dixit: *Et cùm sublatus fuero è terra, omnes trahàm ad me ipsum.* Cruci affixo chirographo, deinde ad accusatores nostros se convertit, eosque exspoliavit, arma eis detraxit, postea de eis triumphavit. O admirandam pugnam! Christus in cruce pendens diabolum persequutus est, & devicit: vestibus spoliatus à Judæis, ac nudus in crucem actus, imperia ac potestates exarmavit & spoliavit: traductus ignominiosè per medium populum, ipse diabolum & angelos ejus traduxit, & de eis triumphavit.

23. Colligimus hinc: *Primò*, Exinanitionem Christi fuisse summi imperii ipsius principium.

24. *Secundò*, diaboli regnum esse destructum, sed præcedente destructione chirographi quod nobis adversum erat. Nisi hoc abolitum esset, non minùs nũc Satanas regnum in nos quàm antea haberet: nam per peccatum regnat, & tyrannidem suam exercet.

25. *Tertiò*, Christum in cruce sibi peperisse triumphum, ac crucem, quæ plena erat dedecoris, conversam fuisse in currum triumphalem.

26. *Quartò*, diabolũ & angelos ejus à Christo victos exarmatos & spoliatos esse nostro bono, ut sciamus nobis certamen esse cum hostibus potentiâ nudatis & spoliatis, modò nos non nudi, sed armis Christi circumdati cum illis congrediamur. Diabolum & angelos ejus subjectis quondam suis subjecit crux Christi.

27. QUARTUM ARGUMENTUM: Quæcũq; fuerunt figuræ rerum futurarum, quorum veritas est in Christo, illorũ observatio Christo jam exhibito non est necessaria.

Ceremoniæ Mosaicæ fuerunt figuræ rerum futurarum, quarum veritas est in Christo: Ergo, &c.

Minor propositio his proponitur verbis; *Quæ sunt umbra rerum futurarum, at corpus est Christi.*

28. Ceremoniæ quæ in veteri Testamento *res futuras*, nimirum Christum & ipsius beneficia & regnum tanquam res significatas præfigurarunt, fuerunt *umbra*, hoc est, typi obscuriores: sicut σκιαγραφία est obscurior imagine expressa.

29. *Corpus autem est Christi*, hoc est, veritas & complementum illarum umbrarũ & ceremoniarum veteris Testamenti est in Christo.

Nam

Nam hoc loco per *corpus Christi* non intelligitur naturale corpus Christi ex Maria virgine assumtum, sed gratia & veritas per Jesum Christum facta.

30. Quod tamen non ita accipiendum, ac si veteribus gratia tantùm adumbrata, non autem collata esset; siquidem veteres etiam consecuti sunt remissionem peccatorum & regenerationem spiritualem ac vitam æternam: sed Paulus tantùm docet, hæc beneficia veteribus fidelibus obscuriùs per ceremonias Mosaicas significata, ac veluti adumbrata fuisse; nobis verò, postquam Christus est exhibitus & ceremonias adimplevit, clariùs ea proponi.

31. Colligitur hinc: *Primò*, In Christo solidam æternamque gratiam & veritatem reperiri: sicut omnes ceremoniæ à Christo separatæ, efficaciâ omni careant, & veluti litera sint mortua. In nihilum rediguntur signa, ubi res signata tollitur.

32. *Secundò*, Ceremonias Mosaicas Lege ceremoniali præceptas, non effectu, sed usu solo esse abrogatas: quia Christus vim & efficaciam earum sua morte obsignavit, etsi observationem earum sustulerit. Vis & efficacia ceremoniarum est in Christo, & ex ipso ad nos derivatur, quia earũ corp⁹ est in Christo.

33. *Tertiò*, Veteris & Novi Testamenti differentiam in eo etiam consistere, quòd credentes in veteri Testamento procul & sub

umbraculis intuiti sunt duntaxat quod hodie in plena luce conspicimus: Item quòd Sacramenta veteris Testamenti fuerint typi obscuriores, quàm sunt Sacramenta novi Testaméti: Id ad regni Christi gloriam pertinet.

34. *Quartò*, Hypocritas & hæreticos ad alios damnandos valdè proclives esse: sed perversa judicia eorum, qui ob neglectum seu omissionem ceremoniarum nos damnant, non esse pertimescenda aut curanda.

35. *Quintò*, Eos qui adhuc retinēt discrimē ciborum mundorum & immundorū, dies festos Judaicos, neomenias, Sabbatha, &c. adventum Christi in carnem negare. Nam discrimine ciborum mundorum & immmundorum significatum fuit discrimen Judæorum & Gentilium, quod post adscensionem Christi sublatum est, Actor. 10. v. 11. & sequentib. & maximè v. 28. & cap. 11. v. 5. & sequentibus. Similiter dies festi erant figuræ benedictionum Christi venturi: ideoque Christus qui benedictiones illas secum attulit, adventu suo eos abolevit. Apparente veritate, figura cessare debet.

36. *Sextò*, Observationem dierum, quasi alius alio sanctior esset, & ad cultum Dei aptior, esse superstitiosam.

37. *Septimò*, Ecclesiam non posse ad observationem certorum dierum conscientias obligare.

38. *Octavò*, Festum Paschæ propriè sic dictum

ctum à Christianis non esse celebrandum.

39. *Nonò*, Festos dies sanctis, sive Angelis, sive hominibus consecrare, Christianis non esse licitum.

40. Ex his igitur argumentis certum est, ceremoniarum Judaicarum, nempe discriminis ciborum & potuum, dierum festorum, neomeniarum, Sabbathorum, sacrificiorum Mosaicorum, ablutionum & similium observationem ad salutem æternam Christianis necessariam non esse.

4. QUAESTIONES autem hîc incidunt aliquot. PRIMA est, *An omnes sint culpandi, qui discrimen aliquod ciborum faciunt, & aliquando à cibis certis abstinent?*

RESP. Causæ discriminant actiones & judicia de eis. Qui valetudinis causâ à certis cibis abstinent ex præscripto Medicorum, aut exigente id necessitate & propriâ experientiâ, rectè faciũt. Qui ob interdictum Magistratus politici, quod nititur causâ naturali vel civili, velut ubi multitudo est piscium & pecorum augmentatio quæritur, certis temporibus abstinent à carnibus, rectè faciunt: quia justis edictis Magistratuum est obtemperandum. Qui à carnibus & cibis aliis delicatis usuque vini abstinent ad hunc finem, ut ad spiritualia exercitia, preces, meditationem verbi Dei, resipiscentiam, usum Sacramentorum, &c. sint expeditiores & ardentiores, rectè itidem faciunt, sive suâ sponte id faciant,

sive ex publico Ecclesiæ instituto. Qui verò à cibis certis abstinent, sive semper, sive statis temporibus cum opinione vel cultus Dei, vel necessitatis, vel meriti, ut faciunt Papistæ & alii superstitiosi, malè faciunt, & peccant.

42. SECUNDA QUAESTIO est, *An rectè faciant, qui dies festos observant?*

RESP. Causæ discernunt festos dies & censuram eorum.

Quidam à Deo sunt instituti, quidam ab hominibus. Dies septimus, qui olim Judæis Sabbathum, nobis dies Dominicus dicitur, rectè celebratur, quia ex mandato Dei unus dies quavis septimana sanctificari debet ad cultus divini publicũ exercitium. Deinde si Ecclesiæ pro Christiana libertate, memoriam Dominicę Nativitatis, Circumcisionis, Passionis, Resurrectionis, Adscensionis in cælum, & missionis Sancti Spiritus in discipulos, religiosè celebret, maximoperè approbamus. Quod ad dies festos Sanctorum ab hominib. institutos attinet, de iis distinctè respondemus. Si Ecclesiæ nonnullæ, eousque sese submittunt multorum infirmitati, ut destinatis diebus memoriam Sanctorum in sacris Literis celebratorum populo Dei refricent, fidem & pietatem & perseverantiam in ea sub persecutionibus gravissimis usque ad vitæ finem proponant ad imitandum, Deum pro illis Ecclesiæ datis celebrent, cæteroquin ab idololatria & superstitione omni abstineant, eas propterea

pterea non damnamus. Si quæ verò festa ad cultum & honorem religiosum divorum & divarum instituta sunt, & celebrantur superstitiosè, ea non modò ut inutilia, sed etiam ut noxia tollenda esse persuasi sumus.

43. TERTIA QUAESTIO: *An non diei Dominici observatio pugnet cum interdicto Apostolico: Ne quis vos damnet ob cibum & potum, aut respectu festi, &c?*

RESP. Non pugnat, quia diem Dominicum non celebramus ut qui successerit Sabbatho: nam essemus adhuc Judæi, & sub Mosaicis ceremoniis mutato tantùm nomine, ac proinde non ut ceremoniam & figuram, quæ sit umbra rerum futurarum, quarum corpus est in Christo, eum observamus; quam ob causam ad Judaicas ceremonias nos minimè obstringi Apostolus docet: sed suscipimus & retinemus diem Dominicum ut medium & adminiculum tum plebis Christianæ in rebus ad salutem pertinentibus instituendæ, tum disciplinę, ordinis benè compositi, & pacis in Ecclesia conservandæ. Quicquid ceremoniale erat in Sabbatho, Domini nostri CHRISTI adventu abolitum est: Ipse enim veritas est, cujus præsentiâ figuræ omnes evanescunt: ipse corpus est, cujus adspectu umbræ relinquuntur: ipse verum Sabbathi complementum & solida substantia, quæ non uno die contenta est, sed totâ vitâ nostrâ à mortuis operibus peccati quiescendum, & Deo vivendum indicat.

44. Postquam Apostolus probavit ceremonias Mosaicas nobis Christianis non esse ad salutem æternâ necessarias: deinceps subjicit admonitionem, ut religiosos cultus omnes, quotquot præter Scripturæ sacræ autoritatem usurpantur, sollicitè caveamus.

45. Exemplum ejus proponit, Angelorum cultum: quia *erant qui dicebant, non oportere per Christum accedere ad Deum, sed per Angelos: illud enim majus esse quàm ut nobis contingat*, ut Chrysostomus in hæc verba ait homiliâ septimâ in epistolam ad Colossenses. Similiter Oecumenius ex Photio: *Erant* (inquit) *aliqui, qui in hypocrisi humilitatis prohibebant eos dono Christi accedere, utpotè indignos tantis; & Angelis advocatis uti oportere, qui nos ad Deum adducant.* Sententia est: Erant qui hypocrisi quadam demissionem animi præ se ferebant, quasi indigni essent qui rectà ad Christum & per Christum ad Deum Patrem accederent, sed Angelos invocabant ut ipsorũ intercessores apud Christum essent.

46. Unde colligimus: *Primò*, Papistas graviter peccare, quod humilitatis cujusdam & indignitatis obtentu ad Angelos ac Sanctos confugiunt, qui eos Deo commendent, qui pro eis apud Christum intercedant.

47. *Secundò*, non omnem demissionem animi seu humilitatem esse virtutem: sed eam tantùm quæ voluntati Dei in sacra Scriptura revelatæ congruit.

48. *Tertiò*, Eos qui sub prætextu humilitatis

tis non rectà ad Christum confugiunt, sed creaturas, sive Angelos, sive homines sanctos, quorum patrocinium & intercessionem implorant, esse hypocritas & idololatras. Religionem simulant, cùm sit maximum sacrilegium.

49. *Quartò*, Eos qui ex vera fide per preces rectà ad Christum adeunt, & per eum ad Patrem, injuriâ arrogantiæ insimulari.

50. Argumenta admonitionis Apostolicæ de cavendis religiosis cultibus præter Scripturæ sacræ autoritatem invectis septem ponuntur.

51. PRIMUM; Quicquid conscientias servituti hominum mancipat, id Christianis est studiosè cavendum:

Cultus religiosi præter Scripturæ sacræ autoritatem invecti, conscientias servituti hominum mancipant:

Ergo, &c.

52. SECUNDUM: Quicquid nobis intervertit brabeum supernæ vocationis, id nobis est summâ diligentiâ cavendum:

Cultus religiosi præter Scripturæ sacræ autoritatē invecti nobis intervertunt brabeum supernæ vocationis:

Ergo, &c.

53. Hæc duo argumenta complectitur Apostolus cùm ait, μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω, quorum verborum sensus est, Nemo jus sibi in cōscientias vestras usurpet, eò vos adducens ut

brabei gloriæ ſempiternæ jacturam faciatis. καταβραβεύειν enim eſt ſubjugando ſibi aliquem brabeum ei intervertere, ſeu intercipere: ſeu dominium in aliquem uſurpãdo eum palmâ, ſeu præmio fraudare: partes moderatoris ſibi in aliquem arrogare in ipſius perniciem.

54. Obſervandum inde *primò*, hæreticos & idololatras eſſe ambitioſos, quia alios in ſervitutem ſpiritualem redigunt, dominatum in aliorum conſcientias affectant.

55. *Secundò*, eoſdem pernicioſos eſſe, qui brabeum ſupernæ vocationis aliis intervertunt.

56. *Tertiò*, tyrannidem admodum pernicioſam eſſe, quæ in hominum conſcientias exercetur.

57. TERTIUM: Quicquid à Deo ad creaturas abducit, id Chriſtianis præcipuè fugiendum:

Cultus religioſi præter Scripturæ ſacræ autoritatem invecti, abducunt à Deo ad creaturas, Angelos, ad homines demortuos, &c. Ergo, &c.

58. QUARTUM: Quicquid ab hominibus vanâ ſuperbiâ turgentibus excogitatum eſt, id Chriſtianis cavendum:

Cultus religioſi præter Scripturæ ſacræ autoritatem uſurpati, ab hominibus vanâ ſuperbiâ turgentibus excogitati ſunt: Ergo, &c.

59. QUINTUM: Quicquid incerto aut potiùs

potiùs nullo fundamento nititur, id sedulò Christianis cavendum:

Cultus religiosi prętер Scripturæ sacræ autoritatem usurpati, incerto aut potius nullo fundamento nituntur:

Ergo, &c.

60. SEXTUM; Quicquid à carnis sensu, hoc est, fallaci mentis ratiocinatione & terrenâ sapientiâ oritur, id nobis Christianis vitandum.

Cultus religiosi prętер Scripturæ sacræ autoritatem usurpati, à carnis sensu, hoc est, fallaci mentis ratiocinatione & terrenâ sapientiâ oriuntur: Ergo, &c.

61. Hæc tria argumenta, quartum nempe, quintum & sextum comprehendit Paulus his verbis: ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, εἰκῇ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, hoc est, *in ea quæ non vidit pedem inferens, temerè inflatus carnis suæ sensu.* Qui affirmare audet Angelos pro nobis intercedere, ac proinde invocandos, pedem infert in ea quæ non vidit.

62. Observa *primò*, hæreticos impudenter audaces esse, dum affirmant multa de Angelis, eorum actionibus, ordinibus, hierarchiâ universâ, quasi cælos oculis suis perlustrassent, & quęcunq; in eis fiunt, coràm vidissent. Atqui audacia & impudētia longissimè à Ministris Christi abesse debet, ut nihil aliud asseverent, quàm Deus in verbo suo revelavit.

63. *Secundò*, hæreticos temerè inflatos esse,

hoc est, vana opinione quasi vento turgere & superbos esse ejus rei causâ, quam tamen non habent, putant autem falsò se habere. Ita licèt hæretici multa de humilitate & animi submissione tradant, & humilitatem magnam simulent, tamen revera inflati sunt. Falsa & hæretica doctrina cum superbiâ & inani gloriâ perpetuò est conjuncta.

64. *Tertiò*, Sensum carnis, qui est fallax ratiocinatio matrem falsarum & hæreticarum opinionum esse. Cultus Angelorum non ab autoritate divina est, sed à superstitione & deceptione humana.

65. SEPTIMUM: Quicquid avellit à Christo, qui est caput ex quo totũ corpus per cõmissuras & compages suppeditatum & compactum, augescit Dei augmento, id nobis Christianis omnino fugiendum.

Cultus religiosi præter Scripturæ autoritatem invecti avellunt à Christo, qui est caput ex quo totum corpus per cõmissuras & compages suppeditatum & compactum, augescit Dei augmento.

66. Ratio evidens est: quia non obtinent caput, *hoc est*, non sunt cum Christo conjuncti, nec percipiunt ex eo manantem vim salvificam, qui alios sibi patronos constituunt præter Christum, qui unus toti suo corpori tum fovendo, tum etiam augendo sufficit.

67. Huic argumẽto descriptio CHRISTI eo fine inseritur, ut videant quanto bono se privent,

privent, qui sub specie humilitatis Angelos sibi intercessores apud Deum constituunt.

68. Descriptionis autem membra omnia singillatim expendenda. *Primò* dicitur, quòd CHRISTUS sit caput, nimirum Ecclesiæ universæ, Ephes. 1. 22.

69. Ergo primò quicunque præter Christum vult esse Ecclesiæ universæ caput, est Antichristus ille: Nam quicunque honorem soli Christo à Deo attributum, sibi arrogat; est Antichristus ille. Jam Papa Romanus honorem soli Christo à Deo Patre attributum, sibi arrogat; quia pro universæ Ecclesiæ Christianæ capite ab omnibus vult agnosci, & haberi. Quapropter Papa Romanus est Antichristus ille.

70. *Secundò*, Quicunque caput Ecclesiæ non tenêt quod est Christus Jesus, ii non sunt Ecclesia, nec ex membris Ecclesiæ Christi. *Ad ipsam etiam salutem ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet Christum. Habere autem Christum nemo potest, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia*, ait Augustinus septimo tomo, libro de Vnitate Ecclesiæ, cap. 16.

71. Deinde describitur ab effectis tribus, quæ sunt: ἐπιχορηγία, συμβίβασις & αὔξησις.

72. ἐπιχορηγία illa, est suppeditatio gratiæ spiritualis vitæ, quâ nullum membrum corporis Christi carere potest.

73. συμβίβασις illa, est cõpactio seu coagmentatio membrorum inter se aptissima.

74. αὔξησις illa, est incrementum tum membrorum singulorũ, tum totius corporis crescentis *augmento Dei*, hoc est, quod à Deo tribuitur, & quod secundùm Deum est, & ad gloriam Dei.

75. Hæc effecta nõ ad aliqua duntaxat, sed ad omnia membra Ecclesiæ pertinent, sicut Apostolus ait, καὶ ὐ κρατῶν τὴν κεφαλὴν, ἐξ ὗ πᾶν τὸ σῶμα διὰ τῶν ἁφῶν καὶ συνδέσμων ἐπιχορηγούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, &c. *Et non obtinens caput, ex quo* (in Græco est ἐξ ὗ, etsi præcedat nomen fœmininum κεφαλὴ; nam relativum pronomen refertur ad Christum, qui capitis nomine intelligitur) TOTUM CORPUS *per commissuras & compages suppeditatum & compactum*, &c.

76. Vt enim vis sensitiva & motiva à capite humano derivatur in totum corpus, atque ita in universa & singula membra quæcunque vivunt: ita à Christo bonum omne salvificum derivatur in universos & singulos fideles. Quemadmodum legitur 1. Cor. 12. 7. *Unicuiq; datur declaratio Spiritus ad utilitatem:* Et Eph. 4. v. 7. *Unicuiq; nostrûm data est gratia pro mensura doni Christi.*

77. Adhæc communicatur cum omnibus membris & toto corpore *per commissuras & compages*, hoc est, per Spiritum sanctum, fidem & charitatem, sicut à capite humano & per nervos & vincula distribuitur vis sensitiua & motiva in totum corpus juxta hæc testimonia 1. Corinth. 6. v. 17. *Qui verò agglutinatur Domino,*

mino, unus cum eo ſpiritus eſt. & 1. Corinth. 12. v. 13. *Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus & Judæi & Græci & ſervi & liberi: & omnes potati ſumus in unum Spiritum.* & 1. Johan. 4. 13. *Per hoc cognoſcimus nos in eo habitare & ipſum in nobis, quòd de Spiritu ſuo dedit nobis.* & Eph. 3. v. 16, 17. *Ut det vobis, pro divite ſua gloria, ut fortiter corroboremini per Spiritum ſuum in interiore homine: Et inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris.* Coloſſ. 3. v. 14. *Induimini charitate, quæ eſt vinculum perfectionis.*

78. Unde conſequitur, *primò*, Ex Chriſto totum corpus Eccleſiæ habere ut ſit, & ut rectè ſit. Quid igitur dimiſſo Capite hęres membris? Si illinc excideris periiſti. Quicunq; ſit, non ſolùm inde habet ut vivat, ſed etiam ut illi conjungatur, & uniatur. Univerſa Eccleſia quandiu habuerit caput, augetur, nutritur, vivit.

79. *Secundò*, nullam ſuppeditari à Chriſto gratiam ſalvificam iis qui non ſunt membra corporis Chriſti.

80. *Tertiò*, nullum membrum corporis Chriſti myſtici Spiritu ſancto, fide & charitate deſtitui, etiamſi dona quædam particularia ſint membrorum ſingulorum propria.

CHRISTO UNICO CAPITI
NOSTRO SIT HONOR
& gloria.

THESIUM ANALYTICARUM

Quibus epistola Pauli Apostoli ad Colossenses explicatur

Ab

AMANDO POLANO
A POLANSDORF

propositarum

PARS NONA

de qua

Die 30. Maji, DEO dante, interrogantibus respondit

M. JOHANNES CRISPINUS
PRUSENOWICIUS
MORAVUS.

Anno CIↃ IↃ C V.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0210
DFG

GENEROSO ET VERE NOBILI
Dn. JOHANNI GEORGIO LABAUNSKY à LABAUNIE, &c.

AMANDUS POLANUS à POLANSDORF τὰ παρὰ θεοῦ ζωὴν καὶ εὐσέβειαν
à CHRISTO Domino
precatur.

QUOD olim veteribus Romanis Christianos crudeliter persequētibus exprobravit TERTULLIANUS in Apologetico adversus Gentes, capite sexto, idem hodiernis Romanensibus jure exprobramus: Ubi religio? ubi veneratio majoribus debita à vobis? habitu, victu, instructu, sensu, ipso denique sermone proavis renunciastis. Laudatis semper antiquitatem, & novè de die vivitis. Per quod ostenditur, dum à bonis majorum institutis deceditis, ea vos retinere & custodire quæ nō debuistis, cùm quæ debuistis, non custodistis. *Nam ut Gentiles Romani patriorum morum observantissimi videri volebant, qui tamen religioni majorum nuncium remiserant: ita hodie Romanenses se antiquæ religionis protectores & vindices esse gloriantur, à qua tamen omni specie exorbitarunt, Sacra Scriptura, quæ sola post Apostolos veræ religionis regula erat, propè sepulta multis traditionibus, quas superstitiosi & imperiosi homines Ecclesiæ* DEI *imposuerunt. Adversus ejusmodi traditiones præmunit Apostolus fideles Coloss. 2 v. 20, 21. 22 & 23. quos versus declarare visum fuit his thesibus Analyticis, quas tibi, Generose Dn.* JOHAN. GEORGI, *inscripsi, ut & tu documentum affectus mei in te optimi, & incitamentum haberes sancta religionis studia pio & sedulo conatu prosequendi, & fidelis tui Præceptoris D. Johannis Aevii*

monitis salutaribus obtemperandi. Benignissimum autem PATREM *cœlestem toto pectore comprecor, ut te omni vero bono cumulet, & magis magisque sanctificet.*
Perscriptum BASILEAE *die* 10. *Mai. Anno*
InCarnatIonIs DoMInI.

THESIS I.

PRAECEDENTE disputatione ostensum, Paulum Apostolum *primò* probare, ceremoniarum Mosaicarum observationem nobis Christianis ad salutem æternam non esse necessariam; *secundò* admonere ut religiosos cultus omnes, quotquot præter Scripturæ sacræ autoritatem invecti sunt, prorsus fugiamus: *Deinceps* aliam annectit Apostolus admonitionem, ut à traditionibus, quas Pseudapostoli & hypocritæ pręter Scripturam divinitus inspiratam commendant & obtrudunt Ecclesiæ, nobis caveamus.

2. Admonitionem hanc argumẽtis quinque firmat:

PRIMUM est à comparatis ductum: Si nos Christiani per mortem Christi liberati sumus à ritibus Mosaicis, quibus veluti elementis mundum Deus erudiit: tum profectò multò magis liberi sumus ab onere traditionum, quas hypocritæ absque verbo Dei Ecclesiasticæ autoritatis & potestatis obtentu fidelibus imponere conantur. Verum est antecedens: Ergo & consequens.

3. Pro-

3. Proponit hoc argumentum istis verbis, εἰ οὖν ἀπεθάνετε σὺν τῷ χριστῷ ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου, δογματίζεσθε; *Si igitur mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid traditionibus oneramini?*

4. Non agit his verbis de Mosaicis ritibus seu ceremoniis in lege Mosaica præceptis, de quibus suprà jam disseruit: sed de traditionibus, quibus sine mandato Dei Pseudepiscopi conscientias hominum subjugant & gravant.

5. Id liquet ex verbo δογματίζεσθαι, quod non significat ad ritus jam divinitùs præscriptos obligari, sed traditionibus novis & recens appositis onerari, qualium traditionum aliquoties fit mentio in Euangelio, & pleni sunt libri Talmudici.

6. *Elementa mundi*, vocat ceremonias Mosaicas, quibus visum fuerat Deo mundum veluti rudimentis quibusdam ad plenam illam arcanorum Euangelii cognitionem præparare.

7. τὸ ἀπεθανεῖν, hoc in loco accipitur pro ἀπαλλάττεσθαι, seu ἐλευθεροῦσθαι, hoc est, liberari, liberum & immunem fieri; quemadmodum etiam τὸ δικαιοῦσθαι, *justificari*. Rom. 6. v. 7.

8. Respicit enim Paulus ad mortis naturalis consequens. Sicut morte naturali tollitur personalis obligatio: ita qui cum Christo mortui sunt, à ceremoniis Mosaicis liberati sunt.

9. *Cum Christo mortui sunt*, qui participes facti sunt virtutis mortis Christi, vetere homine in illis peremto.

10. Colligimus hinc *primò*, Spiritualem libertatem filiorum Dei esse Christi insigne beneficium, quo liberi sumus ut à rigidissima illa severitate Legis Moralis, & à servitute peccati; ita etiam à legibus Mosis ceremonialibus & forensibus, à necessaria observatione rerũ adiaphorarum seu mediarum, & ab onere traditionum humanarum, in primis superstitiosarum & impiarum.

11. *Secundò*, libertatem hãc pendere à participatione mortis Christi, qui novum fedus, vetere abolito, suo sanguine sanxit.

12. *Tertiò*, Eos qui Ecclesiam ritibus sive à Deo in lege Mosaica genti Israëliticæ præscriptis, sive ab eo nunquam præceptis onerant, mortem Christi abnegare, aut saltem virtute sua privare.

13. *Quartò*, Eos qui vel ceremoniarũ Mosaicarum, vel traditionum absque Dei verbo excogitatarum servituti se subjiciunt, mortem Christi nihili facere, aut saltem virtutis ejus participes non esse.

14. *Quintò*, Traditiones sive dogmaticas, sive rituales, præter Scripturam sacram non esse jam ad salutem necessarias.

Hactenus primum argumentum.

15. SECUNDUM est: Quicquid homines revocat ad vitam hujus mundi, id nobis Christianis fugiendum:

Traditiones quæ ab hypocritis Ecclesiæ imponuntur revocant homines ad vitam hujus mundi: Ergo, &c. 16. Con-

16. Continetur his verbis: *Quid ut viventes in mundo traditionibus onerammi?* Sententia est, Cur traditionum jugo vos subderetis, quasi sitis hujus mundi cives, quasi ab hac vita terrena pendeatis, quasi vestra felicitas in his rebus terrenis posita sit, quasi non essetis in Ecclesia, in civitate Dei, & municipes cælorum, sed viveretis adhuc more filiorum mundi, qui traditionibus humanis sunt dediti?

17. Consectaria: *Primum*, Qui cum Christo mortui sunt, iis nequaquam redeundum ad vitam hujus mundi, hoc est, qualis in hoc mundo vivitur, rebus mundo placentibus dedita.

18. *Secundum*, Qui traditionum humanarum in religione servi fiũt, ii in mundo vivũt, & humi repũt, cujusmodi vitâ nihil infelicius.

19. *Tertium*, Qui in mundo vivunt, hoc est, secundùm modum hujus mundi, juxta dogmata & traditiones mundi; ii communionem cum morte Christi non habent.

20. *Quartum*, Veri Christiani licèt sint in mundo, tamen nõ vivunt in mundo, hoc est, nihil commercii habent cum traditionibus eorum, qui extra Ecclesiam Christi sunt; non juxta mundi dogmata, sed juxta Christi verbum fidem & vitam instituunt.

21. *Quintum*, Religionis forma non est à mundo petenda.

22. TERTIUM argumentum est: Quicquid vim religionis constituit in rebus quæ i-

pso usu consumûtur, id nobis Christianis studiosè cavendum:

Traditiones, quas hypocritæ commẽdant, vim religionis constituunt in rebus quæ ipso usu consumuntur: Ergo, &c.

23. Minorem proponit Apostolus his verbis: *Ne ederis*, ajunt isti, *neq; gustaveris, neq; attigeris: quæ omnia ipso usu pereunt.* Exornat autem eam prosopopeiâ, & amplificat comparatione. Prosopopeia est in mimesi, quâ profert exempli causâ traditionem unam, quam superstitiosi illi Colossensibus obtrudere volebant, quâ sub pœna mortis æternæ sive per conscientiam certos cibos prohibebant.

24. Amplificatio autem est in comparatione, quæ fit gradatione quadam: *Ne ederis, neq; gustaris, neq; attigeris.* q.d. Non satis est eis prohibere esum ciborum, quos Deus ad hominum usum creavit, sed ulteriùs progrediuntur, & prohibẽt eos etiam gustare, imò quod amplius est, etiam attingere, quasi homo vel contactu cibi alicujus conscientiam polluere: quum tamen cibi *usu ipso pereant*, hoc est, absumantur, & in ventrem demittantur, atq; in latrinam ejiciantur, ut Christus declarat Matth. 15. v. 17. Quò referendum quod Apostolus dicit 1. Cor. 6. v. 13. *Escæ ventri* destinatæ sunt, & *venter escis: Deus autem & hunc & illas abolebit.*

25. Observanda hinc subjecta consectaria: *Primum*, Superstitionem esse abstinere conscientiæ

scientię causâ à certis cibis & rebus aliis ad vitæ hujus usum pertinentibus.

26. *Secundum*, Traditionarios tyrannidem in animas hominum sibi usurpare, quam paulatim pro libitu suo augent. Initio prohibent edere cibos certos: posteaquam adepti sunt quod prohibuerant, pronunciant nefas esse eos gustare: tandem in ipso contactu piaculum constituunt. Nullus denique finis est, ubi semel imperium in conscientias homines sibi sumserunt, quin novas quotidie leges veteribus addant. Præcisè & strictè agunt in adiaphoris & rebus iis quarum usum Deus liberum hominibus fecit, velut in cibis quorum etiam contactum damnant: contrà in rebus ad salutem æternam necessariis laxè agunt, & liberaliter de iis dispensant, nec magnoperè curant, etiamsi ab hominibus negligantur. Quin etiam prohibent, quæ Deus præcepit, ut lectionem sacræ Scripturæ, charitatem erga proximum quem hæreticum esse putant; & contrà præcipiunt quod Deus prohibet, ut Angelorum & hominum sanctorum cultum, &c.

27. *Tertium*, Traditiones humanas esse labyrinthum, quo magis ac magis à recta pietatis semita homines in errores abducuntur: esse laqueos, quibus sic initio animæ stringuntur, ut successu temporis tandem strangulentur. Theatrum hujus rei est in Papatu, in quo regnum Dei in escis, vestibus & rebus aliis ex-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0217
DFG

ternis collocatur, & traditiones paulatim ita sunt auctę, ut tandem contactus etiam rerum quarundam prohiberetur: sicut Carthusiani carnes attingere, Franciscani pecuniam nudâ manu contrectare nefas putant.

28. *Quartum*, Cultum Dei & sanctitatem veram non consistere in abstinentia certorum ciborum & rerum aliarum, quæ usu absumuntur, sed in abstinentia à peccatis, quæ Deus prohibet, & præstatione eorum quæ Deus requirit Rom. 14. v. 17, 18. *Non enim est regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium per Spiritum Sanctum. Nam qui per hæc servit Christo, gratus est Deo, & acceptus hominibus.*

29. *Quintum*, Eos qui traditionum humanarum observationem urgent, Pseudapostolos & Antichristos esse: quò pertinet locus Pauli 1. Tim. 4. v. 1, 2, 3.

30. QUAESTIO hîc incidit gemina: Una est, *Quid sentiendum sit de contactu certorum animalium, & cadaverũ, qui lege Mosaica prohibetur?*

RESP. Ille contactus à Deo prohibitus erat, ideo qui rem vetitam tangebant, erant immundi legaliter: Sed quia mandata illa de non attingendis rebus immundis ceremonialia erant, Christi morte sunt abolita. Illi autem verè immundi coram Deo censentur, qui conscientiam habent immundam, & fide nõ purificatam, & se peccatis à Deo prohibitis polluunt. Matth. 15. v. 11, 18, 19, 20.

31. *Altera est: An non abstinentia à cibis & rebus*

bus aliis hujus seculi valeat ad mortificationẽ carnis?

RESP. Temperantia, quia divinitus præcepta est, ad carnis mortificationem valet: sed abstinere ab hoc vel illo cibo religionis & conscientię causâ, id nunquam mortificationem efficiet, cùm talis abstinentia post Christum exhibitum non sit Christianis mandata.

32. QUARTUM argumentum est: Quicquid ex doctrinis & mandatis hominum proficiscitur, ad ejus necessariam observationem conscientiæ nostræ non sunt obligatæ:

Traditiones quas hypocritæ præter Scripturam ἐθελοθρησκείαν urgent, ex doctrinis & mandatis hominum proficiscuntur:

Ergo, &c.

33. Notandum hîc: *Primò*, eos qui Deum colunt secundùm doctrinas & mandata hominum non esse religiosos, sed superstitiosos. Quo pertinet illud Jesaiæ 29. 13. & Matth. 15. v. 9. *Frustra me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.*

34. *Secundò*, doctrinas & mandata hominũ non esse regulam veræ pietatis seu veri cultus Dei.

35. *Tertiò*, Traditiones humanas ferè circa adiaphora & corruptibilia versari, ut cibos, dies, vestes, & id genus alia: necessaria autem & propriè ad regnum Dei pertinentia negligere, aut non magnopere curare.

36. QUINTUM argumentum est: Quicquid non veram pietatem, sed tantummodò

hypocrisin docet, id nobis summoperè fugiendum:

Traditiones humanæ, quas falsi doctores commẽdant & urgent, non veram pietatem, sed tantummodò hypocrisin docent:

Ergo, &c.

37. Istud argumentum proponit Apostolus his verbis: *Quæ rationem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario & summissione animi, & in eo quod corpori non parcant: nec tamen ullius sunt pretii, quum ad ea spectent, quibus farcitur caro.*

38. Quæ graphica est hypocriticarum religionum à traditionibus humanis ortarum descriptio tribus membris constans.

39. Primum est, quòd λόγον σοφίας, *rationem, speciem, apparentiam sapientiæ* habeant, hoc est, quòd videatur esse excellens earum doctrina & rerum divinarum scientia è cælo allata; quũ revera sit humano consilio excogitata, & nihil minùs quàm sapientia rerum divinarum.

40. Secundum est, quòd disciplina earum insignis, arcta, severa & sancta esse videatur.

41. Disciplinæ istius hypocriticæ proponit Apostolus tres colores; ἐθελοθρησκείαν, ταπεινοφροσύνην, & ἀφειδίαν σώματος.

42. *Primus* ergo color disciplinæ hypocritarum est ἐθελοθρησκία, *voluntarius cultus*, quem sibi propriâ voluntate eligunt homines, Dei injussu, quasi ultrò etiam plus præstent quàm teneantur, & perfectiorem quandam viam insistant, nõ contenti Legem Dei impleviss̃e.

43. Hinc

43. Hinc nata sunt *opera supererogationis*, quæ Monachi magno pretio in Papatu aliis vendiderunt, atq; etiamnum vendunt.

44. *Secundus* color disciplinæ hypocritarum est ταπεινοφροσύνη, *submissio animi*, quia disciplina illa videtur homines ad incredibilem quandam humilitatem assuefacere, videtur esse optimum humilitatis exercitium, quo Deo pariter & hominibus promtissima obedientia præstetur, sic ut ne gravissima quidem onera detrectentur: sed fucata est nescio quæ subjectio & superarrogantia, ut hac voce utamur.

45. *Tertius* color disciplinæ hypocritarum est ἀφειδια σώματος, *castigatio & dura tractatio corporis*, sic ut ei non parcant, quasi hoc pacto carnem mortificarent, pro peccatis Deo satisfacerent.

Hi sunt colores satis speciosi, quibus hypocritæ disciplinam suam mundo commendare studio habent.

46. Ultimum membrum descriptionis hypocriticarum religionum est, quòd illæ nullius sint pretii & dignitatis, utut à mundo magnifiant & sapientiæ alicujus eximiæ numero & loco habeantur.

47. Quòd nullius sint pretii, probat Apostolus hoc argumento, quia pertinent ad eas res, quibus caro farcitur, *hoc est*, ad cibum, potum, vestes, locum habitationis seu mansionis & similes: quum vera religio spectet ea in

quibus spiritualis vita spirituum nostrorum & animarum consistit.

48. CONSECTARIA hinc observanda: *Primum*, Religionis cujusque an vera sit vel falsa censuram sumendam è doctrina & disciplina illius.

49. Religio vera nititur doctrinâ quæ revera cælestis est sapientia rerum divinarum divinitus patefacta.

50. Religio falsa & hypocritica fulcitur doctrinâ apparentiam & fucosam speciem sapientiæ habente: ut videre est in regulis & pseudapostolicis traditionibus Monachorum & aliorum Papistarum.

51. Religio vera disciplinam instituit voluntati Dei in Scriptura sacra revelatæ congruentem, ad sinceram humilitatem adducentem, & charitati Deo probatæ consentaneam.

52. Religio falsa & hypocritica disciplinam imponit voluntati non Dei, sed hominum probatam, humilitatis exercitia mentientem, & à charitate divinitus præcepta alienam: qualis est eorum qui multitudine jejuniorum, peregrinationibus religiosis ad statuas, vel sepulcra, vel reliquias Sanctorum, flagellationibus corporis, vitâ monasticâ & similibus nugis se macerant & excruciant: sicut Baalitæ sese incidebant pro ratione ipsorum gladiolis & spiculis, usq; adeò ut perfunderent se sanguine 1.R.18.v.28.

53. Se

53. *Secundum*, Religionis veræ dignitatem & præstantiam non metiendam rebus externis, veluti observatione jejuniorum abstinentia à carnibus, usu peculiaris vestitus sub specie sanctitatis & modestiæ, vitâ austerâ & ab aliorum hominum cõsortio separata sub prætextu fugæ mundi & similibus.

54. *Tertium*, Hypocritis non deesse colores, quibus superstitiones suas commendabiles reddere conantur: sed illis nequaquam assentiendum.

55. *Quartum*, Corporalem exercitationem, quæ est circa res externas, parum prodesse: pietatem autem veram, quæ in animo est, ad omnia utilem esse.

MAGNIFICETUR JEHOVA.

THESIUM ANALYTICARUM

Quibus Epistola Pauli ad Colossenses explicatur

Ab

AMANDO POLANO
A POLANSDORF
propositarum

PARS DECIMA

de qua

Die nono Januarii, CHRISTO benignè volente juvante opponentibus respondit

SIMEON MÜLLERUS
Wiernik.

Anno clɔ Iɔcv.

MAGNIFICO ET GENEROSO VIRO

Dn. VVENCESLAO BUDOVVECIO A BUDOVVA MONACHO-

græcii, &c. Domino, Cæsareæ ac Regiæ Majestatis Consiliario, patrono suo plurimùm honorando,

AMANDUS POLANUS A POLANSDORF Gratiæ & pacis Christi multiplicationem exoptat.

QUum theses hasce analyticas meditari aggressus essem, in animum induxi tibi, Generose & Magnifice Dn. Budovveci, patrone summè observande, eas inscribere, memor quòd ante decennium, quum te in ædibus tuis Pragæ inviserem, unà tum contulerimus de verbis beati Apostoli hisce Coloss. 3. v. 1, 2, 3, 4. Itaque si resurrexistis cum Christo, ea quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est, ad dexteram Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Nam mortui estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quando verò Christus, vita illa nostra, patefactus fuerit, tum & vos cum eo patefietis glorioſi: *quæ thesibus his explicanda mihi fuerunt. Sed ecce dum in illis meditandis versor, ducit me Deus ipse à theoria ad praxin, uxorem meam desideratissimam* MARIAM GRYNAEAM *doloribus partus unà cum filiola, quæ si voluntati divinæ ita visum fuisset, anima domus meæ futura erat, die duodecimo Septembris veteri stylo hujus anni 1605. exstinctam ex hac corporali vita ad se evocando: volens ut magis atque magis propriis*

meis experimentis, quamvis sensui carnis luctuosis, discã, quæ mihi aliisq; sint ex usu. Nam ut antiquioribus omissis recentiora quædam solummodo recenseam, & superiore anno 1604. die itidem 2. Septembris antiquo calculo seu 22. novo computo, matrem meam charissimam MARTHAM COMINIAM ex hac miseriarum valle in beatitudinis cælestis arcem transtulit; ut & 20. Januar. 1597. SALOMEN, & 20. Augusti 1602. IRENEN uxoris meæ sorores charissimas, & 31. Mai novo stylo Anno 1600. GEORGIUM & post eum deinde HENRICUM fratres meos suavissimos. Unde cogitationes interdum animum subeunt, infelicem esse ejus vitam, qui quotidie charorum & amicorum mortes aut videat aut audiat, utq; sicut ait Satyricus, multis in luctibus, inque perpetuo mœrore & nigra veste senescat, per omnem vitam flendo fatigatus. At talibus cogitationibus tristibus, vult Deus ut opponamus remedia efficaciss ima quæ in CHRISTO JESU inveniuntur, in cujus doloribus solamen, in vulneribus medela, in morte vita, in dedecore gloria nostra reposita est: in cujus communione beatitudo & consolatio nostra consistit. Ut verò nunc alia omnia silentio præteream; quæ consolationis Christianæ adversus mortem nostram & nostrorum propinquorum argumenta, hic beati Apostoli locus, quem adduxi, nobis exhibeat, divini Spiritus gratia fretus enucleabo. Ac primò quidem consolationem nobis validissimam suppeditat nostra cum Christo resurrectio. Nam quicunq; cum Christo resurrexerunt, illi nec mortem reformidare, nec mortuos, Gentilium more deflere debent. Quorum enim animæ cum Christo resurrexerunt ex morte peccati ad gratiam, resurrexerunt etiam ad gloriam: (nec enim gloria æterna iis est detrahenda, quibus gratia resurrectionis spiritualis ex morte animæ divino beneficio est collata): eorundemque corpora ex pulvere terræ excitabuntur ad communionem gloriæ sempiternæ. Atqui nos scimus quòd cum Christo resurrexerimus: scimus quòd vitæ Christi consortio vivificati simus Deo: scimus quòd Spiritus Christi participes quasi translati jam simus in alteram illam vitam: scimus si

mus si Christi corpus est ex mortuis suscitatum, nostra et-
idm corpora suscitatum iri

Deinde firmissimum nobis solatium præbet consideratio summi nostri boni quod SURSUM est in cælo. Quorum summum bonum quod eos verè felices efficere potest, nusquam hic invenitur, sed sursum est in cælo: eos nec suâ mortem, quâ terrenis bonis tanquam oneribus & impedimentis levantur, miserè timere, nec charos suos propinquos & amicos, qui in bonis ad certum tempus commodato datis censentur, ultra modum lugere fas est. Jam nostrum summum bonum, quod CHRISTUS DOMINUS est & Servator noster, cujus solius cõmunione beati sumus, nequaquam in terris reperitur, verùm SURSUM est in sancto habitaculo Dei. Etsi enim ut verus æternusque Deus ubique est, sic ut nullus locus sit Deitatis ipsius præsentiâ vacuus: animis tamen nostris non terræ affixis hærere, & mea Christum quærere, sed cordibus SURSUM sublatis, in cæli penetralibus, fide eum intueri debemus & complecti, si eo potiri fruique desideramus. Cur igitur à Christiana fortitudine deficiamus, migrationem ex his terris horrendo? cur patientiæ limites transiliamus, eos qui hinc migrarunt tanquam amissos deplorando? Thesauros opulentos & preciosa Regum, Principum, Magnatumque aliorum κειμηλια inspicere cupimus, quæ tamen nostra non sunt, ac licèt nostra fierent, nos felices non efficerent: & refugimus vel invidemus propinquis nostris visionem claram Summi illius boni cujus participatione in perpetuum & ipsi & nos beati simus? Qui Christum pro Summo suo bono agnoscit, is nequaquam per mortem corporalem parentes, fratres, sorores, uxorem, liberos aliosque amicos in DOMINO mortuos se amisisse existimabit, qui ipsum in cælis præcesserunt, ubi reipsa fruuntur summo bono, & securiùs feliciusq; degunt, quàm si adhuc viverent in terris. Imò nunc demum verè vivunt, quia cum Christo à quo antea peregrè aberant, cumque electis Angelis ac consummatis beatorum hominum spiritibus in cælo vivunt, erepti periculis & ludibrio Mundi: neque si reditus pateat, reverti velint; gaudent laborem

permutasse cum requie, cum securitate formidinem, cum felicitate miseriam. Ibi enim exoptata tranquillitas, ibi pacata securitas, ibi finem nesciens felicitas: ubi Summi illius boni continua visio, firma possessio, sempiterna fruitio. Ideo nihil mali, imò multum boni illis accidit, qui ex terrenis hisce malis liberati ad bona cælestia, imò ad Summum bonum ipsum tanquam ad unicam metam, ad quam contendebant, pervenerunt. Trahat sursum corda nostra Summum illud bonum nostrum, quod est sursum: ut ubi est thesaurus noster, ibi sit & cor nostrum.

Tertiò, consolationis materiam suggerit Gloria ac majestas Christi. Quorum Caput, quorum caro & sanguis ad dextram Dei sedet, eos nec suorum funera immoderatè lugere, nec sui corporis dissolutionem extimescere decet. Lætitia quam ex gloria Christi percipiunt, omnem mœrorem & timorem minuere, procul pellere & abolere debet. Nam illi in Christo ad dexteram Dei unà collocati sunt, illi in ipso regnum cæleste unà usurparũt. Jam verò Caput nostrum Christus, caro & sanguis nostra ad dextram Dei sedet: & quidem nobis magis sedet quàm sibi, quia magno nostro bono coram facie Patris assiduus pro nobis advocatus & intercessor apparet: ejus oculos in suã justitiam ita convertit, ut à peccatis nostris avertat: eum ita nobis reconciliat ut viam & accessum nobis ad eum sternat. Quin etiam ita regnat, ut nobis magis quàm sibi regnet, Satanam coercendo eumque sub pedes nostros conterendo: nos in vita atque morte defendendo. Tum oportet eum regnare usquequo omnes inimicos Pater subjecerit pedibus ejus: ultimus autem hostis abolebitur mors, ut legitur 1. Cor. 15. 25, 26. sic ut per fidem morti insultare possimus & dicere: Ubi mors tuus est aculeus? ubi tua potestas formidabilis? Christus ad dexteram Patris sedet, tuamque vim elidit & robur frangit, teque tandem ad victoriam absorbebit.

Quartò ducit nos eódem mortis Christi communio. Nam qui virtute mortis Christi mortui sunt peccato, ac proinde omnibus illis rebus quæ eos amori hujus mundi affixos detinere possent, illi mortis diem non cum gaudio exspecta-

exspectabunt? illi suorum obitus placidè non ferent? Atqui nos cum Christo plantati coaluimus conformatione mortis ejus, atque etiam resurrectionis conformatione coalescemus: Illud scientes, veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut aboleatur corpus peccati, ne posthac nos serviamus peccato. Etenim qui mortuus est, liberatus est à peccato. Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus fore ut etiam vivamus cum eo, Rom. 6. v. 6, 7, 8. Qui in fide Christi mortui sunt, peccare & Deum benignissimum Patrem cælestem offendere desierunt: atque hoc ad beatitatis perfectæ adeptionem tam est necessarium, quum illa possideri non possit cum peccato, ut hæc temporalis vita præ futura felicitate contemnenda sit, ut peccati servitutem penitus effugiamus.

Quintò solatium nobis præbet absconsio vitæ nostræ cum Christo in Deo. Quorum vita abscondita est cum Christo in Deo; illis nec mortis formido, nec luctus ob amicos charissimos in Domino mortuos, negotium faceset. Sciunt enim vitam corporalem non esse veram illam vitam ad quam sunt prædestinati: sciunt vitam hanc variis ærumnis refertam nihil à morte differre: ac proinde illos qui eam relinquere divino arbitrio jubentur, per mortem corporalem ad veram vitam illam pervenire quæ abscondita est cum Christo in Deo.

Sextò, argumentum consolationis efficacissimum est gloria futura quam exspectamus. Nam qui firmiter persuasi sunt, cùm Christus vita illa nostra patefactus fuerit, se quoque cum ipso glorioso patefactum iri: ii & propinquorum suorum mortem corporalem moderatè ferunt & suam cum gaudio obeunt. Jam verò indubitata fide credimus, quando Christus vitæ nostræ autor manifestabitur in cælesti gloria, cùm ad judicium venturus est vivorum & mortuorum, nos quoque cum ipso manifestatum iri glorioso. Hoc corde sincerè amplectimur, hoc quotidie ore profitemur, de hoc cum fiducia gloriamur. Quid ergo agimus? cur quiritamur? cur tristitiæ indulgemus? Facessat luctus, conticescat ejulatus, cesset fletus. Sit mens solida, fides firma, anima intrepida quæ mortis terrore

non moveatur, sed tanquam petra stabilis, turbidos impetus mœroris frangat, tentationes omnes vincat, mortem non expaveſcat, ſed quando hora ejus, decreto providentiæ divinæ præfinita advenerit, læta amplectatur, in cælum ad CHRISTUM *migratura, majeſtatem Chriſti viſura, vitâ quæ abſcondita eſt fruitura, corpore olim recepto cum gloria potitura. Iſtas conſolationes Pauli hic locus ſubminiſtrat de quo plura non addam, ne epiſtolæ modum excedam. Quod ſupereſt, benigniſſimum Patrem cæleſtem ſupplex veneror, ut ille fidem in nobis ſalvificam augeat, robur animo tribuat; nosque æternùm pro glorioſa ſua gratia ſervet. Ejuſdem patrocinio te Generoſe Domine, tuamque lectiſſimam conjugem & filium magnæ ſpei ſocero meo venerando D. Johanni Jacobo Grynæo & mihi chariſſimum, adeoque totam domum commendo. Vale feliciter, & me favore tuo complecti perge. Baſileæ die 23. Decembris, Anno 1605.*

THESIS I.

IN prima diſputatione Analytica dictum eſt, tractationē principalem epiſtolæ Pauli ad Coloſſenſes duabus partibus comprehendi, quarum prior eſt explicatio fidei Chriſtianæ; poſterior, exhortatio ad officia vitæ Chriſtianę. *Illa* primis duobus capitibus epiſtolæ continetur: *hanc* nunc ſuo more poſt explicatam ipſam doctrinam ſubjicit Apoſtolus tertio capite toto & primis ſex verſibus capitis quarti.

2. Complectitur autem exhortationes duplices: quædam ſunt *univerſales*, quædam *particulares*.

3. *Exhor-*

3. *Exhortationes universales* ad universos omnium statuum Christianos communiter & ex æquo pertinent: *Particulares* verò ad certos status peculiariter diriguntur.

4. Universalium *aliæ* sunt in tertio capite, ab ejus initio usque ad ver. 18. *aliæ* in quarto à v. 2. usque ad 7.

5. In tertio capite est universalis exhortatio ad vitam & conversationem Christianam, quæ tribus in officiis constituitur.

6. PRIMUM officium est, ut nos Christiani superna seu ea quæ sursum sunt quæramus & sapiamus: de quo fert animus hac disputatione, σὺν Χριστῷ, disserere.

7. Ad illud autem rectè intelligendum perpendere nos oportet, quæ fuerit Paulo *occasio* fideles ad id exhortandi? *quid sit* superna quærere & sapere? quid ei *repugnet*? *argumenta* deniq; cur superna sint quærēda & sapienda.

8. *Occasio* exhortandi fideles ad quærenda ac curāda superna, fuit data ex vanis illis idololatricorum & hypocriticorum cultuum exercitiis, in quibus veram religionem & pietatem sitam esse homines superstitiosi falsò sibi persuadent; quæ proinde Apostolus superiore capite cōfutavit & damnavit. Concludens confutationem, descendit ad exhortationem usus particulâ *Itaq*, quâ ostendit se non temerè, sed occasione certa exhortationes ad pios instituere.

9. *Superna quærere & sapere*, est cęlorum iter

verum ingredi & iis quæ nos illuc deducunt incumbere, id est, spiritu & veritate Deum adorare, Joh. 4. 23. quærere regnum Dei & justitiam ejus, Matth. 6. 33. regnum, inquam, Dei quod non est esca & potus, sed justitia & pax & gaudium per Spiritum Sanctum, Rom. 14. v. 17. dare operam solidę pietati, & novæ vitæ quæ vera via est in cælum in quo vita verè beata vivitur, ubi qui sunt, nec cibo nec potu, nec ceremoniis externis egent, sed similes Angelis beatis sunt. Matth. 22. 30. atq; ita sese ut municipes cæli gerere, Philip. 3. 20. in cælum adspirare, illic animo esse & conquiescere, ubi nobis servatur hæreditas quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, 1. Petri 1. vers. 4.

10. Huic repugnat *cura terrestrium*, quam Apostolus prohibet cùm ait, non esse quęrenda & sapienda terrestria.

11. Per *terrestria* autem intelligit externa & corporalia religionis exercitia, ut sunt ceremoniæ; quales apud Judæos & Gentiles multæ erant, & non paucę hominum arbitrio confictæ; quales innumeræ sunt in Papatu, in quibus idololatræ & hypocritæ summam & arcem pietatis collocant: quibus adhæret cura opum terrenarum, sine quibus idololatræ & hypocritæ existimant religionem constare & exerceri non posse.

12. Hinc autę colligimus, I. Non in rebꝰ terrenis & corruptibilibus sitá esse religionē & pie-

& pietatem veram, sed in rebus supernis quæ sunt quærendæ & sapiendæ.

13. II. Si superna quærenda & sapienda sunt, non terrestria; tum superna etiam à Deo petenda, non ea quæ cor humi affigant. Ergo cùm oras, magna ora, id est, ea quæ æterna sunt, non caduca. Ora quæ divina sunt atque cælestia, ut sis sicut Angeli in cælo. Noli orare pro pecunia, quia ærugo est: noli pro auro, quia non prodest in die iræ, nec eripit à morte: noli orare pro terrenis possessionibus, quia sunt momentaneæ.

14. III. Si ea sunt sapienda quæ sursum sunt, non quæ super terram; ergo non supra terram, nec in terra, nec secundùm carnem Christum quære si vis invenire.

15. *Argumenta* cur quærenda & sapienda sint superna & non terrestria Paulus adducit sex: maxima ex parte à Christi beneficiis in nos partim collatis, partim conferendis sumens exhortandi materiam.

16. PRIMUM est, *quia nos resurreximus cum Christo*, hoc est, quia resuscitati sumus ex morte peccatorum ad vitam spiritualem gratiâ Patris cælestis, virtute resurrectionis Christi, cujus per Spiritum Sanctum & fidem participes sumus; ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos novâ vitâ incedamus, Christo resurrectionis conformitate coalescentes, Rom 6. v. 4, 5. & regeniti in spem vivam per resurrectionem Chri-

sti ex mortuis, ad hæreditatem quę nec perire potest nec cõtaminari, nec marcescere, 1. Pet. 1. v. 3, 4. ac proinde licèt adhuc in corpore simus, tamen in Christo velut in alteram vitam transferimur, inchoatâ jam in nobis vitâ illâ æternâ quæ est unio cum Deo, qui solus est vita, quem qui habet, vitam & beatitudinem sempiternam habet.

17. Hæc resurrectio nostra cum Christo nobis repræsentatur & obsignatur Baptismo tanquam pignore & sigillo.

18. Cæterùm probè notandæ sunt singulæ voces quibus Apostolus in hoc argumento utitur. Dicit conditionaliter, *Si resurrexistis cum Christo*; ut omnes excitet tum ad seriam sui explorationem an sint in fide per quam solam Christi & operum atque beneficiorum ejus participes simus: tum ad realem testificationem communionis cum Christo, quia si quis cum Christo verè resurrexit, is superna quærit, superna cogitat, non terrestria, non caduca.

19. Deinde dicit συνηγέρθητε τῷ Χριστῷ, *cum Christo resurrexistis*, tum ut intelligamus Christum tanquam primitias resurgentiũ ex mortuis primò resurrexisse, deinde nos cum illo: tum ut sciamus Christi resurrectionem esse nobis causam resurrectionis tum animarum ex morte peccati, tum corporum ex pulvere terræ: tum ut consolationem habeamus solidissimam ex eo quòd Christi participes sumus,

mus, quòd in Christi beatificam communionem pervenimus.

20. Ita in hoc argumento Pauli invitamur duntaxat exemplo suscitati Christi ad sectandam vitæ novitatem: sed etiam docemur, ejus fieri virtute ut in justitiam regeneremur.

21. Argumenti hujus primi dispositio talis est. *Si nos resurreximus cum Christo; tum superna sunt nobis quærenda & sapienda, non terrestria. Atqui nos resurreximus cum Christo: sic enim credimus & de eo gloriamur. Ergo, &c.*

22. CONSECTARIA alia ex hoc argumento.

I. Si nos cum Christo resurreximus, tum necesse est singularem & admirabilem, imò divinam planè in ipso virtutem & potentiam esse, quâ nos secum mutavit & ex mortuis ad vitam suscitavit, ac proinde Deum esse omnipotentem: necesse est verum hominem esse, tum quia mortuus fuerat & ex mortuis resurrexit, tum quia nonnisi per humanam naturam virtus illa quâ unà cum Christo resurreximus ad nos derivatur: necesse est sanctum & justum hominem esse & à peccatoribus segregatum, quum nonnisi ob ejus meritum tantum nobis beneficium collatum sit: necesse est nobis cum ipso κοινωνίαν esse, secus ad nos non potest virtus illa quâ ex morte peccati resurgimus pervenire: necesse est ipsius nobiscum conjunctionem arctiorem & efficaciorem esse, quàm est mariti & uxoris, imò

quàm est hujus capitis nostri cum corpore: non enim moriente marito, statim unà moritur uxor, aut vivente eo unà vivit uxor: & vivente humano capite, potest pars aliqua corporis destitui vitâ, sensu & motu: At Christo moriente, nos unà mortui sumus; & eo resurgente, nos unà surreximus; eo vivente, nos unà vivimus.

23. II. Qui resurrexerunt cum Christo ad novam vitam, eos novas quoque actiones perficere necesse est. Oportet enim vitam quamcunq; habere suam aliquam actionem. Corporalis ac terrena hæc vita corporalem ac terrenam actionem habet: spiritualis ac cælestis vita spiritualem ac cælestem actionem habeat necesse est. Quæ est autem spiritualis ista actio vitæ spiritualis? Quærere superna & sapere ea quæ sursum sunt. Quælibet etiam vita quærit alimoniam, corporalis corporalem, spiritualis & cælestis spiritualem & cælestem. Sicut Christus postquam resurrexit ad cælestem illam vitam, non ampliùs eguit cibo, potu, vestitu & cæteris terrenis adjumentis: ita & nos vitæ spiritualis sustentationem non in cibo, potu, certo vestitu & elementis hujus mundi collocare debemus.

24. III. Vera pietas ex participatione resurrectionis Christi emanat.

25. IV. Resurrectio nostra duplex est: una animæ ex morte peccatorum, altera corporis ex pulvere terræ. Illa, est *prima*: hæc, *secunda*.

26. V. Quis-

26. V. Quisquis se rebus corporalibus (cujusmodi sunt ceremoniæ externæ, jejunia superstitiosa, dierum discrimen, Angelorum aliarumque rerum creatarum cultus, terrenæ opes) occupaverit; sibi ipse impedimenta ponit, ne possit ad spiritualia transcendere. Servus enim factus rerũ terrenarum, liberum ad cælestia animum erigere non potest.

27. VI. Ille verè Christianus est, qui etiam domi suæ peregrinum se esse agnoscit, cujus patria sursum est, cujus thesaurus in cælo est.

28. VII. Ne figamus humi divinæ particulam auræ, sed depositio terræ affectu in cælum toto pectore adspiremus, & ultra naturæ terminos alis ad cælũ spiritualibus evolemus. Animus supra hæc terrena est erigẽdus: quod qui nullo modo facit, in eo nihil est vitæ spiritualis.

29. IIX. Non tãtum interest inter lutum & aurum, quantum inter terrena & cælestia.

30. SECUNDUM ARGUMENTUM est; quia CHRISTUS nostrũ caput est SURSUM in cælo, ubi nulla est ceremoniarum observatio, nulla circa res terrenas occupatio.

31. Itaq; loci, in quo nũc Christꝰ corpore suo versatur, consideratio incitare nos ad superna quærenda ac sapienda debet. Si enim locus, in quo libenter habitant, qui nobis in his terris chari sunt, nobis etiam gratus est, & ibidẽ nostris animis sumus, ubi sunt quos amamus; tũ profectò multò magis sursum ad cælum ad-

spirare & animos elevare nos decet, ubi Christus est quem supra omnia diligere debemus. Huc pertinet quod dicitur à Christo Matth. 24.v.28. *Ubicunq; fuerit cadaver, illuc congregabuntur aquilæ.* Quod Chrysostom. in 1. Cor. homiliâ vigesimaquartâ explicat in hunc modum: *Jubet nos ut cum charitate & concordia ad se accedamus, & aquilæ in hac vita facti ad ipsum cælũ subvolemus, vel potiùs super cælũ: Ubi enim cadaver, ibi & aquilæ: cadaver corpus vocans propter mortẽ. Nisi enim ille cecidisset, nos nõ surrexissemus. Aquilas autẽ vocat, ostendens, quòd oportet eũ qui ad hoc corpus accedit esse sublimẽ & cum terra nihil habere cõmune, neq; deorsum trahi et serpere, sed assiduè sursũ volare.*

32. Argumẽtatio igitur talis fuerit: *Si Christus quò ad corporalem præsentiam* SURSUM, hoc est, *in cælo est, tum nobis superna sunt quærenda ac sapienda, Primum est: Ergo & extremum.*

33. CONSECTARIA hujus argumẽti alia.

I. Christus corpore suo SURSUM, id est, in cælo nunc existens, verissimè in loco est & circumscriptus; sicut Apostolus ait, *Ubi est Christus ad dextram Dei sedens:* & Augustinus secundo tomo epistolâ quinquagesimâ septimâ quæ est ad Dardanũ; *Christum ubiq; totũ præsentẽ esse non dubites tanquã Deum, & in eodẽ templo Dei esse tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cæli propter veri corporis modũ.* Quòd si corpore non esset in loco, nusquã esset; imò corpus ipsius, corpus nõ esset. *Nã spacia locorũ tolle corporibus, nusquã erunt, & quia nusquã erunt, nec erunt:* ut ait Augusti-

Augustinus eadē epistolâ ad Dardanū. *Corpus Dominicum surrexit quidem à corruptione & interitu alienum & impatibile & immortale, & divinâ gloriâ glorificatum & à cælestibus adoratur potestatibus: corpus tamen est & habet quam priùs habuit circumscriptionem*; ait Theodoretus Dialogo secundo. Hoc adeò verum est ut *ipse Spiritus Sanctus si una de creaturis esset, tantùm circumscriptam haberet substantiam, sicut universa quæ facta sunt. Nam si non circumscribantur loco & finibus invisibiles creaturæ; tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem Sanctus cùm in plurib. locis sit, nō habet circumscriptam substātiam*; ut ait Didymus Alexandrinus libro de Spiritu Sancto. Unde Vigil. lib. 4. contra Eutychen ait: *Christum utriusque esse naturæ, & esse quidem ubiq; secundùm naturam divinitatis suæ; & loco contineri, secundùm naturam humanitatis suæ.*

34. II. Christus nūc est in cælo secundùm corpus: ut ait *Basilius Magnus* in Constitutionibus exercitatoriis capite quarto. Sic ait Augustinus epistolâ quinquagesimâ quæ est ad Dardanum: *Noli itaq; dubitare ibi nunc esse hominē Christum Jesum, unde venturus est, memoriterq; recole & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit à mortuis, adscendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde quàm inde venturus est ad vivos mortuosq; judicandos: Et sic venturus est illâ Angelicâ voce testante, quemadmodum ire visus est in cælum, id est, in eadē carnis forma atq; substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit.*

35. III. Persona Christi una est, sed duas distinctas naturas habens, ubiq; exsistens per divinã, in cælo autẽ nunc per humanã naturã.

36. IV. Christ⁹ corpore suo neq; est, neq; esse potest simul & semel in plurib. locis seu ubiq;: quia est SURSUM ad dexteram Dei sedens. Ita Vigil. lib. 4. contra Eutychen argumentatur: *Caro Christi quando in terra fuit, non erat utique in cælo: & nunc quia in cælo est, non est utique in terra; & in tantum non est, ut secundùm ipsam Christum exspectemus venturum de cælo, quem secundùm Verbum nobiscum credimus esse in terra.*

37. V. Ut Christum ritè apprehendant piæ animæ, in cælum erigantur necesse est: in cælo Christus quærendus est: in cæleſti gloria spiritualiter colendus & adorandus. Proinde turpiter errant, qui de sacramẽtis ita carnaliter docent, ut animos signis terrenis affigant, & in illis, hoc est, in terra Christum quærere jubeant. Certè qui in signo externo detinentur, à recta quærendi Christi via aberrant.

38. TERTIUM argumentum est: quia Christus ad dexteram Dei sedet, ad gloriam summam evectus.

39. SESSIO *Christi ad dexteram Dei Patris*, non est humanæ Christi naturæ exæquatio cum Patre in regnando, æquali potentiâ & majestate ei realiter cõmunicatâ; sed est summus gradus exaltationis Christi κατ' ἐξοχήν, dũ peracta in terris peccatorum nostrorum purgatione collocatus est in cælis supra omnes Ange-

Angelos, atq; adeò supra omnes creaturas, ut jam in gloria officium Propheticum, Sacerdotale & Regium exsequatur mittens Spiritũ Sanctum è cælo in corda electorum, & docẽs Ecclesiam per ministros Novi fœderis: intercedens pro nobis apud Patrem: regnãs deniq; & judicium exercens nomine Patris in toto Mundo atq; inprimis in universa Ecclesia. Ephes.1.v.20.& sequentib.& cap.4.v.11.Rom.8.34.1.Cor.15.v.25,26,27.1.Petr.3.22.

40. Sessio illa non est ubiq;, sed SURSUM in cælo, in loco majestatis & gloriæ; sicut Paulus ait, UBI *Christus est.*

41. Non est ad sinistram; Judicis enim in sinistra sedere non est: sed ad dextrã Dei Patris: Quæ tamen non propriè, sed metaphoricè de Deo dicuntur, qui nec dextram nec sinistram propriè loquendo habet.

42. Nec sessio illa ad dexteram Dei Patris est solius humanæ naturæ Christi; sed totius personæ θεανθρώπου, sicut Paulꝰ ait, CHRISTUS *ad dexteram Dei sedens.*

43. Sedet ergo ad dexterã Dei secundùm utramq; naturam.

44. Secundùm divinam naturã καθ' ἑαυτὸν & in se consideratam semper in pari gloria cũ Deo Patre fuit ab æterno, quatenus Deus est, & Patri ὁμοούσιος: at secundùm eãdem κατ' οἰκονομίαν consideratam, ut descendens de cælo se exinanire dignatus est servi formâ assumtâ, ita post adscẽsionem in cælum exaltatus est ad

regnum illud Mediatoriũ & Oeconomicum, quod nomine Patris, q caput ejus est, exercet.

45. Secundùm humanã naturam ante adscensionem in cælũ, nõ sedit ad dextram Dei: sicut Ruffinꝰ in Expositione Symboli ait: *Adscendit ad cælos, non ubi Verbum Deus antea nõ fuerat, quippe qui erat semper in cælis & manebat in Patre, sed ubi Verbum caro factum antè non sederat.*

46. Nec secundùm illam eâdem & æquali potentiâ atq; majestate regnat cum Patre, ut sequentia argumenta evincunt.

47. *Primum* est, quia secundùm quam naturam Christus eâdem & æquali potentiâ atque majestate cum Patre regnat, secundùm illam est Patri ὁμοούσιος.

At secundùm humanam naturam Christus non est Patri ὁμοούσιος: Ergo &c.

Propositio major certissima est, ut patet ex testimoniis è Sacra Scriptura collectis à Beato Athanasio, quibus probat communem esse essentiam Patris, Filii & Spiritꝰ Sancti: ubi inter alia ex dominatu eodem Patris & Filii cõcludit Filium esse ejusdem essentię cum Patre: tomo primo paginâ trecentesimâ septuagesimâ quintâ Edit. Commelinianæ.

48. Secundum argumentum est, quia secundùm quam naturam Christus non est æqualis Patri, secundùm eam æquali potentia & majestate cum Patre non regnat:

At secundùm humanam naturam Christus non est æqualis Patri: Ergo, &c.

49. Argu-

49. Argumenti igitur Apostolici talis fuerit dispositio. Si Christus caput nostrũ est in gloria summa ad dextram Dei sedens, superna igitur nobis, qui membra ejus sumus, quærenda sunt & sapienda.

Illud est: Ergò & hoc.

50. Consectaria hujus argumẽti alia sunt.

I. Christus est superior omnibus Angelis, eorumq; atque adeò rerum omniũ creatarum Dominus ac proinde Unigenitus Dei Filius: *Ad quem Angelorũ Deus dixit unquam, Sede ad dextram meam, usq; dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Hebr. 1. v. 13.

51. II. Christus sacrificium quo peccata nostra expiavit est perfectissimũ, est sufficientissimum, & perennis est suavitas odoris sacrificii illius coram Patre. *Purgatione peccatorum nostrorum per seipsum facta, sedit ad dextram majestatis illius in locis excelsissimis.* Hebr. 1. v. 3.

52. III Christi justitia quam factus Patri obediens usq; ad mortem, mortem autẽ crucis, nobis cõparavit, quamq; nobis Pater gratiosè per fidem imputat, est & manet in Christo etiam glorificato: quia cum ea pro nobis cœlum conscendit, cum ea ad dextram Dei sedens coram Patre pro nobis compâret. Addu xit nobis justitiam non evanescẽtem, sed sempiternam, Dan. 9. 24. Actus quidem justitiæ, competentes statui humilitatis transierunt: ipsa verò justitia mansit & manet in perpetuũ.

53. IV. Christi gloria, quâ jam in cælis po-

titur, hoc est, sessio ipsius ad dextram Dei excitare nos debet, ut ea quæ sursum sunt quæramus & sapiamus, si modò gloriæ Christi & sessionis ipsius ad dextram Dei amãtes simus.

54. V. Serium rerum cæleſtiũ desiderium est ardentis amoris gloriæ Christi documentum: sicut è contrario frigidum rerum quæ sursum sunt studium & desiderium arguit frigere amorem gloriæ Christi.

55. QUARTUM ARGVMENTUM est, quia mortui sumus.

56. In hoc argumento considerandũ quid per *mortuos* hoc loco Apostolus intelligat.

Mortui in Scriptura sacra dicuntur, *vel* qui in mortis spiritualis corporalisque potestate peccato suo constituti sunt, ut cùm Paulus Roman. 5. v. 16. ait, *illius unius lapsu multi mortui sunt: vel* quorum anima à corpore per mortem corporalem separata est, ut cùm Genes. 5. Adamus & alii Patriarchæ ordine enumerati dicuntur mortui esse: *vel* qui à vita Dei separati sunt morte spirituali, quæ electis æterna non est, quum ab illa per Christum liberati sint, de qualibus Christus ait Joh. 5. 25. *Amen amen dico vobis, adventat tempus & nunc est, quum mortui audient vocẽ Filii Dei: & qui audierint, vivent: vel* qui morti spirituali æternę mãcipati sunt, etiamsi in corpore adhuc vivant; quales sunt illi quos Judas in epistola sua v. 12. dicit esse *arbores bis emortuas*: *vel* qui morte tũ spirituali corporea tũ ęterna peribũt, de quib. dicit Christ⁹ Joh. 8.

v. 24.

v.24. *Nisi credideritis me eũ esse, moriemini in peccatis vestris:* vel qui liberati sunt à Lege veluti marito efficiente omnem in homine cupiditatem, de quibus dicitur Rom.7.4. *Itaq; fratres mei, vos quoq; mortificati estis Legi in corpore Christi ut essetis alterius, ejus videlicet qui ex mortuis suscitatus est, ut fructum feramus Deo:* vel qui desierũt in Lege justitiã quærere, de quibus Gal.2.19. *Ego enim per Legem Legi mortuus sum, ut Deo viverem:* vel qui mortem adiit destruendi peccati causâ, ut solus Christus de quo legitur Rom. 6.v.10. *Quòd mortuus est, peccato mortuus est semel:* vel deniq; qui virtutis Christi participes ita facti sunt, ut nativa illa corruptio sit in eis emortua, id est, vigore suo exstincto fructus amarissimos non edat, de qualibus Rom.6.2. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?*

57. Hoc ultimo significato ait Apostolus isto loco, nos mortuos esse videlicet peccato, quod ad carnem attinet, id est, ad veterem naturã caduca omnia quærentem, nos, inquam, mortuos esse cum Christo, dum mortis ejus virtute quam per fidem participamus membra nostra terrena mortificantur, ne suas in posterum actiones exerceant. Cum hoc significato conjũctum est significatum septimum, quum coordinata seu subordinata non pugnent. Vult igitur Apostolus morte Christi tum nostrum veterem hominem exstinctum, ne posthac vigeat ac fructificet: tum nos libe-

ratos à rigidissima illa exactione Legis, sic ut in illa justitiam non quæramus, nec quærere debeamus.

58. Utq; vis argumenti penitiùs perspicia tur, cùm à similitudine petitum sit, ratio similitudinis expendatur. Ut homo mortuus corporaliter, non ampliùs curat & sapit terrena ac corporalia, animo autem superna ac cælestia intuetur, iisq; se oblectat; ita fidelis mortuus peccato & Legi spiritualiter, nō ampliùs terrena sectari & curare, sed animo totus intētus esse rebus spiritualib. & cælestib. debet.

59. Argumentum igitur Pauli tale fuerit:

Quicunq; mortui sunt peccato & Legi seu ceremoniis legalibus, ac proinde omnibus illis rebus quæ nos possent detinere affixos amori hujus mundi, ii superna quærere & sapere debent, non terrestria:

At nos sumus mortui peccato, &c. Ergo.

60. CONSECTARIA.

I. Qui efficaciam mortis Christi participa runt, ii veterem hominem mortificant, & non in Lege, sed in solo Christo justitiā quærunt.

61. II. Qui opera veteris hominis facere pergūt, & justitiam in operibus suis quærunt, ii sibi mortem Christi inutilem reddunt & infructuosam.

62. QUINTUM ARGUMENTUM est, quia *vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.*

63. *Vitam nostram* hoc loco Apostolus intelligit non vitam hanc animalem quæ rerum terrena-

terrenarum subsidio eget, quæ multis calamitatibus obnoxia est, quæ morte corporali finitur, ac proinde non est vera vita nostra; sed quandam aliam vitam, quę spiritualis est, & in perfecta atq; æterna communione Dei & inseparabili conjunctione cum ipso cõsistit. Ista est vita beata, vita glorioſa, vita cælestis, vita quæ sursum in cælis est, vita quam nulla inopia insuavem reddet, nulla calamitas tristem efficiet, nulla mors finiet, ac proinde vera vita nostra, vita fidelium, vita Christianorum.

64. Hæc vita cęlestis est verè nostra, quum vita corporalis mundi potiùs, sit aliorum hominũ & eorum quidem magna ex parte improborum. Qui in hoc corpore vivũt, nónne mundo potiùs vivunt, quàm Deo? Mundus sibi vult dicari, sibi vult impendi hanc vitam corporalem. Mũdus etiam electos Dei interdum ita ad se trahit, ut vix recordentur vitæ absconditæ cum Christo in Deo: quid dico vix recordentur? imò illius interdum oblivisc untur, tam grata est illis vita hujus Mundi. Certè oblivisc untur, qui vel non recordantur ut debebãt. Sed magna est Dei gratia, ingens beneficium, quòd oblivionem illam partim per verbi sui prædicationem, partim per multas afflictiones excutit. O salutares afflictiones, quæ nos revocant, quæ nos reducunt ad meditationem vitæ illius nostræ absconditæ cum Christo in Deo!

65. Vita illa nostra *abscondita* est, quia jam

non apparet oculis carnis, ut neq; Christus.

66. Abscondita est primùm *Mundo*, hoc est sapientibus & intelligentibus hujus mundi, mundanis & carnalibus hominibus, de quib. Servator noster Christus ait Matth. 11. v. 25. *Gloriã tibi tribuo Pater, Domine cæli & terræ, quòd hæc occultaveris à sapientibus & intelligentibus, & ea retexeris infantibus. Næ Pater, quia ita placuit tibi.* Mundi judicio vidētur Christiani mortui, quia & abscondita est Christianorum vita; at Spiritu Sancto testificante illi cum Christo in Deo extra mundũ in regno ejus cælesti vivũt.

67. *Deinde* vita illa nostra abscōdita est magna ex parte quò ad sensum nostrum, & *nobis* qui filii Dei sumus, quia nondum nobis plenè patefacta est, sicit 1. Joh. 3. 2. dicitur, *nunc filii Dei sumus, sed nondum patefactum est quod erimus:* quia *scimus dum commoramur in corpore, nos peregrè abesse à Domino.* (*Per fidem enim incedimus, nõ per aspectum: Confidimus autem & probamus potiùs migrare è corpore & ad Dominũ ire habitatum.*) *Propterea etiam contendimus ut & hîc commorãtes & hinc migrantes, ei simus accepti.* 2. Cor. 5. ver. 6, 7, 8, 9.

68. Ideo autem & nobis aliquo modo est abscōdita: quia hoc verum & necessarium est spei nostræ experimentum, ut tanquam morte circumdati dum hîc degimus in corpore, vitam alibi quæramus quàm in mundo.

69. Vita nostra abscondita est *cum Christo*, hoc est, ubi est Christus absconditus: quia ille demum

demum post hanc vitam est plenè patefaciendus, fidelibus ad gloriam & lætitiam æternã, infidelib. ad ignominiã & tristitiam perpetuã.

70. Abscondita est cum Christo cum ipso fonte vitæ: ut societas cum illo majorem nobis fiduciá & securitatẽ vitæ obtinẽdæ pariat.

71. Ubi est abscondita vita nostra cum Christo? *In Deo:* quia cùm ipse Deus absconditus sit & habitet lucem inaccessam, 1. Tim. 6. 16. necesse est vitam nostram cum Christo absconditam esse.

72. Abscondita est in Deo, ut sciamus tum extra periculum eã esse, tum infallibiliter nos eam consequuturos; quum Deus fidelis sit, qui non abnegabit depositum, nec fallet in suscepta custodia.

73. Verã vita nostra fide ac spe, ubi Christus est, cum illo est, quia cum Christo in Deo est: sicut margarita est abscondita quandiu fuerit in ostreo.

74. Vide quomodo Apostolus animos nostros in ipsum cælũ transferat ad Christũ? Nã semper cõtendit ostendere nos eadem habere quæ Christus: per omnes epistolas suas hoc agit, ut declaret nos cum Christo societatem & communionem habere in omnibus.

75. Argumentum Apostoli igitur hujusmodi est:

Quorum vita abscondita est cum Christo in Deo, ii superna quærere & sapere debent, non terrestria:

At verè fidelium Christianorũ vita abscondita est cum Christo in Deo: Ergo, &c.

76. CONSECTARIA alia ex hoc argumẽto.

I. Si vera vita nõ est hæc vita, sed abscondita est; tanquã mortui debemus hanc vitã vivere.

77. II. Christianorum novum genus vivendi non agnoscit mundus rectum esse: at Deus agnoscit. Hoc solatio nobis est adversus mundi præjudicia. Si integritatem, pietatem, sinceritatem nostram non agnoscunt homines: contenti simus eo quòd Deo nota sit.

78. III. Nemo hîc fulgere quærat, nemo glorietur: Fugiamus jactantiam, prædicari non expetamus.

79. IV. Quum vita nostra abscondita sit cum Christo in Deo: non est mors corporalis metuenda, nec illâ mortui immoderatè lugendi, quum jam ad vitam illam cum Christo in Deo abscõditam pervenerint. Joh. 5. 24. *Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: sed transivit à morte ad vitam.*

80. V. Martyres inprimis hîc habent quo se solentur. Nam vita quidem hæc corporalis ipsis eripitur, at vita ipsorum quæ abscondita est cum Christo in Deo, eripi ipsis non potest.

81. SEXTUM ARGUMENTUM est; quia *quando Christus vita illa nostra patefactus fuerit, tum & nos cum eo patefiemus glorioſi.*

82. Christus dicitur *vita illa nostra*, quia est autor vitæ illius nostræ sempiternæ, hoc est,

est, & impetrator, quatenꝰ Mediator, & dator quatenus Deus, & communicator quatenus Caput Ecclesiæ & singulorum fidelium.

83. Observandum verò, quòd Apostolus non dicit, vitam nostram esse ex Christo & per Christum, quod & ipsum verum est; sed Christum esse vitam nostram: ut arctissima illa conjunctio Capitis Christi & nostri imprimatur animis nostris, per quam fit, ut nō tam nos vivamus per Christum, sed potiùs Christus in nobis: sicut Paulus ait Gal. 2. 20. *Unà cum Christo crucifixus sum. Vivo autem, non amplius ego: sed vivit in me Christus.*

84. *Patefactio illa*, de qua hoc loco Apostolus loquitur, fiet in altero illo glorioſissimo adventu Christi ad judicium vivorum & mortuorum, quum nunc adhuc in Euangelicæ prædicationis secundùm carnem infirmitate deliteſcat. Ab improbis non creditur futurus judex: cùm autem advenerit in virtute cęlesti & conspectus fuerit esse quod minimè credebatur: tunc apparebunt cum illo etiam qui crediderunt in illum: & manifestabitur omni improbitati, quòd cum suis fidelibus in gloria vivat.

85. Nec pugnat hoc cūm eo quod 2. Cor. 4. v. 10, 11, 12. dicitur: *Ubivis mortificationē Domini Jesu in corpore circumferētes, ut etiā vita illa Jesu in corpore nostro manifesta fiat. Semper enim nos qui vivimus, morti tradimur propter Jesum, ut etiam vita Jesu manifesta fiat in carne mortali. Itaq; mors*

quidem in nobis agit, vita verò in vobis. Nã vita Jesu quotidie in nobis manifesta fit, quatenus videlicet primitias ejus habemus: complementum autem patefactionis illius in ultimũ Christi adventum differtur.

86. *Nos cum Christo patefiemus glorioſi*, cùm complementum consequemur dignitatis nostræ quâ ipsi Filio Dei similes futuri sumus, ejusq; sicuti est reipsa conspectu fruituri. Nam *videte, qualem charitatẽ dedit nobis Pater, nempe ut filii Dei vocemur: propterea mundus non novit nos, quia non novit eũ. Charissimi, nũc filii Dei sumus, sed nondũ patefactum est quod erimus: scimꝰ aũt fore ut quũ ipse patefactus fuerit, similes ei simus: quoniã videbimus eũ sicuti est*, ut 1. Joh. 3. v. 1, & 2. legitur.

87. Notãdus verò ordo patefactionis. Primò Christus vita illa nostra patefiet: secundo demum loco nos cũ Christo patefiemus glorioſi. Ita gloria Christi primas obtinebit, vita nostra secundas, nec immeritò. Nam cur tum demum nostra gloria patefieri debeat, cùm Christus venerit, ut glorificetur in sanctis suis & admirandus fiat in credentibus omnibus in die illo. 2. Thessal. 1. 10. causa est, quia Christus est vita illa nostra.

88. Unde manifestatio Christi & gloriæ nostræ sunt duæ res sic cõjunctæ, ut manifestato Christo, nos simul cum ipso glorioſos patefieri necesse sit.

89. Argumentatio itaq; talis erit:

Quicunq; tunc, quando Christus, vita illa nostra

nostra patefactus fuerit, cum eo patefient glorioſi; ii profectò ſuperna quærere & ſapere debent, non terreſtria.

Atqui nos, tunc quando Chriſtus, vita illa noſtra patefactus fuerit, cum eo patefiemus glorioſi:

Nos itaq; ſuperna quærere & ſapere debemus, non terreſtria.

90. Conſectaria hujus argumenti alia:

I. Chriſtiani in hac vira ſunt mille ignominiis & mortibus obnoxii, ſunt tamen beati: quia erit, erit aliquādo illud tempus, quo pro ignominia gloriam, pro morte vitam conſequentur.

91. II. Qui in hac vita glorioſi eſſe malunt quàm in altera, ii verè ſunt miſeri.

92. III. Hæc conſolatio eſt certiſſima, quòd nos cum Chriſto patefiemus glorioſi. Hæc conſolatio fiduciam ſpei parit, ut ſecuri ſimus de futura vita: hæc conſolatio animum addit ut omnibus terrenis poſthabitis, Chriſtum ſequamur.

93. IV. Melius eſt hîc eſſe in humilitate, ibi in gloria: quàm hîc in momentanea gloria, ibi in ſempiterna ignominia.

94. V. Gloria Chriſti præferēda eſt etiam vitæ & gloriæ noſtræ æternæ; multò magis igitur vitæ & gloriæ temporariæ.

95. VI. Noſtrum eſt æquis animis ferre, gloriam noſtram qua potiemur in cælis tantiſper cælari, dū Chriſtus vita noſtra patefiat.

96. VII. Revelatio gloriæ nostræ pendet ex manifestatione gloriæ fratris nostri primogeniti Christi.

97. IIX. Per statum gratiæ filii Dei non cognoscuntur, sed per statum gloriæ: in illo latent, in hoc patefient. Facit hoc ad præmonitionem atq; consolationem adversus scandalum crucis & ignominię, cui filii Dei in hac vita sunt subjecti.

98. IX. Pascere fide & oblecta te in Christo Domino, & patienter constanterq; exspecta dum patefiat, & indesinenter ora ut patefiat: quia quando Christus, vita illa nostra, patefactus fuerit, tum & tu cum eo patefies glorioſus. Dic seriò, *Adveniat regnũ tuum*, jam quidem potentiæ & gratiæ, citò verò etiam regnum gloriæ: dic cum sponsa; *Veni Domine Jesu*: imò *veni citò Domine Jesu*. Amen.

Domino nostro Jesu Christo sit gloria in omne ævum.

THE-

THESIVM ANALYTICARUM

Quibus Epistola Pauli Apostoli ad Colossenses explicatur

ab

AMANDO POLANO
A' POLANSDORF

propositarum

PARS UNDECIMA

DE QUA

Die 28. Junii, Divino favente Numine, interrogantibus respondit

IOHANNES GERNLERUS
BASILIENSIS.

Anno MD CVI.

THESIS I.

PRAECEDENTE disputatione explicatum est primum è tribus officiis in quibus vita Christiana ab Apostolo Paulo in hac epistola cõstituitur: sequuntur reliqua duo.

2. SECUNDUM igitur est, ut tota vita nostra sit cõtinua resipiscẽtia; cujus definitionẽ, ordinem, partes & argumenta quæ ad exhortationem faciunt ex verbis Pauli colligemus.

3. *Resipiscentia*, est mutatio mentis & volũtatis pravæ in bonã, à Spiritu Sancto per prædicationem verbi Dei in electis effecta, ut non ampliùs in peccatis vivant, sed in vera justitia & sanctitate quæ Deo placet.

4. Est posterior fide, ut & justificatione.

5. Non proficiscitur ex vi propria liberi arbitrii, quum nemo propriis viribus liberi arbitrii resipiscere possit: sed est donum Spiritus regenerantis.

6. Partes ejus duæ sunt: *Mortificatio veteris hominis, & vivificatio novi.*

7. *Mortificatio veteris hominis*, est prima pars resipiscẽtiæ dũ exstinguimus vigorẽ motuum & cupiditatũ corruptę naturę, fugiendo scortationem, impuritatem, mollitiem, cupiditatem malã, & avaritiam, & deponẽdo iram, excandescẽtiam, malitiã, maledicentiã, verborũ obscœnitatem ab ore nostro & mentiendi adversus alios consuetudinem, atq; adeò cavẽdo omnia facta veteris hominis quo exuti sumus.

8. Per

8. Per *membra terrestria*, quæ nobis mortificanda sunt, intelliguntur affectus seu motus vitiosi & cupiditates carnales, quibus depravata ratio, & voluntas hominis perinde utitur ac corpus mẽbris, atq; adeò membra ipsa corporis quatenus cupiditates carnis & libido oculorum & fastus vitæ & aliæ affectiones pravæ in iis sese exserunt.

9. Nominantur *terrestria membra*, quòd in iis gestemus imaginẽ primi hominis terreni, qui è terra est pulvereus. 1. Cor. 15. 47, 48, 49.

10. Mortificare autem membra terrestria & deponere peccata debemus, propter sequentia argumenta:

11. I. Quia impedimenta sunt patefactionis nostræ cum Christo in gloria. Sic enim ex p̃cedente argumento Apostolus infert: *Quando Christus, vita illa nostra patefactus fuerit, tũ & vos cũ eo patefietis glorioſi: Mortificate igitur membra vestra terrestria, scortationẽ, impuritatem, &c.*

12. Ita p̃paratio ad futuram gloriã, est veteris hominis mortificatio. Qui mẽbra sua terrestria nõ mortificaverit, eum cũ Christo patefieri glorioſum impossibile est. 1. Cor. 15. 50.

13. II. quia mortificare mẽbra nostra terrestria & deponere peccata jubemur: non q̃ hoc viribus propriis liberi arbitrii nostri facere possimus, sed q̃ Deus cum præcepto simul conferat electis gratiam faciendi id quod jubet. Unde nostrũ est identidẽ precari: Jube ô Deus quod vis, & da quod jubes. Hoc argu-

mentum proponit Apostolus cùm ait; *Mortificate membra vestra terrestria*, &c. Hoc est quod Christus jubet Matth. 5. erue oculũ, abscinde manum, amputa pedem si facit ut offendas, id est, exstingue & abjice pravam affectionem in oculo, manu, pede. Mortificatio quidem membrorũ terrestrium inchoari debet à corde, sed porrigere sese debet ad singula corporis membra vel minutissima.

14. III. quia ob peccata venit ira Dei super homines contumaces. Ita promissio futuræ gloriæ: & terror iræ Dei adducere nos debet ad officium faciendum 2. Cor. 5. 11.

15. IV. quia hominum sunt in statu corruptionis damnabilis constitutorum. Hoc est quod Apostolus ait; *quibus in vitiis & vos incessistis quondã, quum in iis viveretis.* Qui ad Christũ conversi sunt, eos cõversationem pristinã deponere oportet, & nõ esse similes infidelibus, ac ne quidem sibiipsis quondam corruptis.

16. V. quia aliena sunt à tempore gratiæ: sicut Paulus ait, *At Nunc deponite etiam vos hæc omnia.* Hoc argumentum pluribus verbis tractat Rom. 13. v. 11. usque ad finem capitis.

17. VI. quia onus sunt quo animæ gravatæ opprimuntur. vel sunt tanquã vestes fœdę, impuræ, contagiosæ, pestiferæ, à quarum etiã contactu abhorrendum, epist. Judę v. 23. Hoc argumentũ proponit Paulꝰ cùm ait; *Deponite.*

18. VII. quia eadẽ fideles & sancti alii mortificant & deponunt, quorũ exemplum nobis imitan-

imitandum: sicut Paulus ait, *Deponite vos etiam.*

19. IIX. quia homines renatos minimè decent. Hoc argumentū tradit Apostolus his verbis; *quum exuti sitis illo vetere homine*, id est, pravitate vobis ingenita, *cum factis ipsius.*

20. *Avaritia* aūt nominatim fugienda, quia est idololatria. Mammona enim avaris p Deo est: māmonæ avari tanquā Deo serviūt, quod Christus facere prohibet Matth. 6. v. 24.

21. Unde avarus idololatra dicitur Ephes. 5. v. 5. quia pecuniæ servus est, & in reditibus multis anima ejus requiescit, ut docet exemplum divitis illius Lucæ 12. v. 19. & spem ponit in divitiis incertis, quod facere Spiritus Sanctus vetat 1. Tim. 6. 17. Psal. 62. 11.

Tantum tradit Apostolus hoc loco de mortificatione veteris hominis.

22. *Vivificatio novi hominis*, est altera pars resipiscentiæ, dum induti novo illo homine, renovamur in agnitionem congruentē imagini ejus qui ipsum condidit, hoc est, accenditur nova lux in mente quâ Deum & nos, rectè & salutariter agnoscimus, generāturq; novæ ac Deo placentes qualitates & motus in voluntate & corde, quibus excitatur lætitia in Deo & studium ardens novæ vitæ, ut sic imago Dei ad quam initio conditi eramus, in nobis instauretur.

23. *Novus homo*, est puritas nobis per gratiā Christi per Spiritum Sanctū collata: eaq; est instar novæ vestis, quâ indui hominem coram

Deo justificatum, & à peccatis per sanguinem Christi ablutum necesse est.

24 Proinde non est ipsa hominis substantia, sed qualitas sancta quâ ornatur ex dono divino.

25. Estq; distincta à justitia, quâ nos miseri peccatores coram Deo justificamur.

26. Ut autē veram justificationem coram Deo; ita etiam verā regenerationem, sanctificationem & resipiscentiā omnes fideles cujuscunq; populi, cuiuscunq; dignitatis, status, cōditionis, ordinis, obtinent in uno Christo.

27. Deus enim non respicit ad personam: sed in quavis gente acceptus ei est quivis qui eum timet & operatur justitiæ, Act. 10. v. 34, 35. sive Græcus sit sive Judæus: sive circumcisus sive præputium habens: barbarus aut Scytha: servus aut liber.

28. Argumentum autem cur in solo Christo omnes fideles sint justi & sancti corā Deo, istud Apostolus adducit:

Qui omnia est fidelibus & in omnibus fidelibus, in eo solo omnes illi sunt justi & sancti coram Deo:

Jam Christus omnia est fidelibus & in omnibus fidelibus:

Ergo in Christo solo omnes fideles sunt justi & sancti coram Deo.

29. *Christus est fidelibus omnia:* quia qui ipsum, qui Summum illud bonū est, possidet, omnia habet; ac licèt terrenas divitias & dignitates, aliasq; vitæ hujus cōmoditates non obtineat,

eæ ta-

eæ tamen compensatæ sunt benedictione infinitis partib. meliore. Cui Christus est omnia, eũ nullius rei corporalis defectus, nullius rei amissio nimiùm afficiet, ac ne propriæ quidẽ vitæ: imò Christus est vita nostra, thesaurus noster, prosperitas nostra.

30. Quapropter si humili orti genere simus, si vili conditione, si pauperes: si destituti nobilitatis honore, dignitatis eminentiâ, divitiarũ splendore; si orbati vel per mortem corporalem vel per modos alios parẽtibus, liberis, conjugibus, amicis, patronis, fautoribus: acquiescamus & contẽti simus Christo qui nobis est omnia. Ipse nobis est dignitas, & genus & divitię, ipse pater, ipse cõjugio nobis jũctus, ipse amicus, fautor, patronus, Servator: Sine ipso nihil potest vivere, neq; in cælis neq; in terris.

31. Quum Christus nobis sit omnia, terrenas igitur divitias concupiscere aut eas à Deo petere non debemus: quò pertinet illud Prov. 30. v. 7, 8, 9. *Duo peto abs te: ne prohibeas à me tantisper dum vivo. Vanitatem & rem mendacem longè amove à me: paupertatem aut divitias ne des mihi; alo me cibo demensi mei. Ne saturatus ementiar ac dicam; quis est Jehova? néve pauper factus, furer; deniq; abutar nomine Dei mei.* Quapropter Salomõ non petivit à Deo divitias, 1. Reg. 3. v. 11. Et Christus non amplas divitias, sed panẽ quotidianũ à Patre cælesti petere jussit Matt. 6. v. 11.

32. Quum Christus sit nobis omnia; in ipso etiam sunt nobis parentes, conjuges, liberi, a-

mici ex hac vita evocati, nēpe nobiscum membra ejusdem exsistentia corporis quod Christo est unitum.

33. Deficiant igitur Christianum omnia hujus vitæ adjumenta juxtà atq; ornamenta; auferatur uxor, auferantur liberi, auferantur facultates, auferantur omnia quæ carni grata sunt, dum modò Christum habeat, qui ipsi est omnia, abūdè habet, sic ut cum fiducia dicat ad Christum ex Psal. 73. v. 23. & seqq. *Ego jugiter futurus sum tecum; prehēdisti manum dexteram meam. Consilio tuo deduc me, ut postmodum in gloriā recipias me: Quis esset mihi in cœlis præter te? & præter te nullo delector in terra. Deficiēte carne mea & corde meo, rupes cordis mei et portio mea Deus est in seculum. Nam ecce longinqui à te pereūt, exscindis quicunq; adulterando deficit à te. Quod me itaq; attinet, propinquū esse Deo mihi bonum est, pono in Domino Jehovi receptum meū, ut enarrē omnia opera tua.*

34. *Christus est in omnibus fidelib.* cujuscunq; sint gentis & cōditionis, absq; ullo discrimine nationis, dignitatis, libertatis.

35. Idcirco in Ecclesia Christi non est Græcus & Judæus, Circumcisio & præputiū, barbarus & Scytha, servus & liber, hoc est, sublatum est discrimen populorum, statuū, conditionū, sic ut Deus non respiciat ad personam, hoc est, ad res externas quas mundus spectare solet: quod hæc etiam testimonia docēt, Act. 10. 34, 35. Gal. 3. 28. & 6. 15.

36. Sed omnis verè fidelis est Christianus, hoc

hoc est, accensetur Christo ejusq; est particeps, à Christo factus Deo Patri propheta, sacerdos & rex; est verè liber, quum Filius Dei eũ liberaverit: est filius Dei ex gratia in Christo & propter ipsum adoptatus: est hæres Dei & cohæres Christi. Bone Deus, quanta dignitas! De qua prædictum fuit Psal. 22. v. 31. *Semen colet eum, accensebitur Domino:* Et Psal. 72. 17. *Erit nomen ejus in seculum, durãte Sole soboleſcet nomen ejus; & benedicentes sibi in eo, omnes gentes beatum prædicabunt eum.*

37. Est autem Christus in omnibus fidelibus non tantùm universali præsentiâ suâ secundùm naturam Deitatis quâ ubiq; est: sed etiam particulari præsentiâ secundùm gratiã Spiritus sui & beneficiorum salvificorum quę solis electis præstat.

38. Hinc nulla ratione colligi potest, corpus Christi substantiâ suâ esse ubique in cęlo, in terra & apud inferos: etsi Christus non tantùm quò ad Deitatem, sed etiam quò ad humanitatẽ omnib, verè fidelib. adsit utpote unitus eis vinculo Spiritus Sancti qui in Christo est tanquâ Capite, & in omnib. illis tanquam membris ejus in vno corpore cohærentibus.

39. Ad hanc autem unionem non est necessarius corporalis contactus corporis Christi & corporum nostrorum, quum Spiritus Sanctus etiam locis longissimè distantia multò arctius cõjungat & conjũcta firmiùs in unione contineat, quàm corpus & anima cujusque

hominis cohærent: quandoquidem anima à corpore per mortem separatur, nullus aût verè fideliû à Christo ullo modo separari potest.

40. Usus præsentiæ gratiosæ Christi in omnibus fidelibus est multiplex. I. Quum in omnibus & singulis fidelibus sit Christus; omnes igitur & singuli illi sunt têpla Christi sanctificantis ipsos & habitantis in ipsis cum Patre & Spiritu Sancto suo. Joh. 14. 23.

41. II. Quum in omnib. fidelibus sit Christus: ergo etiam omnes fideles sunt unus in Christo Jesu, Gal. 3. v. 28. sunt unius instar, est summa conjunctio inter eos.

42. III. Quum in omnibus fidelibus sit Christus; omnes igitur fideles certò habent vitam æternam. Nam in quibus Christus est, in iis non est ociosus & mortuus, sed vivit in illis & vivificat illos, sicut Paulus ait Gal. 2. 20. *Vivo aût, nõ ampliùs ego: sed vivit in me Christus: & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam Filii Dei, q dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

43. IV. Quum in omnibus fidelibus sit Christus, igitur etiam quilibet fidelis est in Christo. Joh. 6. 56.

44. V. Quum in omnib. fidelibus sit Christus: sequitur ipsos diligi à Deo. Joh. 17. v. 26. *Ut charitas quâ dilexisti me sit in eis, & ego in eis.*

Hactenus secundum è tribus officiis in quibus vita Christiana in hac epistola constituitur: restat

45. TERTIUM, quod est exercitium omnium virtutum quæ regeneratos decent, ferentes

rentes fructus dignos resipiscentiâ.

46. In hoc officio tria considerãda: unum, hortatio ad virtutum omnium studium: alterum, quibus argumẽtis in genere moveri debeant regenerati ad illarum exercitium: tertium, quæ illæ virtutes sint.

47. Hortatio habet pulcherrimam similitudinem, quâ virtutes comparantur vestibus elegantibus, pretiosis & mundis, quibus animus verè exornatur: ait enim Apostolus, *Induimini.* Quod enim vestes sunt corpori, hoc virtutes sunt animo: & quantò præstantior est animus corpore, tantò etiã præstantiores sunt nobilioresq; virtutes, quàm externa corporis ornamenta.

48. Quapropter illi vero & pretioso ornatu induti sunt, quorũ occultus ille cordis homo virtutibus præclaris est cõdecoratus. Quò etiam Apostolus Petrus respexit 1. epist. 3. v. 3, 4. ita loquens de mulieribus Christianis: *Quarum ornatus non sit externus ille in nodis capillorum & circumpositio auro, vel palliorum amictu: Sed occultus ille cordis homo, situs in incorruptione lenis ac quieti spiritus, qui est in conspectu Dei pretiosus. Ita enim olim & sanctæ illæ mulieres quæ sperabant in Deum, ornabant sese.*

49. Vestitus autem hominis pro diversitate status ejus distinguitur.

50. Ante lapsum in statu primævæ integritatis erat anima hominis induta longè pretiosissimo ornatu omnigenarum virtutũ, in-

tellectualium & moralium: corpus verò etsi nudum erat & non tectum externo vestitu, tamen neq; insalubre id fuit neq; inhonestum; quia amictū erat innocētiâ & admirabili gloriâ, & quidem longè majore quàm ut vestitus ullus eam ornare posset, omniaq; hominis valetudini, commoditati, utilitati, honori & voluntati ancillabantur: deniq; sic erát in terris homines, ut in cœlis Angeli, immunes à rerum istarum, quibus jam homo circumfluit, solicitudine. Gen. 2. v. 25.

51. Post lapsum in statu peccati totus animi & corporis bonis nudatꝰ fuit, & omisso planè de tegenda animi nuditate consilio, nuditati corporis ,,pspicere conabatur, cōsutis foliis ficulneis, unde subligacula sibi fecerat. Gen. 3. 7.

52. Æternus autem Dei Filius, semen illud mulieris sponsor pro hominibus lapsis factus, in statu gratię non solùm tunicas pelliceas fecit, quibus Adamum & Evam vestivit, ut corporis nuditas tegeretur, Genes. 3. v. 21. verùm etiam nuditati animi consuluit.

53. Nudus in hunc mundum natus est & vilib. fasciis à matre sua involutus, Luc. 2. v. 7. quin etiam in passione illa sua magna, vestibus nudatus fuit, Matt. 27. 35. ut nobis mereretur vestitū spiritualē, quo amicti, Deo placeremꝰ.

54. Geminâ autem veste nos tegit Christus, nempe justitiæ suæ quam in se introduxit in mundum, & per fidem nobiscum communicat gratiosè imputatam: & veræ sanctitatis

tatis in nobis instauratæ. Matth. 22. v. 11, 12. Rom. 13. v. 14. Eph. 4. 24. Coloss. 3. v. 10, 12. Apoc. 3. v. 4 & cap. 7. v. 9, 13, 14. & cap. 12. 1.

55. In statu deniq; glorię non egebimus vestitu corporeo, ornati aût erimus gloriâ atque innocentiâ animo & corpore. Apocal. 21. v. 2.

Tantum de hortatione.

56. *Argumenta* hortationis ad virtutum omnium studium septem in genere adhibet Apostolus: è quibus quatuor innuit particula *igitur*; quum è præcedentibus sic infert, *Induimini igitur.*

57. PRIMUM est hoc:

Quicunque induti sunt novo illo homine, qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus qui ipsum condidit; illi omnibus virtutibus induti esse debent:

At veri Christiani induti sunt novo illo homine, qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus qui ipsum condidit:

Ergo veri Christiani omnibus virtutibus induti esse debent.

58. SECUNDUM: Quicunq; liberati sunt ab opprobrio Græcismi seu Gentilismi, pręputii, barbariei & scythismi, atq; servitutis; ii omnibus virtutibus induti esse debent.

Jam veri Christiani liberati sunt ab opprobrio Græcismi seu Gentilismi; nam qui Græci seu Gentes erant in carne, & absq; Christo, segregati à populo Judaico quod ad pactorũ promissiones attinet, Ephes. 2. 11, 12. ii uniti

sunt cum fidelibus Judæis in unam rempublicam sanctam, in qua nullum ampliùs est discrimen inter Græcum & Judæum: liberati sunt ab opprobrio præputii, nam qui dicebantur præputium ab ea, quæ vocatur Circumcisio manib. in carne facta ac proinde alieni erât ab Ecclesia Dei, spem non habentes & absq; Deo in mũdo; propinqui facti sunt per sanguinem Christi, qui est pax nostra, qui utraque fecit unum, & intergerini parietis septum solvit, Ephes. 2. 11, 12, 13, 14. sic ut in regno Christi nõ sit circumcisio & præputium: liberati sunt ab opprobrio barbariei & Scythismi, nam Christus inimicitias, id est, legem præceptorum, quę posita est in ritibus seu multitudine ceremoniarum quibus populus Israëliticus à reliquis Gentibus discernebatur, per carnem suá abolevit, ut ex duobus illis cõderet in semetipso unum novum hominem faciens pacem, Et utrosq; in uno corpore reconciliaret Deo per crucẽ, peremtis inimicitiis per eã, Eph. 2. 15, 16. sic ut in regno Christi nemo alteri sit barbarus & Scytha, hoc est, inimicus & peregrinus: liberati sunt ab opprobrio servitutis, nam omnes quicũq; sunt verè Christiani, sunt facti concives sanctorum ac domestici Dei, Ephes. 2. 19. sic ut in regno Christi non sit liber & servus, hoc est, corporalis libertas & servitus nullum faciat discrimen fidelium coram Deo, cui omnes sunt grati & accepti in Christo qui eos à spirituali servitute peccati, diaboli

boli & mortis omnes liberavit. Ergo veri Christiani omnibus virtutibus se induere debent.

59. TERTIUM: Quibuscunq; Christus est omnia, eos profectò virtutum omnium ornamentis indutos esse decet: At omnibus veris Christianis est Christus omnia: Ergo, &c.

60. QUARTUM: In quibuscunq; est Christus tanquam in templo suo in quo gratiosè habitat; eos profectò decet omnibus virtutibus studere:

At in omnibus veris Christianis est Christus, tanquam in templo suo in quo gratiosè habitat: Ergo, &c.

61. QUINTUM: Quicunq; sunt electi Dei, ii virtutibus omnibus sese induere debent. Nã elegit nos Deus Pater in Christo ante jactum mundi fundamentũ, ut simus sancti & inculpati coram eo cum charitate. Ephes. 1. v. 4.

At omnes veri Christiani sunt electi Dei: Ergo, &c.

62. SEXTUM: Omnes sancti virtutum omnium ornamentis induti esse debent: At omnes veri Christiani sunt sancti: Ergo, &c.

Consectarium: Ergo nõ tantùm illi qui jam in cælum translati sunt ex hoc mundo, sunt sancti; sed etiam omnes veri Christiani adhuc in terris viventes: nam Colossenses quos hortabatur Paulus ad studium virtutum, certè adhuc in terris degebant.

63. SEPTIMUM: Omnes dilecti à Deo virtutum omnium exercitio incumbere debẽt;

At omnes veri Christiani sunt dilecti à Deo? Ergo &c.

64. *Hæc sunt argumenta hortationis in genere: deinceps Apostolus enumerat*

VIRTUTES duplices, quarum quædã exercendæ sunt *erga proximum*, quedam *erga Deum*.

65. Erga proximum exerceri debent, *misericordia, benignitas, modestia, mansuetudo, longanimitas, tolerantia mutua, placabilitas, charitas, pacis studium.*

66. *Misericordia*, est virtus per quam aliorum miseria nobis cordi est, sic ut eam tũ consolãdo tum aliis modis lenire aut etiam tollere studeamus, quantum justitia permittit.

67. Eam intelligit Apostolus per *viscera miserationum*, commendãs hoc pacto tenerrimos illos affectus intimæ misericordiæ.

68. *Eaq; exercenda est* non tantùm erga propinquos, cognitos & nostræ religioni addictos; sed etiam erga peregrinos, ignotos & in religione dissentientes Luc. 10. 33.

69. Exercenda est etiam erga eos qui justè dant pœnas.

70. Imò exercenda est etiam erga hostes à quibus læsi sumus.

71. *Benignitas*, χρηστότης, est virtus per quam studemus nemini nocere, sed cõmodi esse omnibus pro viribus & officio nostro, sic ut manifestum sit, nos non tantùm ore, sed etiam opere ipso proximum diligere.

72. *Modestia*, seu submissio animi est virtus quæ

intra modum cõvenientem continet desideria in mediocribus honoribꝰ expetendis tuen disq; ad Dei gloriam & humani generis commodum: seu ut pluribus & clarioribus verbis utar, est virtus per quã ex agnitione propriæ nostræ imbecillitatis & cõsideratione loci atque officii in quo sumus collocati à Deo, servamus cõvenientem modũ in opinionibus & sermone de nobis, in factis itidem & gestibus, sic ut nõ plus quàm deceat nobis tribuamus, aut reverentiam aliis debitam violemus; néve in vestitu, gestu, sermone & vita plus splendoris ostendamus quàm opus est: néve nos aliis præferamus aut eos opprimamus, sed eos magni faciamus cum donorum Dei in illis & nostrorum defectuum agnitione.

73. *Mansuetudo*, est virtus, quæ iram animi injustam cavet; justam verò sic temperat, ne modum à Deo præscriptum excedat.

74. Non omnis ira est peccatum & damnata. 1. quia & in Christo fuit, qui omnis virtutis exemplar est perfectissimum Marc. 3. v. 5. *Quum circumspexisset eos cum ira, simul dolens quòd obcaluisset cor eorum.* 2. quia est cos fortitudinis, ut verè à Peripateticis Philosophis dictum est.

75. Proinde ἀπάθεια Stoica explodenda.

76. *Longanimitas*, est virtus per quam iram ita cohibemus, ut etiam diutissimè sufferamꝰ injurias quæ nobis inferuntur.

77. *Tolerantia mutua*, est virtus quę animos inclinat, ut alii alios toleremus, nec propter

nævos aliquos vel suspiciones vel calumnias conversationem abrumpamus, aut turbulentam, insuavem & intolerabilem reddamus.

78. *Placabilitas*, est virtus quæ animos inclinat ad condonandum nobis mutuò, si quis adversus aliquem habuerit querelam.

79. Ad eam inter cætera nos impellere debet exemplum Christi, quẽ imitari nostri est officii, sicut Apostolus ait: *Sicut & Christus condonavit vobis, ita & vos.*

80. *Charitas erga proximum*, est virtus per quam tam promto & diligenti animo, tam serio & verè res commodaq; proximi curamus, quàm nostra ipsorũ, & ea ratione proximum diligimus, sicut nos ipsos.

81. Ad eam nos impellere debet hoc argumentum maximi momenti, quia *est vinculum perfectionis*, quo nimirũ omnia hominum inter se officia continentur ac cohærent.

82. Hinc malè colligunt Sophistæ, charitate nos justificari.

83. *Pacis studium*, est virtus per quá diligenter cavemus causas offensionũ & occasiones discordiarum, contentionum, & odiorum nõ necessarias: & nullas detrectamus molestias offensos nobis vel aliis reconciliandi, & ortas iras atque discordias tollendi, ut pacem colamus cum omnibus quantum in nobis est, etiam cum injuriarum tolerantia, dum modò non pertineant ad contumeliam Dei & atrocem nostræ vel alienæ salutis læsionem.

84. Ad

84. Ad pacis verò ſtudium nos incitare debent hæc argumenta inter alia:

I. quia eſt Dei.

II. quia eſt mandata: *Pax Dei ſit gubernatrix in cordibus veſtris*, nempe tanquam brabeutes ſeu agonothetes in animis noſtris ſedens, omnesque affectus in officio continens.

III. quia ad eam vocati ſumus in unum corpus, ita nimirũ conjuncti ut alii aliis membrorum inſtar adeſſemus.

Hæ virtutes erga proximum exercendæ recenſentur hoc loco.

85. Erga Deum declarari debent; *gratitudo, verbi divini ſtudium aſſiduum, invocatio Dei, & gratiarum actio ad Deum.*

86. *Gratitudo erga Deum*, eſt virtus agnoſcens & profitens q̃ & quanta beneficia à Deo acceperimus, ut ipſi ſoli omnis gloria à nobis tribuatur.

87. Ad hanc virtutem exhortatur Apoſtolus, cùm ait; *& gratiæ eſtote*; quæ verba de gratitudine erga Deum interpretamur, ſecuti paraphraſin Syriacam.

88. *Studium verbi divini aſſiduum*, eſt virtus q̃ nos eò inclinat, ut ſermo Chriſti inhabitet in nobis copiosè cum omni ſapientia, docendo & admonendo nos mutuò pſalmis, & hymnis, & cantionibus ſpiritualibus, cum gratia canendo in noſtro corde Domino.

89. *Cum gratia canunt Domino*, qui illa canũt quæ utilia ſunt ad ædificationem, ſic ut gra-

tiosa sint aliis qui audiunt. Ephes. 4. 29. *Nullus sermo putris ex ore vestro egreditor: sed si quis est commodus ad ædificationis usum, ut gratiam auditoribus adferat.*

90. In corde suo canunt Domino, qui serio cordis affectu, non autem linguâ duntaxat id faciunt.

91. Atque hoc non tantùm ad publicum & Ecclesiasticum, hoc est, ministrorum Ecclesię, sed etiam ad privatum singulorum piorum officium pertinet.

92. Imò Paulus de privato singulorũ piorum officio hîc agit, non de publico seu Ecclesiastico, quo ministri verbi in publico Ecclesiæ cœtu defunguntur.

93. Ac proinde etiam Laici, quos vocant, lectioni & meditationi Scripturæ Sacræ incumbere debent.

94. *Invocatio Dei*, est cultus Dei, consistens in religiosa desiderii nostri indicatione profecta ex vera in Deum fide, ad ipsius gloriam.

95. Ad eam nos sic hortatur Apostolus: *Quicquid feceritis sermone, aut facto, in nomine Domini Jesu Christi istud agite*: Sensus est, nihil esse à nobis faciendum nisi invocato Christi nomine ad illius laudem & gloriam.

96. Invocatio religiosa, ut in veteri, ita etiam in novo Testamento fuit interdum directa ad unam personam Deitatis, interdum ad duas vel omnes communiter.

97. Ad unã, veluti ad Deum Patrẽ. Dan. 9.

98. Ad

98. Ad Deũ Filium, Psal. 45.7. & Psal. 102. 26. Actor. 7. 59. & hoc loco Coloss. 3. 17. item Apocal. 22. v. 20.

99. Spiritus Sanctus etiam est invocãdus. 1. quia est naturâ Deus, ὁμοούσιος Patri & Filio. 2. quia in eum credimus. 3. quia mandatũ nobis est ut eum invocemus. Mandatum continetur in Baptismi institutione Matth. 28. 19. 4. quia ipse distribuit dona singulis ut vult. 1. Cor. 12.

100. Ad Deum Patrem & Filium directa est precatio Jacobi Patriarchæ Gen. 48. v. 15, 16. *Deus ille ante cujus conspectũ indesinenter ambularunt patres mei Abrahã & Isaac: Deus ille q̃ pascit me ex quo die fui usq; in diem hunc: Angelus ille qui vindicat me ab omni malo, benedicat pueris istis*, &c.

101. Neq; verò divelluntur tres personæ si singulę distinctè vel duę invocentur expresè. Nam ut in Symbolo Apostolico distinctè quidẽ profitemur fidẽ in Deũ Patrẽ, Filiũ & Spiritũ Sanctũ, & tamẽ tres personas nõ divellimꝰ: ita distinctè invocare possumus singulas personas Deitatis, quas pinde minimè divellimꝰ.

102. Ad omnes tres personas Deitatis directus fuit & pertinet hymnꝰ Angelicus Jesa. 6. v. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus est Jehova exercituum: implet totam hãc terram gloria ejus.* Ad Deũ Patrem pertinere, nullũ potest esse dubium: Filio autem hymnum hunc dictũ esse, manifestum est ex cap. 12. Joh. v. 41. Similiter Spiritui Sancto dictum esse apparet ex Actor. 28. v.

25,26,27. Sic mandata est invocatio omnium trium personarum Deitatis, in Baptismi institutione Matth. 28. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomẽ Patris & Filii & Spiritus sancti*, hoc est, baptismo tanquam sacramento obligantes eos ad colendum & invocandum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Tum invocatio ad omnes tres personas directa est, 2. Cor. 13. v. 13. Apocal. 1. v. 4, 5.

103. *Gratiarum actio ad Deum*, est cultus Dei, cùm Deo pro bonis datis vel promissis debitam laudem reddimus per Christum.

104. Bonorum nomine intelligimus hoc loco non tantùm res nobis gratas, sed etiam afflictiones, quib. nos Deus vel paternè castigat & emendat, ne cum hoc mundo condemnemur; vel gratiosè probat & explorat, ut fides, spes, charitas & patientia nostra ad gloriam Dei & aliorum ædificationem innotescat: vel veritatem suam cælestem obsignare vult, ut sunt martyria, cruenta vel incruenta.

105. Per Christum autem sunt gratiæ agendæ Deo & Patri: quia DEUS frustra colitur, nisi Christus Mediator interveniat.

Hactenus exhortationes universales, quæ capite tertio comprehenduntur.

DEO PATRI, FILIO ET SPIRITUI SANCTO sit laus & gloria in sempiternum. AMEN.

THE-

THESIVM ANALYTICARUM

Quibus Epistola Pauli ad Colossenses explicatur

Ab

AMANDO POLANO
A POLANSDORF
propositarum

PARS DUODECIMA

de qua

Die 16. Octobris, propitio & favente
CHRISTO DOMINO,
interrogantibus respondit

M. JACOBUS GRASSERUS
BASILIENSIS.

Anno cIↃ IↃCVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0277
DFG

THESIS I.

HACTENUS exhortationes universales habuimus, ad omnes Christianos cujuscũq; status & ordinis sint pertinétes, quas Paulus Apostolus in capite tertio tradit: sequuntur jam exhortationes PARTICULARES, quæ peculiariter ad status Oeconomiæ Christianę diriguntur, quos omnes ad amorem & studium justitiæ Oeconomicæ excitat & ducit.

2. Ut autẽ Oeconomia tribus personarum ordinibus constat, in quib. mutua est partium obligatio; primus est cõjugum, nempe mariti & uxoris, secũdus parentũ & liberorũ, tertius dominorum & servorũ: ita omnib. & singulis hisce distinctas exhortationes accommodat.

3. Idq; facit adhibita methodo prudentię, sic ut ad inferiores *primò* orationem dirigat, nempe uxores, liberos & servos, quò illorum conditionem, quæ videtur esse durior & difficilior & adversa humano ingenio, quod ut est celsitudinis appetentiâ turgidum, ægrè se subjici sustinet; compellationis atque alloquii primatu leviorem illis, facilioré & suaviorem reddat: *deinde* demum sermonem ad superiores convertat, nimrũ maritos, parentes & dominos, & illis quoq; sua officia præscribat.

4. Non enim vult Deus ut inferiores obligentur ad officium, superiores autem sint ab omni officio liberi. Imò quibus major contigit honos, iis gravius impositum est onus.

5. Ini-

5. Initium facit Apostolus ab uxoris erga maritum & hujus vicissim erga uxorem officio: nam hic ordo inter homines primus fuit; quandoquidem Adamus ante generatos liberos uxorem Evam habuit.

6. De uxoris officio sic præcipit, ut *primùm* quod nam illud sit exponat: *deinde* cui præstandum: *tertiò* propter quas causas.

7. *Uxoris officium erga maritum*, est subjicere se proprio marito: sic enim ait Apostolus, *Uxores subjicite vos propriis viris.* Eadem hortatio exstat 1. Cor. 14. 34. Eph. 5. 22. 1. Petr. 3. 1. Eódem pertinet quod Paulus docet 1. Cor. 11. 3. caput mulieris esse virum. & v. 10. quòd *mulier debeat potestatem habere in capite*, id est, velamen quod est subjectionis symbolum.

8. Subjectio illa complectitur amorem erga maritum, Ruth. 1. 8. *reverentiam* erga eundem, Gen. 24. 64, 65. Eph. 5. 33. *obedientiam* quâ paret imperio ejus 1. Pet. 3. v. 6. *societatem* in rectè colendo & invocando Deo ad quam à marito seu monitis seu exemplo invitatur, aut etiam ad quam ipsa maritum exemplo suo adduxit, 1. Petr. 3. 1. *adjumẽtum* quod marito præstare tenetur in liberis rectè educandis, in paranda & conservanda re familiari, in levandis viri curis, afflictionibus, morbis, in tuenda vita ejus, &c. Gen. 2. v. 18. Prov. 31. v. 10. & seqq. Exempla Genes. 31. 14, 15, 16. 1. Sam. 19. 11. 1. Sam. 25. v. 18. & sequentibus.

9. QUAESTIO hîc incidit gemina: Prior

est, *An uxor subjectionem marito sine exceptione in omnibus præstare teneatur, nécne?* RESP. Distinctione opus est: nam in omnibus quæ voluntati divinæ consentanea sunt & præstari ab uxore ex officio debent & pro circumstantiarum ratione possunt, obsequium marito probare tenetur. Quæ autem voluntati divinæ in Sacra Scriptura patefactæ adversantur, in iis à mariti imperio exemta est: in iis enim locum habet illud Apostolicum dictum Actor. 5. 29. *Obedire oportet Deo potiùs quàm hominibus:* velutī si maritus uxorem cogere velit ad amplectendam religionem Papanam, Arianam, Samosatenianam, aut alioquin hæreticam; multò minùs uxor sua sponte in recipiēda falsa atq; hæretica religione sese marito accōmodare debet: Item si maritus uxore velit abuti ad libidinē justo naturaliq; ejus usu interverso, quo in casu Ambrosius exponens septimum caput primæ epistolæ Pauli ad Corinthios ait, uxori licere à viro discedere, (de qua tamen sententia controvertitur:) Item si lenocinium exercere & uxori autor esse velit ad prostitutionē sui vel augendæ rei familiaris causâ, vel consequendi favoris alterius honorisve gratia: Si eam ad furti aliúsve peccati perpetrationem seu communionem incitet & invitet: in summa, si ea suadeat aut jubeat quæ Lege divina & legibus honestis humanis prohibentur.

10. Posterior quæstio est; *Quum mulier viro subjecta esse debeat, an igitur simpliciter omnes mores ejus*

res ejus ferre teneatur, sic ut ne admonere quidem eũ ausit? RESP. Subjectio quã uxor marito debet, non tollit admonitiones justas atq; tempestivas, ad corrigendos mores mariti, & pericula ab ipso atq; à tota familia avertenda pertinentes: ut docet exemplũ Abigajilis 1. Sam. 25. v. 36, 37. Tum si amicorum est, mutuò monere: tum & conjugum inter quos arctissima est aut certè esse debet amicitia.

11. Cæterùm ex eo quòd uxor marito suo subjecta esse debet, colligimus, quòd cõjuges esse debent ejusdem religionis orthodoxæ à Deo in sacris literis præscriptæ 1. Petr. 3. 7. ac proinde uxor quę alterius religionis est quàm verè orthodoxæ, non est ducenda.

12. Colligimus inde, quòd mulier in publicis conventibus Ecclesiasticis docẽdi munus sibi sumere non debet. Hoc infert Apostolus cùm ait 1. Cor. 14. 34. *Mulieres vestræ in conventibus sileant. nec enim permissum est eis ut loquãtur, sed oportet ut subditæ sint.* q. d. Uxores maritis subditę esse debent: Ergo non debent in conventib. docere. Nam docere alios est superioritatis cujusdam argumentum. Ac proinde etiam mulieribus nõ est concessum baptizare:

13. Colligimus inde, quòd virum pro capite suo agnoscere debet, & eum non contemnere, multò minùs imperiũ sibi in eum sumere. Peccavit enim Michol filia Saulis, uxor Davidis hac in re, 2. Sam. 6. v. 16, 20.

14. Colligimus inde quòd gloria viri est, 1.

Cor. 11.7. Prov. 12.3. qa suæ subjectionis professione & declaratione virū reddit augustiorem, sicut in viri dominio gloria DEI elucet.

15. Colligimus inde quòd marito debet esse in rebus adversis solatio, & nequaquam afflicto addere afflictionem, Job. 2. v. 9. nō rixosa & jurgiis molesta Prov. 19. 13. & 21. v. 9, 19. & 25. 24. & cap. 27. 15, 16.

16. Colligimus inde quòd se à viro separare non debet, 1. Cor. 7. v. 10.

17. SECUNDO, uxor subjicere se debet *marito proprio*.

18. Colligimus inde quòd uxor unica plures viros bonis legibus nullis habere potest.

19. Item quòd graviter peccat, alterius viri quàm proprii consortium vel appetens vel admittens.

20. Item quòd proprium maritū tanquam ducem ipsi à Deo præpositum derelinquere & fœderis Dei sui oblivisci nō debet, Prov. 2. v. 17. 1. Cor. 7. v. 10.

21. Item quòd uxor alterius nō admittenda ad consuetudinem illicitā, etiamsi illa blandis verbis sollicitaret, Prov. 5. & 7. Imò ne quidem concupiscenda, Exod. 20. 17.

22. TERTIO, causæ officii hujus hoc loco adferūtur tres. *Prima* est, quia uxorem ad subjectionem hortatur Apostolus.

23. *Secunda* est à proprietatis jure, quia nihil est tam propriū uxori, quàm maritus suus: quocirca ejus gratiâ libenter omnia subire debet & præstare.

24. *Ter-*

24. *Tertia* causa est, quia sic decet in Domino, qui hanc εὐταξιαν instituit sibi probatam. Ita subjectionem mulierum confirmat Apostolus autoritate Dei, ut illæ cogitent, se non hominibus obsequiũ prestare, sed Deo, quum propter Deum maritis suis obediunt: ac proinde cavendum, ne dum maritis rebelles sunt, Deo ipsi hujus subjectionis autori resistant.

25. Plures causæ alibi recitantur, nimirum quia mulier post virum demum à Deo creata est, 1. Tim. 2. 13.

26. Item quia mulier est ex viro, non vir ex muliere. 1. Cor. 11. 8.

27. Adhæc quia mulier est creata propter virum, nõ vir propter mulierem, 1. Cor. 11. 9.

28. Præterea quia mulieris caput vir est, Ephes. 5. 23.

29. Insuper quia mulier primùm seducta, causa transgressionis marito fuit, Gen. 3. v. 16. 1. Tim. 2. v. 14. Sic quæ prima in defectione à Deo fuit, est postrema in honore.

30. Tum quia mulier imitari in subjectione Ecclesiam Dei debet quæ sese Christo subjicit, Ephes. 5. 23.

31. His accedit quòd & Sara subjecta fuit Abrahamo, quam imitari uxores debent factę filiæ Saræ, 1. Petr. 3. v. 6.

32. Pertinet eódem finis, ut mulier promtitudine subjectionis suæ maritũ si à vera religione alienꝰ sit, Christo lucrifaciat. 1. Pet. 3. 1, 2.

33. Colligimus inde, ex ordinatione Dei

proficiſci, ut maritus præſit uxori, uxor verò ſummiſsè agnoſcat & ꝓſtet marito obſequiũ.

34. Deinde omniũ efficaciſſimũ argumentum ad perſuadendã ſubjectionẽ & obedientiam erga ſuperiores, eſſe voluntatẽ Dei, ſumma eſt juſtitiæ regula, quam ſequi oportet.

35. Inſuper illos Deo ſe ſubjicere eumque colere, qui propter mandatum Dei ſuperioribus ſe ſubjiciunt, & ab eodem mercedem conſecuturos. Pſal. 19. 12.

36. Adhæc qui Dei mandato moti obſequium ſuperioribus exhibent, eos quicquid agant, ſincero & ſimplici corde agere.

Sic fuit de officio uxoris.

37. *Mariti officium* erga uxorem duplex proponitur hoc loco: Primum eſt, ut maritus diligat uxorem. Sic enim præcipit Apoſtolus, οἱ ἄνδρες, ἀγαπᾶτε τὰς γυναῖκας.

38. ἀγάπη eſt ab ἄγαν & πάω, quod eſt valde acquieſcere, nimirũ in re amata; ſic ut ἀγάπη ſignificet vehementem affectum, ardentemq; amorem, quo quis alicui ſeſe intimè adjungit & in eo totus acquieſcit ſeſeq; oblectat, eique bonum vult & præſtat.

39. Nam in vero amore hæc concurrunt: *Affectus*, quo animus ad rem amabilem inclinatur: *deſiderium*, quo impellitur ut ei uniatur: *gaudium*, quo in ea jam acquiſita ſibique unita conquieſcit, eaq; eſt cõtentus: & *voluntas*, quâ ei bonum vult & præſtat.

40. ἀγάπη igitur, quæ Latinè eſt amor ſeu dilectio

dilectio (quanquã Latinis plus est amare, q̃ diligere; sed discrimen hoc nõ semper observatur) si in hominibus consideretur, est affectus animi, quo is erga aliquem inclinatus, totus in unitionem cum eo fertur, sic ut in eo suaviter conquiescens, ei bonũ velit & facto ipso præstet. Transformat enim amantẽ in personam amatam & illius animũ cum hujus animo ita conjungit, ut ibi verè dicatur esse animus amantis, ubi est ejus amor, sicut dicitur; *Animus non est ubi animat, sed ubi amat.*

41. Unde & συμπάθεια oritur, quâ nõ minùs amans sentit dolores & incõmoda amati, q̃ amatus ipse: & contrà, nõ minùs ille capit voluptatem & lætitiam ex cõmodis atq; felicitate hujus, quàm is ipse cui hæc contingunt.

42. Quum ergo Paulus p̃cipit, ut maritus uxorem suam diligat, hoc vult, ut secundùm Deum, qui est diligẽdus supra omnia ex toto corde, & ex toto animo & ex omnib⁹ viribus, amore casto atq; sancto prosequatur uxorem suã propriam, cõstanter gerẽs erga ipsam animum optimè affectũ inclinatumq;, qui cum illius animo ita se devinciat, ut fiãt ambo anima una & caro una, unde maritus in sola uxore propria acquiescat, eiq; cõstanter & sincerè bonum velit & reipsa præstet, atq; συμπάθειαν minimè simulatam rerũ tum adversarum tum prosperarum habeat cum illa, dolens cum dolente & gaudens cum gaudente, idque in Domino. Ephes. 5. 28, 33.

Argumenta cur maritus uxorē ſuam amore proſequi debeat, hoc loco exſtāt duo; *Primum* eſt, quia ſi marito uxor ſubjecta eſſe debet, poſtulat æquitas, ut ipſe viciſſim eam diligat. *Secundum* eſt, quia id præcipit Spiritus ſanctus p Apoſtolum Paulum, cui obtemperandum.

44. Alibi argumenta plura exponuntur, nimirum exemplum Chriſti, quia ſicut ſe Chriſtus geſſit erga Eccleſiam, ita & maritus ſe gerere debet erga uxorem ſuam. At Chriſtus Eccleſiam dilexit: Ergo & maritus uxorem ſuam diligat. Hoc argumentum Epheſ. 5. 25, 26, 27, ꝓponitur his verbis; *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiā, & ſemetipſum expoſuit pro ea, ut eam ſanctificaret, ab eo mundatā lavacro aquæ per verbū; ut ſiſteret eam ſibi glorioſam, Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejuſmodi, ſed ut ſit ſancta & inculpata.*

45. Item quia uxor marito arctiſſima unione conjuncta eſt, ſic ut ipſa ſit corpus ejus & caro ejus. Carnem ſuā maritus diligere debet: At uxor eſt caro mariti: Ergo uxorem ſuam maritus diligere debet. Hoc argumento utitur Paulus Epheſ. 5. 28, 29.

46. Item quia mariti eſt propria, hoc eſt, bonum proprium, Epheſ. 5. 28. 1. Cor. 7. 4.

47. Item quia unà hæres eſt gratiæ vitæ. 1. Petri 3. 7.

48. Item quia ſic fecerunt viri ſancti, ut Iſaacus Geneſ. 24. v. 67.

49. Conſectaria. *Primum*; Si maritus uxorē ſuam

suam diligere debet, sequitur caput matrimonii esse amicitiam, quâ inter homines non debet aut potest esse major. Huc pertinet quod legitur Gen. 2. v. 24. *Idcirco relinquet vir patrem suum & matrem suã, & adhærebit uxori suæ, eruntq; in carnem unam.*

50. *Secundum*; Polygamia est illicita, quum summam charitatem quæ inter conjuges esse debet, impediat.

51. *Tertium*; Si maritus uxorẽ suam diligere debet, enitendũ ipsi ut se eripiat à muliere extranea, quę dictis suis blanditur, q̃ derelinquit ducẽ adolescentiæ suæ & fœderis Dei sui obliviscitur. Prov. 2. v. 16, 17. 1. Cor. 7. 2. Huc pertinet hortatio Proverb. 5. v. 15, 16. *Bibe aquam è cisterna tua, & fluenta è medio putei tui*, id est, suscipe prolem de uxore tua, quã tibi conjunxit Dominus, ut aliam nõ cupias, neq; tangas; suscipe liberos è legitima tua cõjuge puro amoris affectu, quemadmodũ è cisterna & puteo sincera atq; clara aqua hauritur; sicut è cõtrario clandestinus coitus & scortationes appellantur aquæ furtivę seu furto sublatæ, Proverb. 9. v. 17. *Spargant se fontes tui forâs, in plateis rivi aquarum*, hoc est, filios & filias tuas forâs eloca, matrimonio junge, crescas & multipliceris ut pii nepotes generentur, ut succedat digna posteritas nepotũ fidelium. *Lætare de uxore adolescentiæ tuæ*, & cætera usque ad finem capitis. Item Proverb. 6. v. 24. & sequentibus.

52. *Quartum*; Si maritus uxorem suam dili-

gere debet, tueri igitur illã & curam illius gerere tenetur in rebus tum hujus tum alterius vitæ. Sic Abimelech rex Gerari dixit Saræ de Abrahamo Gen. 20.16. *Is tibi est operimentũ oculorũ apud omnes qui tecũ futuri sunt*, id est, is protectionis officiũ tibi præstabit, ubicunq; fueris. Similiter Ruth ad Bohazum dicebat; *Sum ancilla tua, ut expandas alam tuam super ancillam tuam*, Ruth. 3.9. id est, ut me ducés in uxorem, protectionẽ mei suscipias. Sic David prospexit in columitati Bathsebę uxoris suæ metuẽtis sibi ab Adonija patrii regni invasore, 1. Reg. vers. 28. & sequentibus.

53. *Quintum*; Si mariti officiũ est uxorẽ diligere, simul igitur cum illa habitet, secundùm Dei notitiam, vasi muliebri ut infirmiori honorem tribuens, 1. Petri 3.7. 1. Cor. 7.5 nec divortium ab ea faciat, aut expetat extra rationem adulterii & desertionis pertinacis, Matt. 5.32. & cap. 19.9. 1. Cor. 7. v. 15.

54. *Sextum*; Si mariti officium est vxorẽ diligere, nõ debet igitur lenonẽ uxoris suæ agere, eamq; aliis prostituere, Prov. 5. v. 17. *Fontes tui sint tibi soli ac non extraneis tecum.*

Hucusque de primo mariti officio.

55. ALTERUM mariti officium hoc loco ponitur, *ne sit adversus uxorem amarulentus.*

56. Sententia est; ne maritus abutatur dominatu & imperio in uxorẽ, sed abstineat ab amarulentia, sævitia, crudelitate; & cum lenitate errata infirmioris sexus emendet. Idẽ postulavit

stulavit Laban à Jacobo, Gen. 31. v. 50.

57. QUAESTIO hîc movetur, *An mariti potestas in uxorẽ sit herilis, id est, qualis olim erat herorum in servos, sic ut in illã delinquentẽ sævire possit?* RESP. Nequaquam 1. quia maritus & uxor sunt una caro: in carnem autẽ suam sævire est jure naturę & divino vetitum. 2. quia nimium uxorem contemnit, qui in eam sævit.

58. Consectaria. Ergo maritus uxorẽ morigeram nequaquã indignis modis tractet, ut Caligula, qui uxorem suam calce occidit.

59. Et ab officio aberrantẽ reprehendens, severitatem charitate & pia institutione temperet, exemplo Jobi cap. 2. vers. 10.

60. Ad hæc erroribus ejus ex infirmitate commissis ignoscat.

61. Nec ei imputet, quòd ipsâ invitâ & reluctari atque impedire non valente accidit; sicut David non succensuit nec imputavit Michali, quòd alii viro à Saule tradita fuit. 2. Samuel. 3. v. 13. & sequent.

Hactenus de officio conjugum: sequitur de officio liberorum & parentum.

62. De liberorũ officio sic Apostolus præcipit: *Liberi auscultate parentibus in omnibus: hoc enim placet Domino.*

63. Tria hîc perpendenda: *Unum* quid per liberos intelligatur: *alterum*, quod sit officium illorum: *Tertium*, quæ illius officii caussæ.

64. *Liberi* nõ tantùm filii sunt, sed etiam filiæ; sic ut hortatio ista ad utrumq; sexum per-

tineat: nam in Græco est, τὰ τέκνα, quo nomine omnes intelligũtur quos parentes genuerunt sive immediatè ut sunt filii proprii & filię propriæ strictè loquendo, sive mediatè, ut nepotes & neptes, pronepotes & proneptes & posteri quicunq;, etiá fratrum & sororũ liberi & posteri, in summa quivis agnati & cognati ætate inferiores & consilio atq; gubernatione parentum aut propinquorũ aliorum egentes.

65. οἰκιακῶς autem intelliguntur etiam privigni & privignæ, generi & nurus, pupilli, discipuli, subditi.

66. Officium eorũ sic describitur, ut *primùm* quód nam ipsum sit indicetur, *deinde* modus ejus determinetur, ut sciatur quibus in rebus præstari debeat.

67. Officium ergo liberorum est, *auscultare parentibus*, id est, obedientiam illis præstare.

68. Obedientia illa, est promtũ studium exsequendi mandatum parentum.

69. Per synecdochen autem partis pro toto, intelligitur per auscultationem seu obedientiam totus honor quem liberi parẽtibus debent ex præcepto Decalogi, *Honora patrem tuum & matrem tuam*: Sic ut complectatur etiá amorem, reverentiam, gratitudinẽ & ἐπιείκειαν erga parentes, 1. Tim. 5. v. 4. & 8. Gen. 47.

70. Obedientiæ modus hic est, q. illa præstari debeat *in omnibus*, nimirum quæ non pugnant cum voluntate cęlestis Patris: cũ hac enim exceptione & limitatione omnẽ humanam

nam obedientiâ quibuſcunq; hominibus exhibendam neceſſe eſt intelligi. Indignũ enim & injuſtum foret, obſequi terrenis parentibus in iis quæ cæleſtis Pater vetat, quem toti mundo atq; etiam ſibi ipſis liberi præferre debent. Imò ſi parentes terreni ad Legis divinæ tranſgreſsionem inſtigât, meritò tum nõ parentes nobis habẽdi ſunt, ſed extranei, quũ nos à veri Patris obedientia ſubducere conentur. Atq; tum valere debet illud Chriſti Matt. 5.29, 30. *Si oculus dexter tuus facit ut tu offendas, erue eum, & abjice abs te*, &c. *Et ſi dextera tua manus facit ut tu offendas, exſcinde eam & abjice abs te*, &c. Item illud Apoſtolorum Actor. 5.29. *Obedire oportet Deo potiùs quàm hominibus.*

71. Unde etiam potiùs eſt miniſtris verbi Dei vel aliis hominibus recta ac pia monentibus parendum, quàm parentibus pugnantia cum verbo Dei ſuadentibus aut jubentibus.

72. Conſectaria. *Primum*, Si parentibus terrenis auſcultandum: multò magis Patri cæleſti, nempe Deo, obediẽdum. Nam ut eminentia parentum à Dei celſitudine pendet, ita illa in hanc nos deducere debet; & honor qui parentib. exhibetur, gradus eſt ad honorandum ſummum illum Patrem.

73. *Secundum*; Si liberi auſcultare debent parentibus in omnibus, ſequitur obedientiâ illorum perfectã eſſe debere, ſive *partes* ejus ſpectes, ſive *gradus*. *Perfectio partium obedientiæ liberorum*, eſt ut omnib. juſſis parentum morẽ ge-

rant, sive in iis reb. quas Deus expresè mãdat, sive in mediis & indifferentib. quas nõ præcepit Deus expresè, etiamsi fortè graves ac molestæ fuerint, dum modò ad superstitionẽ non pertineãt aut scãdalum pariant: Quemadmodum & jussa illa parentum detrectanda, quæ Deus prohibet. Perfectio *graduum obedientiæ liberorũ*, est ut omnia atq; singula jussa parentũ, non pugnantia cum voluntate Dei, faciãt sincerè & sine hypocrisi, ultrò & nõ coactè, libenter & sine contradictione, diligenter & sine oscitantia atq; omissione rei alicujus, constanter & sine desertione cœpti officii, etiamsi periculum ingens atq; adeò mortẽ ipsam adire oporteret, maximè si parentes hortentur ad constantem divinę veritatis professionem, ut fecerunt septem fratres hortatu matris suæ, 2. Machab. 7. & Machabęi hortatu patris sui Matthithiæ, 1. Machab. 2. 50. & 3. 2.

74. *Tertium*; Si liberi auscultare debent parentib. in omnibus: graviter igitur peccãt qui immorigeri sunt iis quæ facere ex officio tenentur, qui parentib. maledicunt, qui eos pulsant, multò magis qui eos trucidant.

75. *Quartum*; Si liberi auscultare debent parentibus, tum etiã subditi magistratibus, discipuli prœceptoribus, auditores Verbi Dei pastoribus, pupilli tutorib9, &c. Idq; *in omnibus*, nempe à Deo non prohibitis. Nam quicquid Deus prohibet, id præcipere nulli hominum licet, & si præcipiant, non est faciendum, exemplo

emplo parentum Mosis, qui non occiderũt filium, sed occultarunt, & non metuerunt edictum Regis, idq; fecerũt per fidem, Heb.11.23. exẽplo item Apostolorũ, Act.4.v.19. & 5.29,42.

76. *Quintum*; Si liberi honorare parentes debent in omnibus, tum si parentes alimentis egeant, ea illis præstare tenentur, etiamsi parentes suâ culpâ egeni evaserint, vel alioquin malè de liberis sint meriti: nam liberis non spectandum quid meruerint parẽtes, sed quid ipsis liberis Deus injũxerit. Imò quod ad sustentationẽ attinet, plus liberi obstricti sunt parentibus, quàm aliis, quantumvis ministris verbi Dei. Qua in re illi liberi peccabãt, qui malè à Scribis, Sacerdotibus & Pharisæis edocti, offerendo bona sua templo, parẽtes pauperes justis alimentis fraudabant, Matth.15.3,4,5.

77. *Sextum*; Si liberi parentibus, subditi magistratib. &c. in crimine parêre non debent: tũ parentes liberis, & magistratus subditis crimẽ aut peccatum præcipere non debent. Proinde Lothus minimè excusandus qui duas filias suas impiis Sodomitis constuprandas pollicebatur, Gen.19.8. qua in re filiæ patri suo obedire etiam non tenebantur; simile exemplum est senis illius Gibeonitæ, qui filiã Gibeonitis constuprãdam pollicebatur, Jud.19.v.24. Nebucadnetzar magnus rex Babylonię atq; Darius Medus graviter peccarunt impia edicta promulgantes, quib. quòd non paruerũt Daniel & socii ejus, rectè fecerunt. Dan.3. & 6. Fe-

lix regimẽ sive Oeconomicũ sive Politicũ esse neqt, nisi justa p̃cipiantur & justè p̃cepta fiãt.

78. Causæ propter quas liberi auscultare parentib. promtè debẽt, tres hoc loco ponũtur: *Prima* est, quia sunt τέκνα, sunt p̃genies, id est, geniti à parentibus in hanc lucem. Quò pertinet illud Prov. 23. 22. *Auscultà Patri tuo qui genuit te; neq; contemnas, quum senuerit, matrem tuã.* Ipsa etiam natura nos instituit ad reverentiam illorum, qui nos in hanc vitam sustulerunt. Certè si quis in animo suo cogitat & perpẽdit, quòd per parẽtes suos hanc suavissimam lucem adspicit, nil non illorum gratiâ faciet & patietur, ut gratum se erga illos declaret.

79. Unde Gentiles etiam ipsi colligebant, non facilè credendum, à filio patrem interfectum. *In quo scelere* (ut verbis utar Ciceronis ex Oratione pro Sexto Roscio Amerino) *etiam cùm multæ causæ cõvenisse unum in locũ atq; inter se congruere videntur: tamen non temere creditur, neq; levi cõjectura res pẽditur, neq; testis incertus auditur, neq; accusatoris ingenio res judicatur. Cùm multa antea cõmissa maleficia, tũ verba hominis perditissima, tum singularis audacia ostẽdatur necesse est, neq; audacia solùm, sed summus furor atq; amẽtia. Hæc cùm sunt omnia, tamẽ exstent oportet expressa sceleris vestigia, ubi, quâ ratione, per quos, quo tẽpore maleficiũ sit admissũ. quæ nisi multa, & manifesta sunt, profectò res tã scelesta, tã atrox, tã nefaria credi nõ potest. Magna est enim vis humanitatis: multũ valet cõmunio sanguinis: reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura:*

natura: portentum atq; monstrum certissimũ est, esse aliquẽ humanâ specie & figurâ, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut propter quos hanc suavissimam lucem adspexerit, eos indignissimè luce privârit: cùm etiam feras inter sese partus atq; educatio, & natura ipsa conciliet. Magnam vim, magnã necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusq; sanguis, ex quo si qua macula cõcepta est, non modò elui non potest, verùm usq; permanet ad animum, ut summus furor atq; amentia consequatur.

80. Hinc adversus cunctos parentibus maledicentes vel immorigeros pœnam mortis Deus edicit, ut beneficio lucis indignos, qui non recognoscũt, quorum operâ in eam pervenerint, Exod. 21. v. 15, 17. Levit. 20. 9. Deut. 21. v. 18. & sequentibus.

81. *Secunda* causa est, quia liberos ad auscultandum parentibus Spiritus sanctus per Apostolum hortatur.

82. *Tertia* causa est, quia *hoc est* εὐάρεστον, id est *pergratum & valde acceptum Domino*, quia videlicet est justum, Eph. 6. 1. & 1. Tim. 5. 4. *Quod* inde planum fit, tum quia ab ipso mandatum Legibus duarum tabularum & quidem præcepto quod primũ est post leges de cultu Dei immediatè latas, tum quia speciali quadã promissione præmium obedientiæ liberorũ constitutum. Exod. 20. 12. Deut. 5. v. 22. Eph. 6. 2, 3. Præceptum obedientiæ liberorum erga parentes passim repetitur, veluti Prover. 6. v. 20, 21, 22. Matth. 15. 4. Mar. 7. v. 10.

83. E contrario impietas liberorum in parentes est Deo odiosissima atq; ingratissima: quia eam gravissimè prohibet, & in eam pœnam capitis statuit & maledictionē effundit. Exod. 20. 15. *Qui percutit Patrem suum aut matrē suam, omnino morte plectitor.* Deut. 27. 16. *Maledictus qui vilipendit patrem suum aut matrem suam: & dicet totus populus, Amen.* Prov. 20. v. 20. *Maledicētis patri suo aut matri suæ, exstinguetur lucerna in nigris tenebris.* & cap. 30. 17. *Oculum qui subsannat patrem aut spernit obedientiam matris, hunc effodiēt corvi vallis, aut comedent eum juvenes aquilæ.*

84. Aliæ præterea causæ sunt cur liberi parentibus auscultare in omnibus debent, nimirum quia obedientia liberorum præmiū longævæ vitæ à Deo consequitur.

85. Item quia parentibus par gratia non potest referri.

86. Item quia obedientia liberorum est argumētum sapientiæ quâ Deus ipsos donavit, Proverb. 11. v. 1.

Tantum de officio liberorum.

87. De Parentum officio sic Apostolus loquitur: *Patres, ne irritate liberos vestros, ne despondeant animum.*

88. Tria itidem hîc consideranda: *unum* ad quos interdictum hoc pertineat: *alterum* quid ipsis prohibeatur: *tertium* quibus argumentis.

89. Interdictum hoc speciatim dirigitur ad patres, quia hi sunt ferè severiores & acerbiores in suos liberos: sicut è diverso matres, quia amor

amor earum tenerior est, in contrariâ partem plerunq; peccant, liberis nimiùm indulgendo & indulgentiâ malitiam eorum fovendo atq; augendo.

90. Sed tamen etiá ad matres pertinet; quia experiêtia testatur, illas quoq; interdum σπλάγχνα materne immemores esse, eâq; veluti exsuere.

91. Tum etiam ad vitricos, ad novercas, ad alios propinquos ętate superiores, ad tutores, & alios qui parentum loco sunt, referendum.

92. Quin etiam ἀναλόγως ad Reges, Principes, Magistratus se extendit. Ut enim parentibus interdicitur, ne irritêt liberos, ut ne despondeât animum: ita Regibus, Principibus, Magistratibus interdicitur, ne irritent subditos, ut ne despõdeant animum. Quia quod illi sunt in Oeconomia: hoc isti in Republica.

93. Porrò prohibentur ἐρεθίζειν τὰ τέκνα, irritare liberos, id est, παροργίζειν, provocare ad irâ, Eph. 6. 4. quod faciunt parentes, si impiũ quid pertinaciter imperêt, si duriores sint & excedant modum in ira adversus liberos, si acerbis injuriis & contumeliis indignis eos afficiant, si conviciis lacessant, si severiùs quàm par est verberent, si plures liberos habentes non omnes æquè diligant, sed unum ex iis præ cęteris se amplecti evidentib. signis ostendant, si commoda illorum, studio & absq; justa causa impediât, si ipsis alimẽta atq; subsidia, quæ communicare poterant, duriter denegent: tum enim ad iram provocant liberos, qui & ipsi ho-

mines sunt geniti ad imaginem parentum suorum, secundùm omnes affectus; ac inprimis juvenes affectibus indulgent iræ, odii & invidiæ, quæ affectiones à prudente patre potiùs sunt cohibendæ, quàm irritandæ. Exemplum est 1. Sam. 20. v. 30. & seqq. Saul propter Davidem insanâ irâ excanduit in filium Jonathanem, eumq; ignominiâ intolerabili coram omnibus mensę assidentibus & ministrantibus affecit, ei quod impium erat factu, nimirum ut Davidem captum ad se adduceret interimendum, improbè imperavit, & hastam in eum excusantem Davidem jaculatus est: ita Jonathanem irritavit & ad iram provocavit, sic ut is irâ accensus à mensa surgeret & à cibo die illo abstineret. Laban Syrus injuriâ affecit Jacobum quem furti accusabat: quapropter accensa est ira Jacobi, adeò ut jurgaretur cum Labane, Gen. 31. v. 36 Jacobus patriarcha diligebat Josephum præ omnibus filiis suis, feceratque ei tunicam versicolorem: propterea iram & odium filii ejus cęteri in Josephũ conceperunt, adeò ut non possent eum placidè alloqui. Gen. 37. 3, 4

94. QUAESTIO hîc incidit: *Quum patrib. prohibitum sit liberos irritare, an liberis quidvis impunè indulgendum?*

RESP. Minimè: nam Deus præcepit parentibus ut liberos delinquentes castigent, Prov. 13. v. 24. & 19. 18, 19. & 22. 6, 15. & 23. 13, 14. & 29. 15, 17. Sed id faciendum cum moderamine inculpatæ di-

tæ disciplinæ & cũ suavi temperamento charitatis: ne disciplina degeneret in tyrannidem seu carnificinam.

95. Consectaria interdicti Apostolici. *Primum*; Parentes peccant graviter vel immodica asperitate in liberos, vel nimiâ indulgentiâ: Asperitate quidẽ, quia sic post lapsum primorum parentum nostrorũ corrupta est natura, ut στοργή, id est, naturalis amor cognati sanguinis nõ rarò in odium & lenitas in sævitiâ vertatur: Indulgẽtiâ verò, quia sæpè naturâ propensiores sunt parentes in liberos, ut quidvis illis permittant & licentiam peccandi liberaliter concedant, quin etiam liberis peccantib. arrideant & gratulentur.

96. *Secundum*; Parentum est sic educare liberos suos ut benigni sint in illos, ut debitam severitatem verâ benevolentiâ temperent: ita ut in objurgatione & castigatione liberorum amoris documenta eluceant, ne illi disciplinâ à malevolentia profectam meritò existimare possint, & jugum omne excutere conentur.

97. *Tertium*, Si parentum officium est, ne irritent liberos suos, sequitur non tantùm in castigationib. modum servandum, verùm etiã æqualiter liberos omnes diligendos, & si in unum ex liberis ob certas honestasq; causas amor ipsorum magis propendeat, id non facilè prodẽdum, sed prudenter dissimulandum, & celandum, ne causam irascendi cæteris liberis præbeãt, & ne gratia atq; imprudentia pater-

na eos dividat, quos natura & sanguinis propinquitas conjunxit.

98. *Quartum*, Si parentum officium est, ne irritent liberos suos, tum caveant ne commodis illorũ absq; justis causis obstent, studiosè vel differendo ultra justum tempus vel impediendo illorũ conjugium, maximè honestũ & fructuosum. Quapropter in tali casu non est q; parentes accusent liberos suos conjugiũ cõ trahentes citra illorum voluntatẽ: imò tenentur illis dotem dare, ut etiam habetur in C. de inoffic. testam. l. si post vigintiquinq; annos.

99. CAUSAE cur nulli parẽtes liberos suos irritare debeant, ponũtur quatuor: *Prima* est, quia sunt patres, sunt parentes ipsorum. Nomen *patris* ut & matris est amabile: & naturâ maximè amabilis est ac minimè invidiosa patris sicut & matris superioritas, quam non decet exosam atq; intolerabilem reddere. Hinc Deus ipse curam suam & charitatem erga nos imagine maternę στοργῆς declarat Jesa. 66. 13. *Ut quiſpiam quem mater ſua conſolatur, ſic ego conſolaturus ſum vos, & Jeroſolymis conſolatione perfundemini.* Magna oportet liberorũ peccata esse, ut naturam ipsam patris vel matris vincát, ut amorem illum penitus insitum ejiciant ex animo, ut deniq; patrem vel matrem esse sese obliviscatur. Sentiant & experiantur liberi, te patrem esse & non tyrannum, non carnificem; te matrem esse & non Athaliam, non Medeam.

100. *Secunda*, quia id facere prohibentur à Christó

Christo per Paulum Apostolum loquente & dicente: *Patres ne irritate liberos vestros.*

101. *Tertia*, quia illi quibuscum ipsis est negotium, sunt τέκνα, sunt progenies, sunt viscera ipsorum. Jam natura hoc ipsa animalia bruta docuit, ut partus suos diligãt, nutriant, foveant, tueantur. Pater igitur cui natura dedit, ut humanitate utatur, amens fuerit, si odio prosequeretur eum sine causa, quem procreavit. Contra naturam, contra consuetudinem hominum, contraque judicia omnium rectè sentientium facit, qui in eos quos genuit, animum patrium non gerit: idem de matre statuendum, si animum maternum non gerat in liberos quos sub corde suo portavit, quos in lucem hanc peperit. Unde studium suum erga Ecclesiam fidelium declarat Deus comparatione amoris materni Jesa. 49. 14, 15, 16. *Quòd si dicat Tzijon, dereliquit me Jehova, & Dominus oblitus est mei: An oblivisci potest mulier fœtus sui, ut non misereatur filii uteri sui? etiamsi hæ oblivisci possint, tamen ego non oblivisear tui. En in manibus sculpsi te: muri tui è regione mei sunt jugiter.*

102. *Quarta*, ne liberi animum desponeant, hoc est, ne parentes sint causa malorum & detrimentorum liberis suis, qui provocati ad iram à parentibus & exacerbati, solent supra modum dolere, quasi nullo sint apud parentes loco, quasi nullo in amore sint parentibus, sic ut nonnunquam ad desperationem

adigantur. Quò enim nobis propiùs sanguine est conjunctus qui nos injuriâ afficit, eò gravius id ferre solemus. Liberis autem quis est propiùs sanguine junctus, quàm parentes? Tum, si parentes, qui tanquam asylum quoddam & perfugium liberorũ, quò se recipiant illi quoties ab aliis injuriâ afficiuntur, nimiâ asperitate, aliisve modis eos sic perturbant ut animum abjiciant; an non eos quantum in ipsis est perdunt? Atqui parentum officium est conservare liberos, & non perdere.

Has causas, easq; gravissimas subministrat hoc loco Apostolus, cur parentes teneantur sic tractare liberos suos ne eos irritent.

Sic etiam explicata sunt officia liberorum & parentum.

DEO ILLI TRINUNO, PATRI, FILIO ET SPIRITUI SANCTO SIT GLORIA IN OMNE AEVUM. AMEN.

THE-

THESIVM ANALYTICARUM

Quibus Epistola Pauli Apostoli ad Colossenses explicatur

ab

AMANDO POLANO
A' POLANSDORF

propositarum

PARS DECIMATERTIA

DE QUA

Die 27. Novembris, præside & benedicente CHRISTO DOMINO, *Opponentibus respondit*

NICOLAUS GIRARDUS
LAUSANENSIS.

Anno M D CVI.

THESIS I.

EXpeditis officiis uxoris & mariti, item liberorum & parentum: sequũtur officia servorum & dominorũ, ad quæ hortationes exstant sub finem capitis tertii & initium quarti.

2. Hortatio ad servos pertinens hæc est:

Servi, auscultate per omnia dominis secundùm carnem, non obsequiis ad oculum exhibitis, ut qui hominibus placere studẽt, sed cũ simplicitate cordis, timentes Deum.

Et quicquid feceritis, ex animo præstate, tanquam Domino & non hominibus:

Scientes vos à Domino recepturos mercedem hæreditatis: nam Domino Christo servitis.

Qui verò injuriam intulerit, referet injuriam quam intulerit: nec est personarum acceptio.

3. In hac hortatione Apostolica sunt expẽdenda ista sex capita: *primum*, quid Apostolus per servos intelligat: *secundum*, quódnam sit illorum officium: *tertium*, quibus in rebꝰ id exhibere debeant: *quartum*, quibus hominibus: *quintum*, quæ officii illius sint adjuncta: *sextum*, quas ob causas faciendum.

4. Quod ad primum attinet, per SERVOS hîc intelliguntur, non qui naturâ servi sunt, quales

quales Aristoteles in Politicis affirmat esse eos, qui corporis viribus excellũt, ratione autem hebetes & tardi sunt, ex quo fit, ut magis idonei sint qui serviant, quàm qui imperent aliis & liberè vivant.

5. Neque etiam qui peccato sunt obnoxii, quemadmodũ prima servitus per peccatum in mundum ingressa est: de qualibus servis loquitur Christus Joh. 8. 34, 35.

6. Neq; etiam ii qui sunt servi Dei, aut servi Christi: nam quod ad hanc servitutem attinet, omnes fideles sunt æquales; quanquam Prophetę & Apostoli & alii ministri Verbi divini peculiari ratione servi Dei dicantur.

7. Sed intelliguntur ii qui jure gentium justam servitutem hominibus serviũt, dominio alieno cõtra naturam subjecti, sive bello capti sint & servati, unde servi dicti, ut olim apud Græcos & Romanos & alios populos, & hodie apud Turcas, Tartaros, &c. sive tales sint facti voluntario consensu vel aliorum, vel suo proprio, quales erant servi emtitii, quibus domini etiam ad sordidissimas operas abutebantur, in quos jus vitæ & necis habebant legib⁹ sibi permissum, quorum deniq; perpetua erat servitus, nisi singulari beneficio dominorum manumitterentur. ἀναλόγως autem eadem hortatio pertinet ad servos mercenarios, quales hodie sunt apud Christianos in usu, certa mercede servitutem pacisc entes.

8. Servorum nomine comprehenduntur

& ancillæ, quarum par est cum servis cõditio.

9. SECUNDO, officium servorũ est *auscultare dominis suis*, hoc est, suos dominos amore & honore dignos ducere & non despicere, 1. Tim. 6. 1, 2. Prov. 27. 18. eis se subjicere, Tit. 2. 9. 1. Pet 2. 18. pro illis Deũ orare, Gen. 24. 12. imperatos à domino labores sedulò perficere, Ephes. 6 5. esse fideles in negotiis & rebus cõmissis sibi à dominis, ut bona eorum & honorem cõservent, Tit. 2. 10. ut fecit servus Abrahami Gen. 24. & Josephus Potiphari in Ægypto serviens, Genes. 39. morum integritatem custodire, ne uxor, ne liberi, ne alii conservi corrumpantur exemplo, & mali reddantur, Gen. 39. 8, 9. Psalm 101. v. 4, 5, 6, 7.

TERTIO, tenẽtur servi auscultare *per omnia*, nimirum quæ honesta sunt & divinę voluntati nõ adversantur. Nam quę à Deo vetita sunt, si ab heris imperentur, à servis fieri minimè debent: & quæ à Deo præcepta sunt, si ab heris prohibeantur, à servis nequaquam sunt omittenda. Ubiq; enim valere debet illa Apostolica præscriptio: *Obedire oportet Deo potiùs quàm hominibus*. Actor. 5. 29.

11. QUARTO, auscultare debent servi *dominis suis*, hoc est, iis qui in ipsos jus, autoritatem & dominium habẽt, sive Christiani sint, sive infideles: tam his, quàm illis auscultare servos æquum est.

12. Solus quidem Deus simpliciter & absolutè est Dominus & solus hoc nomine proprii si-

prisimè dignus, quia absolutum, liberũ & æternum jus habet in omnia quę totius mundi hujus, tanquam amplisimæ domus, ambitu continentur: homines verò dicuntur domini κατ' ἀναλογίαν, quia similitudinem Dei gerunt in jure quod in familiam habent.

13. QUINTO, adjuncta officii servilis tria ab Apostolo commemorantur: *assiduitas, simplicitas cordis & promtitudo animi.*

14. *Assiduitas* pręcipitur, quũ jubentur servi auscultare dominis *non obsequiis ad oculum exhibitis, ut qui hominibus placere student*: hoc est, jubentur in laboribus officii sui obeundis esse assidui & strenui, sive adsint domini ipsorum, sive absint.

15. Commune enim ferè omnium servorũ vitium est desidia: prętentibus & intuentibus dominis omnes intendunt nervos ad opus faciendum, verùm simul atque oculos domini aliò flexerunt & terga verterunt, contemtu eorum nec sine ludibrio opus segniter & fastidiosè faciunt.

16. ὀφθαλμοδουλείαν Deus improbat, ideo illam vetat.

17. Qui ad oculum servit, in occulto vel aliud agit vel nihil: utrumq; autem malum.

18. Liber est, non servus, qui sponte officium facit, neque opus habet, ut adsit & eum urgeat dominus.

19. *Simplicitas cordis*, est sinceritas remota ab omni fallendi studio, cùm nimirũ servi sin-

cerè dominos diligunt, & cum vera benevolentia spectant tantùm dominorum suorum commoda. Qui simplici corde est, talis est foris, qualis & intus.

20. *Promtitudo* præcipitur, quum jubentur servi, quicquid fecerint, ex animo præstare, hoc est, non cum indignatione & fastidio, sed cum benevolentia: non cum servili necessitate, sed liberè & ex animi instituto.

21. SEXTO, causæ officii servorũ hoc loco plures ponuntur, quòd illorum cõditio ut est molesta & acerba, quum nemo libẽter alieno imperio se subjiciat, nisi quia necessitas superior eũ adstringat; ita difficilis est ad ferẽdum: quòdq; amor inter servum & dominũ, non est naturalis, sed cõsuetudinis & ab ipso imperio atq; factis; obedientia autem est intensior & amplior, quàm liberorum erga parentes.

22. *Prima* causa est, quia officium illud mandat Dominus, quum ita ait per Apostolum, *Servi, auscultate dominis vestris.* Itaq; illi qui serviunt, nõ tam homines respicere debẽt, quàm Deũ. Is enim est q̃ illis hoc onꝰ imposuit, quiq; illis mandat ut dominis auscultẽt, donec Deo visum fuerit, libertate corporali eos donare.

23. *Secunda*, quia officium illud non prejudicat quicquam libertati spirituali, non illam adimit, imò ne imminuit quidem: quia auscultant in statu suo servili *dominis secũdùm carnem*, qui in spiritum ipsorum nullum jus obtinent. q.d. Quod est vestri optimum & præstantissimum,

mum, liberum est: Servitus tantùm est carnis, ac proinde nō perpetua, sed ad breve tempus: dominium cui subestis est secundùm carnem seu carnale, ac proinde temporale & breve. Quicquid enim est carnale, est caducum & nō diuturnum.

24. *Tertia*, quia id requirit timor Dei. Qui enim Deum timet, officium sibi injunctum à Deo, studiosè & non invitus facit. Qui Deum timet, nihil mali facit, etiamsi nemo videat.

25. *Quarta*, quia officiū illud Domino potiùs exhibetur, quàm hominibus: quia Domino Christo serviunt. Deum enim & Servatorem nostrum Christum servi Christiani honorant, & doctrinam ejus ornāt, quum fideliter dominis suis serviunt, Tit. 2. 10.

26. *Quinta*, quia recepturi sunt à Domino mercedem hæreditatis, hoc est, quā obsequio & fidelitati ipsorum gratuitò rependet ut filiis & hæredibus: nam hæc hæreditas ex adoptione est.

27. Beatus Apostolus non facit servis promissionem compensationis in hoc seculo, sed in futuro. q.d. pro eo quod dominis rectè parueritis, tempus erit, quum ex servis filios vos factos reipsa cognoscetis, quum cælestis hæreditatis eritis participes.

28. Nec facit opera servorum causam salutis æternæ ipsorū; sed Dei adoptionem: ideo non ait simpliciter, eos reportaturos mercedem, sed addit *hæreditatis*, ut intelligant, bea-

titudinem sempiternâ non esse servorum stipendium, sed filiorum hæreditatem, nec contingere nisi ob adoptionem.

29. *Sexta*, quia qui injuriam intulerit, referet injuriam quâ intulerit, hoc est, luet pro illa pœnas, nimirum sive servus sit, sive dominus. Servus enim infert injuriam domino, fraudulenter opus sibi demandatum faciens aut intervertens aliquid quod heri est. Jam si iniquè egerit, non solùm hominem offendit, sed & Deum, quem in admissa adversus carnalem dominum fraude cõtemsit. Herus verò infert injuriam, si servũ fidelem injustâ sævitiâ premat, & indignis modis tractet, operasq; ejus non compenset benevolè.

30. Causa ista amplificatur addita hac ratione, *quia non est personarum acceptio coram Deo*, hoc est, ut servus qui bene agit, non erit apud Deum despectior eò quòd servus fuerit: ita si malè agat, non excusabit eum cõditionis servilis miseria. Servi igitur caveãt sibi ab injuria dominis inferenda, ne vindictam sibi divinam accersant: & ne ex impatientia inhumanæ tractationis, quam à dominis perferũt, indignationem animo concipiãt & ultionem ipsimet meditentur, sed Domino eam relinquant, ejusq; judicium cum tolerantia exspectent.

Sic explicata est hortationis istius sententia: sequitur usus.

31. Consectaria ex hac hortatione colligimus ista:

I. Occo-

I. Oeconomia semper est curę Deo, qui ejus est autor: ideo illi quoq; præcepta præscribit.

32. II. Non solùm mariti & uxoris, item parentum & liberorũ; verùm etiam servorum virtus confert ad Oeconomiæ cõstitutionem & ad administrationem.

33. III. Seruitus hominũ alia est *spiritualis*, alia *corporalis*. *Servitus spiritualis*, est quam homines spiritu suo serviunt. Eaq; vel *pia* est vel *impia*. *Illa*, est quæ soli vero Deo & Domino Jesu Christo præstatur: *hæc* verò, quæ vel *idolis*, vel *peccatis*. *Servitus corporalis*, est quę corpore & rebus corporeis præstatur civiliter dominis secundùm carnem.

34. IV. Servitus corporalis non impedit servitutem spiritualem quæ Deo & Servatori nostro Christo debetur. Nam Paulus servitutẽ civilem nõ vetat, nõ damnat: nec Euangelium tollit ordinẽ politicum. Etsi quis sit frater quò ad cõmunem fidem electorũ Dei, & eadem sit consecutus dona spiritualia, sit membrum in eodem corpore mystico, sit factus frater non solùm domini sui, sed etiam Filii Dei: tamen obedire tenetur domino suo secũdùm carnẽ.

45. V. Si servi Dominis carnalibus auscultare debent, multò magis nos Deo obtemperare oportet, qui omniũ est Dominus, quiq; tam animis quàm corporibus dominatur.

36. VI. Graviter peccant, quicunq; dominos suos calumniantur & traducũt, eorúmve bona ad se transferre satagunt, ut fecit Tziba

servus Mephiboscheti, 2. Sam. 16.

37. VII. Pios servos ab impiis discernunt affectus interni & effectus externi.

38. VIII. Felicior & longè tolerabilior est servorũ apud Christianos hodie status, quàm olim erat apud Gentiles. Ideo quò melior est eorum conditio, eò minus erunt excusabiles, si obsequium quod debent, non præstiterint bona fide.

39. IX. Unusquisq; hominum in officio suo ad quod divina ordinatione vocatus est, servꝰ est: quocirca in illo assiduitatẽ, simplicitatem cordis & promtitudinẽ probare debet. Quam ad rem moveat unumquemq; mandati divini consideratio, timor Dei & honor Servatoris nostri Dei: quum nõ hominum arbitrio, non casu fortuito, sed divinâ providẽtiâ unicuiq; munus quo fungitur impositum sit.

40. X. Consolationes adversus ingratitudinem mundi præclaræ sunt: *Prima*, quòd unusquisq; licèt ab hominibus aut nullam aut malam gratiá reportet pro officio bona fide præstito, à Domino recepturus sit mercedem hęreditatis. *Secunda*, quia servit nõ hominibus, sed Domino Christo qui primatum in dominio obtinet, qui primarius est Dominus. Christo impenduntur vocationis nostræ servitia, quæ perinde illi grata sunt, ac si illi prẽstita essent. *Tertia*, quòd nobis illatas injurias ulturus sit is apud quem nõ est personarum acceptio. Ferenda igitur est patienter hominum ingratitudo

titudo & injuriarum moles: & non deserenda in officio præstando fides & constantia.

41. XI. Judicium universale vivorum & mortuorum certò est futurũ, in quo pii à Domino mercedẽ hæreditatis & præmia immortalia accipient: impii autem & injusti, injuriarum quas aliis petulanter intulerunt, compensationem referent. Tum judicium illud Christus perficiet sine personarum respectu, sive liberi sint, sive servi: divites aut pauperes, &c.

Hactenus hortatio ad servos.

42. Hortatio pertinens ad dominos, exstat initio capitis quarti, & continetur his verbis: Οἱ κύριοι, τὸ δίκαιον καὶ τὴν ἰσότητα τοῖς δούλοις παρέχεσθε, εἰδότες ὅτι καὶ ὑμεῖς ἔχετε Κύριον ἐν οὐρανοῖς.

Domini, jus & æquum servis præstate, ut qui sciatis vos quoq; habere Dominum in cælis.

43. In ista hortatione tria sunt considerãda: *primum*, quid beatus Apostolus per dominos intelligat: *secundum*, quod sit illorum officium erga servos: *tertium*, quas ob causas id facere debeant.

44. Per *dominos* intelligit Paulus eos qui habent dominium, hoc est, jus in domum & autoritatem imperandi familiæ: & comprehendit simul dominas seu heras.

45. *Officium* dominorũ erga servos, est jus & æquũ servis præstare, hoc est, ut justos sese & æquos servis suis præbeant, ut faciant illis, q; sibi fieri vellẽt si servi essent: hæc mediocritas,

hæc mensura & regula est, potestatē dominorum gubernans, ne in excessu vel defectu peccent. Justos autem & æquos sese præbent servis, si *primò* moderatè utātur suo in servos imperio, nō gravando eos laboribus supra vires, & nō tractando eos crudeliter, sed ignoscēdo humaniter ipsorum erratis & lapsibus, Eph. 6. 9. Epist. ad Philemon. v. 12, 17, 18. *Deinde* si rectè servis prospiciant alimentis & vestimētis, & remunerentur beneficè labores eorum, ut ne compulsi necessitate furentur, Matth. 25. v. 19. & seqq. quatuor, Joh. 31. 13. Gen. 39. 4, 5.

46. *Causæ* cur heri erga servos ita sese exhibere debeant, quatuor hoc loco ponūtur: *prima* est, quia sunt *domini*, id est, in domum jus obtinētes ad eā non evertendam tyrānide, sed conservandā legitimo imperio & curâ debitâ.

47. *Secunda*, quia id ipsis præcipitur à Christo per Apostolum Paulum hoc loco & alibi.

48. *Tertia*, quia id requirit justitia & æquitas.

49. *Quarta*, quia ipsi quoq; domini habent Dominum in cælis. Quò pertinet illud Ecclesiastis 5. v. 8. *Si oppressionem pauperis, interversionemq; juris ac justitiæ videris in ipsa provincia; ne mireris de ista voluntate: nam altus superior alto observat, imò altissimus superior istis*, id est, Dominus qui est in cælis. Hoc quidem de subditis & Magistratibus dicitur: ἀναλόγως autem ad servos & dominos etiam pertinet.

50. Hanc causam amplificat à testimonio conscientiæ dominorū, quum ait, quòd ipsi sciant

ant ita se rem habere, se quoq; reddituros rationē corā Domino cælesti, qui injustè & iniquè facta, nullo habito servorū & dominorū discrimine, vindicabit. Cogitēt ergo, qualem erga se Dominum cæli esse velint, tales se erga servos esse debere.

51. Consectaria usum monstrantia hortationis istius.

I. Duplex est status servorum: *unus*, qui animum; *alter*, qui corpus spectat. *Status servorum quò ad animū*, spectat res spirituales ad Dei cognitionem salutarem & cultū pertinentes. Quò ad hunc statum, sciant domini, servos sibi æquales esse, id est, nec se, neq; uxore, neq; suis liberis & cognatis inferiores: siquidem *per unū Spiritū nos omnes in unū corpus baptizati sumꝰ & Judæi & Græci, & servi & liberi: & omnes potati sumus in unum Spiritum* 1. Cor. 12. v. 13. Quò pertinet etiam illud Gal. 3. 28. *Non est Judæus, neq; Græcus, non est servus neq; liber, non est masculus ac fœmina: Omnes enim vos unus estis in Christo Jesu.* Et quod hac ipsa Epistola ad Coloss. cap. 3. 11. legitur: *Ubi non est Græcus & Judæus, circumcisio & præputiū, barbarus & Scytha, servus & liber: sed omnia & in omnibus est Christus.* Et epistolâ ad Philemon. v. 16. *Recipies Onesimum, non jam ut servum, sed amplius quàm servum, fratrem videlicet dilectum, maximè mihi, quantò autem magis tibi, & in carne & in Domino?*

Status servorum quò ad corpus, spectat res corporales & externas, ad hanc vitam & confer-

vationem terrenæ Oeconomiæ pertinentes. Quò ad hūc ſtatū, ſunt ſervis domini ſuperiores, ac proinde jus imperii in ſervos habent.

52. II. Imperiū herile diſtinctum eſt à tyrannide: eſt enim & eſſe debet, benevolum, benignum, mite, lene.

53. III. Uniuſcujuſq; domus eſt civitas, & unuſquiſq; paterfamiliâs eſt princeps & rector ſuæ domus; proinde opera danda ipſi, ut domū rectè regat, & ea imperet, quæ ex Deo ſunt, & voluntati ejus congruunt.

54. IV. Juſtitia & æquitas ſtabiliunt & cōſervant domum atq; Oeconomiam. Domini ergo talia exigāt ſervitia, qualia à ſe exigi non ferant ægrè.

55. V. Deus eſt communis Dominus omnium, tam dominorum quàm ſervorū. Is quâ menſurâ domini ſervis ſuis menſuraverint, remetietur illis. Dominus enim Deus juſtus judex cauſas diſcernit, non perſonas.

56. VI. Dominis eſt quædam ſervitus cōmunis cum ſervis ipſorum: omnes enim ſunt ſervi Dei aut certè eſſe debent.

57. Hucuſque particulares ſunt exhortationes.

Deinceps redit Apoſtolus ad exhortationes univerſales, quæ ad univerſos fideles pertinēt.

2. *In precibus* (inquit) *perdurate, invigilate iis cum gratiarum actione.*

3. *Orantes ſimul etiam pro nobis, ut Deus aperiat*

aperiat nobis ostium sermonis, ut loquamur mysterium Christi, propter quod etiã sum vinctus.

4. *Ut*, inquam, *illud manifestum faciam, sicut oportet* me loqui.

5. *Sapienter ambulate erga extraneos, opportunitatem redimentes.*

6. *Sermo vester semper cum gratia sit, sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuiq; respondere.*

58. Hortationes sunt duæ: *una* ad preces ad Deum: *altera*, ad virtutes in conversatione cum extraneis necessarias.

59. Hortationis ad preces membra sunt quatuor: *primum* est ipsa propositio hortationis: *alterum*, quæ precationis adjuncta requirantur: *tertium*, pro quibus orandum: *quartum*, quid postulandum à Deo.

60. Hortationis propositio est; precationi religiosæ ad Deum, esse incumbendum.

61. *Precatio religiosa*, est invocatio Dei in nomine Christi unici Mediatoris ex vera fide profecta, ut bona necessaria animæ & corpori nobis & aliis largiatur, contrà autem mala omnia à nobis & aliis auferat & avertat propter nominis sui gloriam.

62. Ea ad solũ Deum dirigenda ac facienda, non ad meras creaturas.

63. Eaq; fit vel *nostrâmet causâ*, vel *aliorum*.

64. Quæ noſtrâmet causâ fit eſt vel *petitio* vel *deprecatio*.

65. Petitio eſt vel *ſpiritualium bonorum*, vel *corporalium*.

66. Deprecatio itidem eſt vel *ſpiritualium malorum*, vel *corporalium*.

67. Precatio quæ aliorum causâ fit, eſt vel *pro aliis* vel *contra alios*.

68. Precatio pro aliis vel *interceſſio* eſt vel *benedictio*.

69. Benedictio vel *publica* eſt vel *privata*.

70. Et adhibetur tum *amicis*, tum *inimicis*.

71. Precatio contra alios eſt vel *querela de adverſariis*, vel *imprecatio in adverſarios*.

72. ADIUNCTA precationis tria hoc loco requiruntur, *aſſiduitas*, *vigilantia & gratiarum actio*.

73. *Aſſiduitas* in precatione eſt neceſſaria, ut nimirum in invocatione Dei perduremus, & ſine intermiſſione omni tempore, omni loco, omnibus in rebus ac negotiis erecta ſint ad Deum vota noſtra. Sic propoſuit Chriſtus parabolam Luc. 18. *huc ſpectãtem, quòd oporteat nos ſemper orare, nec ſegnes eſſe*. Huc pertinet etiam quod exſtat Luc. 21. 36. Epheſ. 6. 18. Philipp. 4. 6. 1. Theſſal. 5. 17.

74. *Conſectaria*. I. Precatio ad Deum eſt res laboriosa, quam facilè homines pigri & ignavi refugiunt: ideo hortatur Apoſtolus ut orationi inſtemus.

75. II. A precatione deſidia & ſegnities procul abeſſe debet.

76. *Vigi-*

76. *Vigilantia* itidem est necessaria, q̃ non est perpetua à somno corporis abstinentia; nam eam Deus non requirit, quũ Deus somni & vigiliarum vicissitudines ad vitã & valetudinem hominis conservandã ordinaverit: sed est tum abstinentia à nimio aut intempestivo somno corporis, tum seria ac pia attentio mentis, ut tum ad preces, tum ad præcavẽdas Satanæ insidias & molitiones, tum ad pugnã adversus ipsum capessendã paratiores simus. Nam qui vel nimio vel intempestivo somno indulget, vel animo dormit, is precum & salutis suæ est negligens.

77. Vigilantiã autem requisitã requiritur simul sobrietas & castitas: ebrius enim & libidinibus deditus, ut ad vigilandum, ita ad precandum minimè est aptus, 1.Petr.4.7.

78. *Consectaria.* I. Precationis ad Deum est magnum bonum, quum ad evitanda peccata plurimùm faciat. Id scit diabolus, ideo ad ebrietatem & impuritatem homines pellicit quibuscunq; potest modis.

79. II. Vigilantia est duplex; *corporis & mentis*: vigilamus enim corpore, vigilamus & mẽte. Vigilãtia mentis in primis requiritur: & ad eam passim exstimulamur hortationibus, veluti Matth. 24.42. & 25.13. & 26.41. Marc.13. 35,36,37. Luc.2.36. Actor.20.31. 1.Cor.16.13. Ephes.6.18. 1.Thessal.5.6. 2.Tim.4.5. 1.Petr.5. 8. Apocal.3.2. & 16.15.

80. *Gratiarum actio ad Deum*, semper etiam precationi annexa esse debet: sic ut vota om-

nia perversa ac vitiosa sint, quibus nõ est conjuncta laudũ divinarum celebratio. Nam gratias agendo celebramꝰ Deum, & benefacta ejus erga nos justa laude prædicamus, acceptũ ferentes ejus benignitati & liberalitati, quicquid ad nos bonorum pervenit. Hoc ipsum inculcat Apostolus Philippens. 4. 6. *De nulla re solliciti estote: sed omni in re precibus & deprecatione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.*

81. *Consectaria.* I. Gratiarum actiones ad Deum & sacrificii laudis nulla esse potest sine scelere interruptio. Malignum est silentium, si quod beneficium Dei sine laude præterimus.

82. II. Gratiarum actionis sacrificium & canticum quolibet die novum est, quia quolibet die precibus nostris cõnecti debet. Quò facit illud Psal. 33. 3. & Psal. 149. 1. *Canite Jehovæ canticum novum.*

83. III. Fideles gratias agunt Deo & celebrãt eum etiam antequam adepti sint quod cupiunt; Exemplum in Davide Psal. 3. & 5. & 6. & aliis. Multò magis prædicãdæ sunt laudes Dei, quoties nos votorum cõpotes facit. Certè non cessat Deus beneficiis nos cumulare momentis singulis, ut nos naturâ lentos & pigros excitet ad gratitudinem.

84. PRO QUIBUS orandum sit tertio loco observandum, nimirũ pro hominibus vivẽtibus adhuc in his terris, non autẽ pro mortuis.

85. Idq; p omniũ ordinũ hominib. 1. Tim. 2. 1.

86. In primis autem pro Regibus, Principibus

bus & Magistratibus. 1. Timoth. 2. vers. 2.

87. Et pro ministris atq; gubernatorib. Ecclesię, Ephes. 6. 19, 20. Coloss. 4. 3. 2. Thess. 3. 1, 2.

88. Et pro aliis sanctis & domesticis fidei omnibus, ubicunq; terrarū degant. Ephes. 6. 18.

89. Imò etiam pro aliis hominibus quamvis inimicis, Matth. 5. 44.

90. At non pro peccantibus ad mortem, 1. Johan. 5. 16. Ezech. 20. 4.

91. *Consectaria.* I. Nemo tantùm pro se, sed etiam pro aliis precari debet.

92. II. Preces aliorū pro nobis cùm privatę, tū inprimis publicę, sunt nobis necessariæ & fructuosæ: quia illas Paulus pro se fieri expetivit. idq; non per simulationem fecit, sed seriò.

93. III. Preces aliorū sanctorum pro nobis, non sunt contēnendæ. Nemo enim tā sanctus est in his terris, quin ipsi precibus aliorū opus sit: quia Paulus judicavit sibi illis opus esse, insigni exemplo modestiæ & humilitatis.

94. IV. Improbi sunt & ingrati, qui pro pastoribus animarum suarum non solùm non precantur, sed etiam illis malè precantur & omnibus modis nocere cupiunt.

95. V. Nullus sanctorum vel Angelorū vel hominū est Mediator noster apud Deū, præter Christum: quia Paulus Apostolus se nō fecit Mediatoré inter Deum & fideles, sed pro se quoq; preces concipi voluit. Homines quidem Christiani invicem se commendant Deo orationibus suis: pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus ve-

rusque Mediator est apud Deum.

96. QUID POSTULANDUM à Deo sit, Paulus hoc loco ostendit, nimirum cùm alia bona spiritualia & corporalia, tum in primis ut Deus servis suis aperiat ostium sermonis, ut mysterium Christi loquantur, etiamsi illius causâ persecutiones sint ferendæ, ut illud manifestum faciant, sicut oportet eos loqui.

97. Hoc præcipuũ votorum nostrorũ est, quia ad sanctificationẽ nominis divini ptinet.

98. Deus autem aperit servis suis ostium sermonis, quum illis largitur dicendi libertatem, ut intrepidè loquantur. Nam *sermonis ostium est os*, quod ipse Deus homini ad prædicationem & confessionem veritatis Euangelicæ aperit. Huc facit quod legitur Psal. 51. 17. *Domine labia mea aperias, & os meum annunciabit laudem tuam*: & Ephes. 6. 19, 20.

99 *Mysterium Christi*, est Euangeliũ de Jesu Christo, quod ostẽdit locus παράδοξος 1. Tim. 3. 16. *Sine dubio magnũ est pietatis mysteriũ: Deus conspicuus factus est in carne, justificatus est in Spiritu, conspectus est ab angelis, prædicatus est Gentibus, fides illi habita est in mundo: sursum receptus est in gloriam.*

100. Inprimis autem synecdochicè, est cõsilium & decretum Dei æternũ de vocatione Gentium in regnũ & ad communionẽ Christi, ut docet Paulus, quum scribit Rom. 16. 25, 26. *Ei verò qui potest vos stabilire secundùm Euangelium meũ & præconium Jesu Christi ex revelatione mysterii quod à temporibus secularibus tacitum fuit,*

Nunc

Nunc verò factum est manifestũ, & per Scripturas Propheticas ex imperio æterni Dei, ad obedientiã fidei, omnibus Gentibus notificatũ, &c. Pluribus verbis id facit Ephes 2. primis versibus undecim.

101. Proinde fidelium officium est rogare Deũ, ut ministros verbi sui induat spiritu fortitudinis, ut cum magnanimitate invincibili apertè, liberè & sincerè prædicent Euangeliũ Christi apud omnes, nec reformident ullorũ hominum indignationẽ & tumultuationes, vincula, carceres, direptionẽ bonorũ, exsilia, cruciatus corporis, mortem deniq; ipsam, sed manifestũ faciant mysterium Christi, & annũcient illud sicut oportet, cõstanter & sincerè: in hunc finem, ut veritas Dei ubiq; cognoscatur, cultus Dei instauretur & revocetur ad eã puritatem quâ illum Deus instituit, ut Christus Filius Dei Patris æternus manifestus fiat, quòd ipse solus sit Mediator inter Deũ & electos omnes ex Judęis & Gentibus, hoc est, solus summus Propheta & Doctor Ecclesiæ, solus verus summus Sacerdos & Pontifex, solus Rex & Dominus Caputque illud Ecclesiæ, ac proinde ut talis ab omnibus adoretur & colatur, eique cum Patre & Spiritu Sancto sit gloria & laus in omne ævum.

102. *Consectaria.* I. Nullus hominum quicquam boni potest facere, nisi Deo absolutè volente & faciente. Nos eatenus bonũ facimus, quatenus Deus in nobis facit. Nam ne quidẽ loqui boni quicquam possumus, nisi Deus ostium sermonis seu os nobis aperuerit ad id

loquēdum. Ita Ezechiel Propheta de se testatur cap. 33. 22. *Manus Jehovæ adfuerat mihi vespere ante adventum ejus qui evaserat, ut aperiret os meum, donec is veniret ad me manè: aperueratq; os meum, ut nō obmutescerem amplius.* Idem agnovit de se Apostolus Paulus, qui expetivit à Deo sibi os aperiri ad Euāgelium annunciandum. Hoc igitur à Deo petendum, hoc ut fidelium aliorum sanctis precibus à Deo nobis impetretur postulandum, exemplo Pauli.

103. II. Quum Euangeliū sit mysteriū Christi, cupidissimè à nobis & religiosissimè audiendū cognoscendumq;, illudq; ingenuè profitendum: Professio siquidē ingenua mysterii Christi est melior omnib. thesauris mūdi hujꝰ.

104. III. Vincula propter Euangeliū Christi injecta, nō sunt pudenda, nō sunt ignominiosa corā Deo & sanctis Angelis, electisq; hominibus: sed sunt ornamenta meliora quàm torques aurei & monilia pretiosa, quibus ad p̄cipuum ornatum homines divites & dignitate præcellentes utūtur. Et fidelibus magis est desiderabilis & inimicis magis reverēdus qui Christi causâ fert vincula, magni & fortis animi documenta atq; præmia, quę non pudore afficiunt, sed etiam præclarū efficiunt. Magis ornant vincula Christi causâ, quàm fulgentes torques de collo pendentes. Quid enim est commune ignavię cum excelsi animi virtute? corporis ornamentis cum veræ pietatis indiciis? Illa vincula Angeli reverentur, hos torques verò etiam ludificātur & aversantur. Illa

à terra

à terra in cæleſte habitaculum Dei attóllunt: hi à cælo in terram detrahunt. Illa etſi gravant corpus, animá tamen ornant; hi cum corpore animam quoq; opprimunt. Illa oſtendunt hominem naturâ humanâ ſuperiorē: hi evincunt hominem terrâ eſſe deteriorē & inferiorem; quid enim eſt aurum, niſi terra ſplendidior? & quanta naturę humanę dejectio eſt, nō honorari, imò honore dignum per ſe nō eſſe, ſed ob aurea ornaméta judicari honorandū? Illa ſempiternam gloriam afferunt: hi ſæpè nec temporariam. Major erat gloria Pauli in carcere vincula geſtātis: quàm Neronis fuit in palatio Imperiali ornamentis imperialibus luxuriantis. Vincula ob myſterium Chriſti impediunt quidem fidelium corpora ex parte, ſed nō animos, non linguas, non manus, gloriæ Chriſti adminiſtras: quin potiùs majorem dant fiduciam & ampliorē loquendi libertatem & præclaram gloriationis in Deo materiā. Exemplo eſt Paulus Apoſtolus quem nō puduit catenarum quibus corpus ipſius conſtrictū erat ob nomen Chriſti: qui propter illas animo dejecto nō fuit, aut Euāgelii præconium deſerere voluit, ſed de illis gloriatus eſt & ad Euangelii propagationē majore deſiderio accenſus fuit. Vincula ob Chriſti nomen ſunt præſtabiliora libertate corporali impiorū. Ideo Paulus non deſideravit ut à vinculis liberaretur, ſed ut in illis acciperet à Deo loquēdi de Chriſto intrepidam fiduciam & libertatē. Non quæſivit cōmiſerationem & conſolationē ab aliis, ſed ipſe

ex vinculis alios confirmavit & cõsolatus est. Vinctus non silebat, sed supra modum Ecclesias ędificabat. O amabilia, ô veneranda! Hæc cor meum excitant, & desideriũ accendunt, videndi nõ Romam in flore quali fuit Cæsaris Augusti temporibus, sed Paulum Romæ in vinculis prædicantem intrepidè Christum & ad Ecclesias quarum ne vinctus quidem curam deponebat, epistolas scribentem.

105. IV. Magna est gratia Dei, si quis olim faciens persequutionem invocantib. nomen Christi, conversus ad veram fidẽ patiatur persequutionem propter nomen Christi: qualis gratia Paulo contigit, qui primò fideles vinciebat, qui Ecclesiã vastabat, iens domatim & tractos viros & mulieres in custodiam tradebat Act. 8. 3. qui spirabat minas ac cædem adversus discipulos Domini, & petiverat à Pontifice Maximo epistolas Damascum ad synagogas, ut si quos inveniisset hujus viæ seu religionis Christianæ, tum viros tum mulieres, vinctos Hierosolymam abduceret Act. 9. 1, 2. Sed postquam Christi servus factus est, ipse vinctus est, & non quòd ageret gloriabatur, sed quòd pateretur.

106. V. Euangelium Christi non tantùm propagatur prædicando, verùm etiam patiendo: sicut Paulus vinctus Euangelium longè lateq; disseminabat. Hoc verè miraculosũ est & regno Christi conveniens. Sicut enim Christus crucifixus prædicatur & adoratur: ita vincti pro Christo vincũt persecutores, & firmio-

firmiores reddunt discipulos Christi catenis ferreis alligati, quàm liberi & soluti. Facinorosis vincula infamiam afferunt & timorem incutiunt: Christi servis decus pariunt & animos addunt. His duob animi motib. tenetur multitudo, inanis gloriæ cupiditate & pusilli abjectiq; animi vitio: at qui Christum intrepidè profitentur, gloriam mundi contemnunt & pericula nulla reformidant.

107. VI. Qui propter veritatis cælestis professionẽ, aut alioquin injustè in carcerem compinguntur, habẽt quod ipsos consoletur, nempe exemplum Pauli, qui cùm esset doctor orbis terrarum, qui in tertium raptus fuit cælum & verba audivit arcana & ineffabilia, vinctus est propter mysterium Christi.

108. VII. Hoc idẽ exemplum pudore suffundat illos, qui nihil in corpore suo pati volunt propter Christũ. Quid dico pati? quũ ne quidẽ pecunias vel exiguas velint amittere? Erudiat illos, qui vincula Euangelii refugiunt, at variis animi perturbationibus sunt vincti, imò qui vincula peccatorum sibi ipsis nectũt & injiciunt. Corrigat illos qui ornamẽtis corporis superbiũt: probrum autem Christi ferre recusant. Atqui tales quò magis superfluo atque immoderato ornatu se induunt, eò apparent turpiores.

109. VIII. Ministri verbi Dei, imò omnes confessores veritatis cælestis manifestum facere mysterium Christi & loqui debent sicut oportet, verè & intrepidè, constanter, & sin-

cerè: Neq; cedere, si necesse sit, adversariorum furori, sed ad mortẽ usq; implere officiũ publicandi Euangeliũ & confitẽdi Christum. Quoniam verò illorum vires id superat, precib. assiduis instare cõvenit, ut Dominus spiritu fortitudinis eos armet & muniat.

Hactenus hortatio ad preces: restat hortatio ad virtutes in conversatione cum extraneis necessarias.

110. *Extranei* sunt quicunq; *vel* planè infideles sunt vel in magna religionis parte à nobis alieni: aut licèt consensum in religione nobiscum prõfitentur, moribus tamen & factis testantur, se nõ esse domesticos Dei; quomodo de Ziphæis queritur David Psal. 54.5. *Externi insurgunt in me & violenti quærunt animam meam: non proponunt Deum sibi:* & contra ministros Saulis precatur Psal. 59.6. *Tu ergo Jehova, Deus exercituum, Deus Israëlis, expergiscere ad visitandum omnes gentes istas.* Exteros enim & gentes vocat illos, qui etiamsi Israëlitæ erant secundùm carnem & professionem externam, operib. tamen ostendebãt se alienos à Deo & à religione & ab humanitate quæ Dei φιλανθρώπια filios & domesticos decet.

111. Ergo hos primò *sapienter ambulandum*, hoc est, Considerate ac circumspectè, habita magna ipsorum ratione in tota vita & conversatione nostra, ne corruptos illorum mores imitemur, néve scandalum ullum ipsis prębeamus, imò nec justam causam obtrectandi Euangelio atq; suscipiendarum adversus nos inimicitia-

micitiarum demus, sed potiùs omnib modis declinemus, reddendo omnib. quod debetur, sive tributum, sive vectigal, sive honorē, sive obedientiā: non quęrendo honores, non gloriam, non potentiam, non ultionem. Hortatio eadem exstat Eph. 5. 15. *Videte quomodo accuratè ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes.* Et ad omnes pertinet admonitio Christi Matt. 10. v. 16, 17. *Ecce, ego mitto vos ut oves in mediū luporū: estote igitur prudentes ut serpentes, & simplices ut columbæ. Cavete verò ab hominibus, &c.*

112. *Secundò* opportunitas rediměda. Quibus verbis non vult Apostolus nos esse varios & hypocritas & simulatores; hoc enim nō est sapientiæ, verùm dementiæ: sed hortatur ut si animadvertamus nos nihil profecturos ob hominum iracundiā & obstrependi pertinaciā, cedam⁹ ad tempus & observem⁹ quęramusq; omnes occasiones exteros lucrifaciendi Christo, etiam cum nostrarum rerū temporalium jactura: Eadem hortatio exstat Eph. 5. 16.

113. Est autem similitudo à mercatoribus sumta. Ut enim prudētes mercatores circumspectè agūt omnia, in quamvis opportunitatem intenti, quâ cū lucro suo merces vel emere vel vendere possint, neglectis sæpè omnib. deliciis: ita nos occasiones captare & oblatas arripere debemus, quò aliquos Christo lucrifaciamus.

114. *Tertiò*, Sermo noster semper cum gratia sit, sale conditus, ut sciamus quomodo oporteat nos unicuiq; respondere. Sensus est,

sermonem nostrum ita comparatum esse debere ut cõmodo proximi serviat, ac proinde gratiosus sit, ut sit instar cibi salutaris & rectè cõditi, & saporem verè spiritualem habeat & pascat auditorum animas, ut illarum fame noxiâ depulsâ, verbo vitæ æternæ saginentur & alantur. Quamobrem nõ citra discrimen cuivis respõdendum quidvis, sed cum ea quâ par est discretione, cum decoro convenienti, cum debita modestia, cum animi mansuetudine & lenitate, & quidem id respõdendum quod nõ prębeat justam offensionem & causam obtrectandi Euangelio Christi.

115. *Consectaria.* I. Omnes homines sunt vel domestici Dei & cives regni Christi, vel extranei. Cum illis aliter agẽdum, cum his item aliter, si familiarem conversationem spectes: cum utrisque sapienter, in primis tamen cum extraneis qui lucrifaciẽdi sunt aut saltem mitigandi, ne ansa movendi persecutiones præbeatur, maximè eo tempore quo penes infideles gubernatio est & summa Reip. Hoc plurib. docetur Mat. 5. v. 13, 14, 15, 16. Rom. 12. & 13. 1. Cor. 5. v. 9, 10, 11, 12, 13. & cap. 7. v. 12, 14, 15, 16. item cap. 8, 9, 10. Phil. 2. 14, 15, 16. 1. Petr. 2. v. 11. & seqq.

116. II. Nobis ita versandum inter extraneos & alienos à vera fide, ne dum illis permisti sumus in convictu & contractibus aliisque negotiis, eorum exemplo inquinemur ac sensim profanescamus.

117. III. Dissimulatio quædam est laudabilis. Exempli gratiâ: Christianus si viderit inquietum

quietum & iracundum contradictorem, sapienter dissimulet, quæcunq; salvâ gloriâ Dei & circa fraudem veritatis & charitatis, itemq; justitiæ & vocationis, dissimulari possunt: ne infidelem imprudenter incitet ad blasphemiam & tempestatem movendam.

118. IV. Nemo quamvis infidelis & persecutor, est parvifaciẽdus, sed quæsita omni occasione lucrifaciẽdus Christo. Si uno tempore lucrifieri non potuit prepeditus iracundiâ vel metu vel alia re; cedendũ ad tempus & opportunitas cõmoda exspectanda atq; etiam quærenda. Graviter itaq; peccant, qui salutis aliorum fidelium curam non gerunt, quum hostium tanta sit habenda ratio.

119. V. Insulsus sermo est quicunq; non ædificat auditores: isq; nobis sedulò cavendus. Huc pertinet illud Pauli Eph. 4. 29. *Nullus sermo putris ex ore vestro egreditor: sed si quis est cõmodus ad ædificationis usũ, ut gratiã auditorib. adferat.*

120. VI. Sales, qualibus delectantur profani homines, etsi plausibiles sint & favorẽ ut plurimum risumq; concilient, Christianis indigni sunt.

121. VII. In silendo & loquendo, in primis quando cõversamur cum infidelibus aut religionis nostræ adversariis aliisq; nostris osoribus & hostibus, modum, locum, tempus aliasq; circumstantias prudẽter observari convenit. Sunt quippe leges silẽtii, sunt etiã leges loquendi. Interdum enim silendum & cedendum, quum scimus negotium nobis esse cum

homine intractabili & obstinatæ mentis, paratoq; ad contumeliam faciendam, aut ludibrio habenti omnia quę dicũtur vel aguntur: quemadmodũ Propheta Jeremias cessit Chananjæ protervo homini, Jerem. 28. 11. & Christus interdum silentio usus est veluti corã summis sacerdotibus, Pilato & Herode, ut legitur in historia de Passione Christi. Perstrepentib. furẽtibus & animosis ad convitia, semper cedendum: vincis enim dum cedis. Opportuno autem loco & tempore, magistrâ modestiâ de religione verba faciẽda. Aliter etiam cum potentibus hujus mundi, aliter cum mediocribus, aliter cum inferioris ordinis hominibus agendum: aliter cum tractabilibus, aliter cum iracundis: ibiq; de religione disserendum, ubi datur facultas & loquẽdi libertas. Quin etiam interrogantibus respondendum, ut fert ædificationis ratio, vel silendum omnino aut saltem quędam dissimulanda: hoc est enim prudentis, scire QUO MODO UNICUIQUE respondendum sit, aut quando tacendum. Sunt quidam ex adversariis non prorsus intractabiles, sed patientes audire verbum Dei: Sunt verò alii, in quibus sic fervet zelus suę religionis aut potiùs superstitionis & falsitatis, ut non tantùm cum illis, sed nec præsentibus illis de fide tractari expediat: obstrepentibus enim illis & blasphemantibus, multis offendiculum fieri necesse est.

DOMINO JESU CHRISTO SIT Gloria. AMEN.

THE-

THESIVM ANALYTICARUM

Quibus Epistola Pauli Apostoli ad Colossenses explicatur

ab

AMANDO POLANO
A POLANSDORF
propositarum

PARS ULTIMA

DE QUA

Die 18. Decembris, benignè prosperante CHRISTO DOMINO, *interrogantibus respondit*

M. SEBASTIANUS BECKIUS
BASILIENSIS.

Anno MD CVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0333
DFG

Superioribus Thesibus expedivimus reſiduas hortationes particulares & univerſales, quas Apoſtolus ad fideles in hac epiſtola inſtituit: reſtat epiſtolæ hujus ad Coloſſenſes Epilogus, quem Theſibus hiſce, Christo Domino dante, reſolvemus.

Thesis I.

Epilogus Epiſtolæ Pauli ad Coloſſenſes quinq; partibus conſtat: in *prima* declarat Apoſtolus amorem & ſtudium erga Coloſſenſes: in *ſecunda* expedit ſalutationes quales ſub finem epiſtolarum adſcribi ſolent: in *tertia* mandat Coloſſenſibus ut hanc epiſtolam in publico cœtu prælectam apud ipſos, curent etiam legi in Laodicenſium Eccleſia, & ut ipſi Coloſſenſes viciſſim legant ſcriptam Laodiceã: in *quarta* præcipit admonendum Archippum, ut miniſterium verbi Dei fideliter obeat: in *ultima* parte eſt clauſula totius epiſtolæ, continens ſubſignationem manu Pauli factam, poſtulationem precum pro ſe captivo, & votum pro Coloſſenſibus.

2. Quod ad primam attinet partem, declaratio amoris & ſtudii Apoſtoli Pauli erga Coloſſenſes duobus fit argumentis: *primum* eſt,

est, quòd ipsis cupiat res omnes suas notas fieri, quarum statũ Colossenses, ut & alii fideles, proculdubio cognoscere sollicitè expetebant, ut fert charitatis Christianæ ratio.

3. Addit, quis illis res suas notas facturus sit, nimirum Tychicus, cujus etiam fit mẽtio Actor. 20.4. Eph. 6.21. 2. Tim. 4.12. Tit. 3.12.

4. Eum commendat hoc loco tribus argumentis, ut tantò magis fidem illi Colossenses adhibeant: *primum* est, quòd sit *dilectus frater*, hoc est, domesticus fidei & consors sanctorum, qui communem & eundem Patrem habent Deum, eandem matrem Ecclesiam, eundem fratrem Christum: ac proinde fraterno amore charus habendus.

5. *Secundum*, quòd sit, *fidus minister*, hoc est, concionator & præco Euangelii Jesu Christi, cujus explorata est fidelitas in munere ipsi concredito.

6. *Tertium*, quòd sit *conservus in Domino*, hoc est, non tantùm pro se bonâ fide ministerio defungẽs, sed etiam sanctum consensum cum aliis servis Christi colens, illosq; adjuvans, ut modis omnibus Dominus celebretur, ad cujus gloriam omnia sua cogitata, dicta atq; facta Tychicus referebat, ei sincerè & cõstanter simul cum aliis collegis serviens.

7. *Secundò* Paulus amorem & studium erga Colossenses declaravit eo quòd ad eos Tychicũ misit ob hoc ipsum, ut cognosceret res illorum, & corda ipsorum consolaretur. Hinc

colligere poterât quantam Apostolus curam ipsorum haberet, quòd quum esset Romæ in vinculis & de vita periclitaretur, ut ex 2. Tim. 4. 6. intelligitur, posthabitâ sui ratione, ipsis prospiceret, per Tychicum eos docendo & cõsolando, ne corda illorum persecutionibus mollescerent & in fide Christi nutarent. Apostolus non quæsivit suam, verùm Colossensium utilitatem, quos in tentationibus fuisse apparet, quum consolatione eguerint. Elucet hîc etiam tum sanctus *zelus* Apostoli, tum *prudentia*. Sanctus enim *zelus* erat, quòd licèt in carcere esset, & in extremo vitæ periculo versaretur ob Euangelium Christi, nõ tamen refrixerit in eo ardor promovẽdi Euãgelium & propagandi confirmandiq; regnum Christi. *Prudentiæ* verò erat, quòd non tantùm idoneum misit hominem & cordatum, qui Colossenses quantum opus esset confirmaret & pseudapostolorum astutiæ resisteret; sed etiam autoritatem ei conciliavit honestâ laude, quò is magis prodesset.

8. Adjunxit Tychico legationis comitem Onesimum, quem similiter commendat tanquam fidum & dilectum fratrem, & quòd ex Colossensibus sit. Hoc ad ipsorum quoque laudem & consolationem pertinet, quòd ex civibus suis habeant qui Apostolicâ commendatione digni sint & ad ministerium Christi utiles.

9. Duos hos conjungens ait, *omnia ipsos Colossen-*

Colossensibus nota facturos, quæ Romæ tum agebantur: ut in ore duorum testium verum esset omne verbum. Sic eos reddit magis reverendos & acceptiores Colossensibus, utpote quibus illi, jussu Apostoli ea referre debuerint, quæ scribere certo consilio noluit, quum essent procul dubio quædam, quæ non oportebat literis significari.

10. *Consectaria* usum partis primæ monstrantia. I. Ministrorum verbi Dei, Pastorum & Doctorum, officium est, etiam illorum fidelium, à quibus corpore absunt, curam retinere: nec id tantùm quantisper liberi sunt, verùm etiá cùm ob Christi Euangeliũ captivi detinentur. Hoc ex sancto zelo proficiscitur, per quem sui ipsorum obliviscuntur ministri verbi divini, & studio ædificandi Ecclesiam Christi ardent.

11. II. Cura pastoralis declaratur tum à præsentibus Pastoribus, coràm docẽdo, hortando, monendo, consolando: tum ab absentibus per literas, perque alios fidos homines eadem præstando, ac præterea per eosdem tum nunciando, quæ literis tutò committi nequeunt, tum cognoscendo res fidelium.

12. III. Zelus sanctus vinculis non impeditur, quò minùs pro gloria Christi & salute fidelium solicitus sit. Exemplum zeli hujusmodi est in Paulo.

13. IV. Prudentiæ est epistolis non omnia inferere, sed quæ sunt necessaria & urgen-

tia, & quæ periculum nulli adferant, si epistolæ interceptæ in aliorum manus deveniant, quàm debebant.

14. V. Prudentiæ etiam est, res alicujus momenti cómittere idoneis hominibus, quorum explorata ac perspecta est pietas atque virtus: & autoritatem eis conciliare, ut amplius prodesse queant.

15. VI. Candoris est, aliis laudem tribuere quam merentur, & laudando eos, autoritatem eorum & bonam existimationem augere & confirmare. Hæc virtus cùm in omnibus requiritur, tum in primis in illis qui superiores sunt aliis, quibus nihil decedit inferiorum laudibus, quas illis invidere minimè debent, sed eas potiùs amplificare.

16. VII. Laudum humanarum finis esto gloria Dei & Ecclesiæ ædificatio. Hoc fine laudavit Paulus Tychicum & Onesimum.

17. VIII. Modestiæ est se agnoscere conservum aliorum in Domino. Exemplum est in Paulo, qui Tychicum conservum in Domino dicens, se quoque conservum esse agnovit, licèt tantus esset Apostolus, doctor orbis terrarum, visionibus & revelationibus excellens, in tertiũ cælum raptus, miraculis clarus, &c.

18. IX. Gloria hæc magna est, si cui divino beneficio datum est, ut sit dilectus frater, fidus minister Christi & conservus Apostolorum in Domino. Hoc pertinet ad consolationem docentium in Ecclesiis & Scholis, quorum

rum functio alioquin coram mundo cõtemta est & exosa. Hac gloria, hac consolatione indignos se reddunt ii, quos ministerii pudet Ecclesiastici.

19. X. Auditorum verbi divini est officium, fidos pastores suos nequaquam contemnere, sed eo loco habere quo decet, nempe pro dilectis fratribus suis, pro fidis ministris Christi, pro conservis Apostolorum.

20. XI. Civitatum gloriæ & solatio cedit, si ex illis elegerit Christus fidos Euangelii præcones.

21. XII. Commendationes istæ Apostolicæ nos de duobus præterea admonent. 1. quales sint commendandi, videlicet tales qui spectatæ sunt probitatis. 2. pios viros qualiscunque fortunæ & conditionis sint magno in pretio esse habendos: Sic enim Paulus Onesimum commendat.

Tantum de prima Epilogi parte.

22. In secunda parte expedit Paulus salutationes, easque geminas: Quasdam aliorum nomine adscribit Colossensibus, quasdam suo nomine vult à Colossensibus nunciari aliis fratribus.

23. Illi quorum nomine salutem Colossensibus adscribit, erant insignes servi Christi, *Aristarchus, Marcus, Jesus, Epaphras, Lucas*, quos omnes Paulus præclaris elogiis commendat, & *Demas*.

24. Aristarchus hic fuit Macedo Thessa-

Ionicensis, cujus fit mentio Actor. 19. 29. & 20.4. & 27.2. & epistolâ ad Philemonem v. 24.

25. Dicitur hoc loco de eo, quòd fuerit Pauli socius in captivitate. O præclarum elogium! Beatior fuit Aristarchus socius exsistens Pauli in carcere, quàm Pontifex Maximus Jerosolymitanꝰ in suo palatio, quàm Cæsar Nero in sua regia.

26. Fuit autem socius Pauli in captivitate propter Christum Jesum, procul dubio id agentibus Pauli hostibus, ut periculi societate omnes ab ipso juvando absterrerent.

27. Ita captivitas, quæ facinorosis affert infamiam, Paulo & Aristarcho aliisq; concaptivis propter Christum honori fuit.

28. Ideo Paulus de captivitate hac scribit, non ut dolens, sed ut gaudens & glorians de illa.

29. Deinde Marco & Jesû primò distinctè tribuit quæ cujusque propria erant: deinde dat eis commune encomium.

30. De Marco ait, ꝙ sit consobrinus Barnabæ, & quod de eo mandata Colossenses acceperint, quos hortatur Apostolus ut eum excipiant, si ad eos venerit.

31. Marco igitur honorifica fuit primò cognatio Barnabę, qui vir magnus erat, ut testantur Acta Apostolica: Deinde & hoc ad laudem ejus pertinebat, quòd Paulus & alii curâ ejus haberent, de eo fidelibus aliis mandata darent, eosque hortarêtur ad eum suscipiendum, si ad illos veniret. 32. Por-

32. Porrò Marcus iſte occaſionem diſſidii inter Paulum & Barnabam dederat. Actor. 15.37. Sed poſtea fuit recõciliatus Apoſtolo, apparet ex 2.Tim.4.11. & ex hoc loco.

33. De Jeſu dicit, quòd fuerit appellatus *Juſtus*, Δικαίσεως causâ.

34. Commune encomiũ, quod utriq; tribuit, eſt tripartitũ. Primò ait, *quòd ſint ex circũciſione*, id eſt, ex Judæis, quibus credita fuerãt eloquia Dei. Rom.3.2. qui sũt Iſraëlitę, quorũ eſt adoptio, & gloria & pacta & Legis conſtitutio & cultus & promiſſiones: quorum ſunt Patres & ex quibus eſt Chriſtus, quod ad carnem attinet, qui eſt ſuper omnes Deus benedictus in ſecula, Amen. Rom.9.4,5. Quòd igitur dicit illos ex circumciſione eſſe, ad laudem eorum pertinet, non ad vituperium.

35. *Deinde* teſtatur illos ſolos, nimirũ ex Judæis qui Romæ tunc verſabantur & neceſſariis ad prædicandum Euangelium dotibus pollebant, fuiſſe ſibi adjutores εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ *in regnum Dei*, hoc eſt, ad propagandum & erigendum etiam inter gentes regnum gratiæ, quod idem regnum Dei appellatur: vel, quod eodem redit, *ad regnum Dei*, id eſt, ad Euangelii prædicationem, quâ propagatur & erigitur longè lateq; regnum Dei.

36. *Tertiò* teſtatur de eis, quòd fuerint ſibi ſolatio. Erat igitur Paulus in tẽtationibus: iſti autem fuerunt magni & verè digni laude, quũ ſtuduerint captivo Paulo ſolatio eſſe.

37. Deinceps subjicit salutationem nomine Epaphræ: eumque commendat Colossensibus tribus argumentis: *Primum* est, quòd sit ex ipsis. Hoc non poterat non gaudio esse ipsis, quòd talem virum haberent qui tam magno Apostolo probatus esset. Idem facit ipsis gratiorem epistolam, quando ei qui ex ipsis est præclarum testimonium reddit. *Secundum* est, quòd sit servus Christi. *Tertium* est, quòd semper precibus certet pro Colossensibus, ut stent perfecti & completi in omni voluntate Dei. Emphasis est in verbo *certandi*, quo Apostolus tum affectus vehementiam notare voluit, tum simul admonere Colossenses, ne pastoris sui preces irritas existimarent, sed potiùs eas sibi magno esse subsidio persuasi essent.

38. Postremum hoc illustrat Paulus indicatâ causâ efficiente, Epaphram ad certandum precibus pro Colossensibus impellente, quam testimonio suo cõfirmat: *Hoc enim*, (inquit), *de eo testor, cum multò vestri studio ardere, & eorum qui sunt Laodiceæ & eorum qui Hierapoli*, id est, vos valde diligere, magno vestri flagrare amore, & fideliũ, qui sunt Laodiceæ & Hierapoli.

39. Epaphras iste fuit Pauli Apostoli in captivitate socius, propter Jesum, Philemon. vers. 23.

40. Deniq; salutem adscribit Colossensib. à *Luca Medico* & *Dema*. Illum dilectum vocat.

Hoc

Hoc quoque non parvum est encomium, sed valde magnum, esse Paulo Apostolo charum. Ejusdem mentio fit 2. Tim. 4. 11. Eundem intelligit 2. Cor. 8. 18, 19. Eum fuisse pictorem, ut Papistæ fabulantur, nusquam Scriptura affirmat: sed Medicum & Euangelistam. Ambo autē, Lucas & Demas fuerūt adjutores Pauli, Philem. v. 24. quanquam Demas postea Apostolum deseruit, amore inductus præsentis seculi, & profectus est Thessalonicam. 2. Timoth. 4. 10.

Hucusq; fuerunt salutationes Colossensibus aliorum nomine adscriptæ.

41. Deinceps suo nomine jubet salutari à Colossensibus fratres, qui sunt Laodiceæ, & Nympham, quem virum pium ac Dei timentem ac magnum fuisse oportet, siquidem domi ejus Ecclesia Dei fuit, quam itidem Paulus suo nomine vult salutari.

42. Consectaria, quę usum istorum ostendunt:

I. Salutationes mutuæ necessariæ sunt & utiles & gratæ Deo, si fiant ex vera fide & charitate: sunt enim mandatæ à Christo Matth. 10. vers. 12. & ab Apostolis Rom. 16. vers. 16. 1. Corinth. 16. vers. 20. 2. Corinth. 13. vers. 12. 1. Petr. 5. vers. 14. Sunt à Christo ipso & ab Apostolis usurpatæ Joh. 20. 19, 21. & in epistolis Apostolicis: ab Angelis item, ut Judic. 6. v. 12. Luc. 1. 28. Sunt preces quibus fausta ac bona nobis precamur mutuò: faciunt pluri-

mum ad animorum conjunctionem. Non igitur negligendæ.

43. II. Non tantùm amici salutandi sunt, sed etiam inimici. Matth. 5. 47.

44. III. Qui ob Christi nomen captivi sunt, beatiores sunt, quàm impii in palatiis suis.

45. IV. Afflictiones, quæ Christi causâ perferuntur, sunt materia gaudii & gloriationis. Huc pertinet illud Pauli Rom. 5. 3. *Gloriamur de afflictionibus.*

46. V. Societas afflictionum ob justitiam & veritatem cælestem unicuiq; fideli afflicto est honori coram Deo & Electis Angelis atq; hominibus. Ita fuit Aristarcho honori, quòd fuerit concaptivus Pauli.

47. VI. Qui ob justitiam & veritatem Euangelii patiuntur afflictiones, exsilia, carcerem, contumelias, calumnias; animũ magnum & hilarem retinere debent, ut aliis unà afflictis solatio sint & exemplo patientię pręeant; ut Paulus Apostolus fuit. Non est hoc parvũ, quando sanctos consolamur & præsentiâ & sermone, & assistendo quando simul cum illis affligimur. Simile exemplum est in Mose, qui potiùs elegit simul malis vexari cum populo Dei, quàm temporariam retinere peccati fruitionem: Majores ducens divitias probrum Christi, quàm Ægyptiorum thesauros. Hebr. 11. 25, 26.

48. VII. Magni est facienda piorum cognatio

gnatio secundùm carnem: sed longè antepo-
nenda est cognatio secundùm Spiritum.

49. VIII. Commendationes, quibus à piis & sanctis hominibus commẽdamur, sunt magnificiendę: sed multò magis enitendum, ut opus suum probatum reddat unusquisq;, & tunc in semetipso solo gloriationem habebit, & non in alio, Gal. 6. 4. Tum non is quem homines vel os proprium commendat, probatus est, sed quem Deus commendat.

50. IX. Servi Christi ad nos cum benedictione Euangelii venientes, sunt promtè excipiendi.

51. X. Testimonia idonea etiam orthoxis & piis hominibus ad alios quibus ignoti sunt, proficiscentibus sunt necessaria; ut probi à falsis fratribus, à fucis, ab impostoribus & multis erronibus discernantur. Ita enim videmus Paulum & alios Apostolos virosq; Apostolicos solicitos fuisse in reddendis testimoniis: quę solicitudo hodie plus quàm necessaria est, ut pii, quibus opus est testimoniis, fructum aliquem pietatis percipiant, alii verò ad quos veniunt, non circumveniantur & fallantur.

52. Nobilitas gentis & familiæ est quidem non exiguum donum Dei, sed multò excellentior est gratia, esse aliis fidis servis Christi & præsertim ætate provectiorib. & laborum pondere pressis adjutorem in regno Dei, & esse iisdem solatio. Hoc juniores ministri ver-

bi Dei, hoc collegæ in ministerio Ecclesiastico observent: Hoc alii in ministris verbi observent, an illi sint sibi mutuo adjutores in regno Dei.

53. XII. Petrus Romæ non fuit, quum ibi Apostolus Paulus captivus detineretur: quia ex circumcisione Barnabas & Jesus, qui vocatur justus, soli fuerunt ei adjutores in regno Dei, soli ex circumcisione fuerunt ei in captivitate solatio. Quòd si Romæ erat, cur Paulo adjutor in regno Dei & solatio nō fuit? aut certè indignè præteritus hîc fuit, nec sine injuriâ.

54. XIII. Unicuique danda est opera, ut civibus suis honori, ornamento & usui sit: exemplo Epaphræ de quo ad consolationem & gaudium Colossensium Paulus dicit, quòd ex ipsis sit.

55. XIV. Fidi servi Christi & Pastoris officium est, non tantm cum domi est, verùm etiam cùm peregre abest, vel propter veritatem Christi captivus ab hostibus detinetur, ἀγωνίζεσθαι, *certare* precibus semper pro suis auditoribus & aliis fidelibus, ut illi stent perfecti & completi in omni voluntate Dei: & multo illorum studio ardere.

56. XV. Ministrorum Ecclesiæ arma quibus certant, sunt preces & lacrymæ.

57. XVI. Christianis hoc summè necessarium est, ut stent perfecti & completi in omni voluntate Dei, hoc est, ut sint pleniſſimè instructi

structi cognitione voluntatis Dei & vitam moresq; ex præscripto solius voluntatis Dei instituant, firmiter in tam sancto persistentes proposito, & stantes adversus omnes tentationum rerumque adversarum impetus, instar arborum aut ædificiorum firmissimè stantium. Psal. 1. v. 3. Matth. 7. v. 24, 25.

58. XVII. Magnopere expedit, testari de aliorũ pietate & charitate erga alios, ac præsertim erga auditores suos, quò hi vicissim ad mutuam charitatem & obsequium promtum exstimulentur. Hoc enim cum auditorum emolumento conjunctum est, si Doctores & Pastores eorum præclarum habeant à viris magni nominis, probitatis testimonium. Quapropter etiam ministri verbi & docentes in Ecclesiis & Scholis, aut aliquando adhibendi ad ministerium Ecclesiæ & munus docendi, ita se gerant, ut testimonium luculẽtum ipsis perhiberi possit.

59. XVIII. Gratiæ Dei donum est, fidis servis Christi aliisque piis dilectum esse: sicut Lucas Medicus & Euangelista Paulo & aliis sanctis charus fuit. Unusquisque autem ita se gerat, ut sit piis charus. Alioqui mundo exosum esse, propter conscientiam Dei & obveritatis & pietatis studium, est magnũ lucrum & cedit gratiæ apud Deum. 1. Petri. 2. 19, 20.

60. XIX. Medica ars cũ sanctitate Christianismi non pugnat, sed cum ea conjuncta esse potest: sicut Lucas fuit Medicus & Euan-

gelista adjutorque Pauli Apostoli: Unde Medica professio fide vera ac pietate Christiana sanctificatur, & pretiosior, felicior utiliorque redditur. Idem de Jurisprudentia statuēdum, ut exemplum Zenæ Jurisperiti ostendit, de quo Tit. 3. 13. & de politica vita atque administratione Reipublicæ, ut Josephi patriarchæ, Mosis, Josuæ, Samuelis, Davidis & aliorum exempla ostendunt. Quin etiam de Philosophia, si Christo se subjiciat eumq; adoret, ut exemplum docet Magorum qui ab Oriente ad Christum recens natum venerunt, Matthæi 2. 1. Nec enim Magi illi diabolicis artib. sed Philosophicis studiis dediti fuerunt: & ante hos exemplum Salomonis 1. Reg. 4. v. 33, & Danielis, Dan. 1. 20. Sic nulla professio est per se impia ac prophana: sanctificatur autē, cùm accedēte verâ fide ac minimè fucata pietate, conspirat ad gloriam Dei cum Theologia divinitus revelata. Quapropter etiam nulla contemnenda, sed debitis & convenientibus laudibus ornanda.

61. XX. Omnes Christianorum familiæ, debent esse Ecclesiæ Dei quemadmodū familia Nymphæ Ecclesia Dei fuit. Proinde sciat unusquisque paterfamiliàs hoc sibi officii à Deo esse injunctum, ut familiam suam erudiat ad timorem Domini, contineatq; sub sancta disciplina, sic ut domi ipsius sit Ecclesia Dei, pietate ac religione exornata.

Tantum de secunda Epilogi parte.

62. *In*

62. *In tertia parte* injungit Paulus Colossensibus, ut hanc epistolam coram toto cœtu Ecclesiæ prælectam, postea etiam Laodicensium Ecclesiæ communicent, & ut ipsi legant scriptam Laodiceâ.

63. Cæterùm hic Pauli locus nobis est vindicandus à corruptela adversariorum, qui sequuti vulgatam versionem Latinam, quæ istam epistolam ambiguè vocat *Laodicensium epistolam*, inde colligunt, Scripturam Sacram non esse sufficientem ad salutem, seu non omnia continere ut sufficiat ipsa sine alia traditione non scripta: Bellarmin. controversiâ primâ, libro quarto, qui est de Verbo Dei non scripto, capite quarto. Id autem dupliciter colligit: *primò* quia non habeamus Scripturam perfectam, quum multi libri verè sacri & Canonici perierint, quemadmodum certum sit, ex novo Testamento periisse epistolam Pauli ad Laodicenses, cujus ipse meminerit ad Colossenses capite ultimo. Istud habet Bellarminus sectione sextâ. *Deinde* sectione decimâsextâ & sequente ait, quòd non satis sit scire, esse Scripturam divinam, sed oportere scire quæ sit illa, id quod nullo modo possit haberi ex Scripturis. Nam unde colligam (ait Bellarminus) epistolam ad Romanos esse verè Pauli? epistolam ad Laodicenses, quæ nunc circumfertur, non esse Pauli? cùm utraque præferat titulum Pauli, & cùm Paulus in epi-

ſtola ad Coloſſenſes, capite ultimo dicat ſe ſcripſiſſe ad Laodicenſes, nuſquam autem dicat, ſe ſcripſiſſe ad Romanos? Hactenus Bellarminus.

64. *Reſponſio* noſtra hæc eſt. *Primò* negamus, multos libros verè ſacros & Canonicos periiſſe: & maximè negamus è Teſtamento novo ullam epiſtolam Pauli periiſſe: hoc enim in priſcam Eccleſiam totam contumelioſum foret, quæ ſic accuſaretur ſupinæ & inexcuſabilis negligentiæ in conſervandis epiſtolis Apoſtolicis. *Secundò* negamus, Paulum meminiſſe epiſtolę *ad Laodicenſes:* quia loquitur de epiſtola ἐκ Λαοδικείας, *ex Laodicea*, videlicet ad Paulum ſcripta, non autem de epiſtola exarata πρὸς Λαοδικεῖς, *ad Laodicenſes.* Et ſic quidem Oecumenius apertè ſcribit, Οὐκ εἶπε τὴν πρὸς Λαοδικεῖς, ἀλλὰ τὴν ἐκ Λαοδικείας γραφεῖσαν: οὐ τὴν ἀπὸ Παύλου πρὸς Λαοδικέας, ἀλλὰ τὴν ἀπὸ Λαοδικέων πρὸς Παῦλον. ἦν γὰρ τι πάντως ἐν αὐτῇ ὠφελοῦν Κολοσσαεῖς. hoc eſt, *non dixit epiſtolam ad Laodicenſes, ſed eam quæ ex Laodicea eſt ſcripta: non à Paulo ad Laodicenſes, ſed à Laodicenſibus ad Paulum. erat enim aliquid omnino in ea utile Coloſſenſibus.* Hæc ex Chryſoſtomi homilia in iſtum locum ſumſit Oecumenius. Idem ſentit Theodoretus commentario in hunc locum, cujus verba ſunt: *Quidam exiſtimarunt ipſum etiam ſcripſiſſe ad Laodicenſes: itaque fictam etiam epiſtolam proferunt. Divinus autem Apoſtolus non dixit eam quæ eſt ad Laodicenſes: ſed eam quæ eſt ex Laodicea. Illi enim de aliqui-*

bus

bus rebus ad illum scripserant. Verisimile est autem eos vel ea accusasse quæ fiebant Colossis, vel eodem morbo cum eis laborasse. Et ideo dixit hanc quoque epistolam eis esse legendam. Idem statuit Catharinus Papista in explanatione hujus loci. *Tertiò* negamus, nullo modo posse haberi ex Scripturis, quæ sit illa divina Scriptura. *Quartò* epistolam ad Romanos esse verè Pauli, planum facit non tantùm titulus, sed etiam epistolæ illius exordium versibus aliquot, quod non minus est inspiratum divinitus ac reliqua epistola: item versus 15, capitis 15. Unde etiam liquet, Paulum dicere, se scripsisse ad Romanos. *Quintò* negamus epistolam ad Laodicenses quæ nunc circumfertur, esse Pauli: quia est adeò insulsa, ut nihil à Pauli spiritu magis alienum fingi queat: unde liquet esse suppositiam. Hieronymus etiam monet in Catalogo, licèt talis aliqua epistola exstiterit aliquando, explosam tamen fuisse, tanquam suspectam. Ementita illa epistola jam pridem fuit, utpote quam citet Epiphanius adversus Marcionitas. *Sextò*, negamus, Paulum dicere, se scripsisse ad Laodicenses: quia verba Pauli sunt, καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε, & epistolam ex Laodicea scriptam, ut & vos legatis. Ex hoc igitur loco probari nequit, Scripturam Sacram non esse perfectam.

65. Sunt qui putant, epistolam hanc ex Laodicea esse epistolam ad Timotheum prio-

rem: sed ii vel eâ ratione refelluntur, quòd satis appareat ex capite secundo hujus epistolæ versu primo, Paulum Laodiceam hanc non invisisse.

66. *Consectaria* partis hujus usum monstrantia.

I. Omnes libri Sacræ Scripturæ, omnes Apostolicæ epistolæ coram toto cœtu Ecclesiastico prælegi debent. Nam quod de epistola ad Colossenses Paulus præcipit, ut in Colossensium & Laodicensium Ecclesia prælegatur, idem de aliis quoque epistolis & libris intelligendum.

67. II. Sacra Scriptura in publicis Ecclesiæ cœtibus linguâ populo notâ legi debet: sicut epistola ad Colossenses lecta est linguâ Colossensibus & Laodicensibus omnibus notâ.

68. III. Apostolicæ epistolæ ad omnium Christianorum profectum pertinent: ideo ab omnibus sunt cognoscendæ. Etsi enim certis Ecclesiis seu viris semel fuerunt destinatæ: tamen perpetuam doctrinam continent & communem seculis omnibus, ac proinde ad nos etiam pertinentem. Propterea voluit Paulus epistolam ad Colossenses scriptam, legi etiam in Ecclesia Laodicensium. Idem de aliis libris Sacræ Scripturæ omnibus statuendum.

69. IV. Omnes Ecclesiæ Christi sunt unum corpus: sicut est unum verbum Dei, cujus

jus prædicatione super Christum ædificantur & inter se coagmentantur, ut sint templum sanctum Domino: sicut una est fides quam Apostoli tradiderunt, & ab omnibus Ecclesiis acceptari, custodiriq; voluerunt.

70. V. Omnes Ecclesiæ Christi, & inprimis in urbibus & regionibus vicinis, sanctum inter se consensum colere & mutuæ ædificationi studere debent, præsertim si quæ inter se habeant communia vel propter vicinitatem vel propter initam mutuam correspondentiam. Quod enim Paulus Ecclesiæ Colossensium & Laodicensium injunxit, ad omnes pertinet.

71. VI. Correspondentia mutua est Ecclesiis Christi utilis & necessaria, quâ se mutuis consiliis & auxiliis & cohortationibus aliisque modis juvent. Talem correspondentiam Paulus Colossensibus & Laodicensibus ac per consequens aliarum quoque urbium & regionum fidelibus commendavit: Neque alia nunc est hac in parte Ecclesiarum Dei ratio, quàm olim fuit.

Hucusq; de tertia Epilogi parte.

72. *In quarta parte* mandat Colossensibus, admoneãt Archippum, ut ministerium, quod acceperat in Domino, impleat. In hac parte considerandum, quis Archippus iste fuerit, & quid de eo Paulus Colossensibus injunxerit.

73. *Archippus* hic fuit Pastor Ecclesiæ Co-

losſenſis, eam gubernans dum aberat Epaphras.

74. De eò Paulus Coloſſenſibus injunxit, ut eum cohortarentur, attenderet ſibiipſi & doctrinæ & toti gregi, in quo eum Spiritus Sanctus conſtituerat Paſtorem ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam ſuo illo proprio ſanguine acquiſivit. Actor. 20. verſ. 28. 1. Tim. 4. 16. ut ſolicitè eniteretur, quò ædificaret fideles docendo, adverſus errores peſtiferos præmuniendo, corrigendo, exhortando, conſolando, idque publicè & privatim 1. Corinth. 3. v. 10. 2. Timoth. 3. 16. Actor. 20. verſ. 20. *Implere miniſterium*, eſt omni adhibito ſtudio illud exſequi & præſtare.

75. Id poterat quidem Paulus privato ſuo nomine ei cum autoritate injungere, tàquam Apoſtolus Jeſu Chriſti: verùm non uſus eſt arrogantiâ Papali, non adhibuit tyrannicum præcipiendi ſupercilium; ſed per ipſam Eccleſiam voluit eum admoneri.

76. *Conſectaria* uſum partis iſtius indicantia:

I. Unicuiq; Eccleſiæ ita proſpici debet, ut illi nunquam deſit fidelis Paſtor & miniſter, ſive peregrè abſente, ſive ægrotante Paſtore ordinario. Sic proſpectum fuit Eccleſiæ Coloſſenſium, ne Epaphra abſente & unà cum Paulo in vinculis Romæ detento, illa interea Paſtore deſtitueretur. Magna profectò eſt uniuſcu-

niuscujusq; Ecclesiæ, etiam parvæ, sive in urbe sit, sive ruri, ratio habenda.

77. II. Vicaria seu subsidiaria opera, pro ordinario Pastore vel justam ob causam absente vel ægrotante, non est detrectanda, sed studiosè præstanda exemplo Archippi, qui Pastoris absentis vices obibat.

78. III. Servi Christi, quibus primaria officia in Ecclesia Dei sunt commissa & inspectio in alios, non debent uti in quenquam arrogantiâ Pontificiâ, & superbo imperio.

79. IV. Ecclesiæ, seu nomine Ecclesiæ, presbyterii partes sunt stimulos addere Pastori Ecclesiæ, si videant non esse talem ut per se satis sit strenuus, nisi excitetur. Quod de admonendo Pastore Ecclesiæ dicitur, id etiam de quolibet alio ministro Ecclesiæ & collega Pastoris intelligendum. Has enim partes Ecclesiæ injunxit Apostolus: deinde talis admonitio majores habet aculeos, habens tot testes.

80. V. Pastorum & doctorum Ecclesiæ atque adeò omnium ministrorum Ecclesiæ officium est, videre ut ministerium, quod acceperunt in Domino, impleant. Hoc enim ipsis præceptum est ab Apostolo. *Deinde*, nisi id fecerint, pœnam & castigationem divinam non effugient; nam hoc verbum *Vide*, in ejusmodi admonitionibus, est terrentis. *Tertiò*, quia ministerium acceperunt in Domino, id

est, per Dominum: Ipse enim Dominus ministerium eis tradidit & commendavit per Ecclesiam. Huc pertinet quod legitur 1. Corinth. 9. vers. 16, 17. *Si euangelizem, non est quod glorier: necessitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi est, nisi euangelizem. Nam si volens hoc faciam, mercedem habeo: sin invitus, dispensatio credita est mihi.* Ista commonefactio omnibus Ecclesiæ ministris necessaria est: quia nunquam satis expendi potest magnitudo illius muneris, nunquam satis sedula adhiberi potest in eo præstando cura ac diligentia.

81. VI. Eorundem potestas est eximia, sed quæ legibus soluta non sit. Quocirca est etiam illorum officium, non recusare ab Ecclesia moneri & illius cohortatione in melius animari; tum quia sciunt hoc Ecclesiis esse ab Apostolo injunctum: tum quia necesse est ut se dociles præbeant, si alios probè docere, iisque rectè præesse velint; quum dextrè alios regere non noverit, qui nunquam parêre didicit & consuevit: tum quia Ecclesiæ judicium & monitum minimè est contemnendum.

82. VII. Officium Pastorum & Doctorum Ecclesiæ non est dominium: quia est διακονία, ministerium, latè sumto διακονίας nomine hoc loco, ut & Actor. 1. vers. 17. pro ὑπηρεσία, unde etiam Apostoli dicuntur ὑπηρέται Χριστοῦ *ministri Christi*, 1. Corinth. 4. vers. 1. Quapropter

propter non sunt domini Ecclesiæ, non dominantur cleris 1.Petri 5. vers.3. non dominantur fidei aliorum, sed sunt administri gaudii illorum 2.Cor.1.24.

83. VIII. Pastoribus seu ministris verbi debet Ecclesia ultrò auscultare & obtemperare: quia illi ministerium quod implent, acceperunt in Domino, id est, ipsius nomine & autoritate.

Tantum de quarta parte Epilogi: restat

84. *Quinta*, quæ est clausula totius epistolæ, continens subsignationem manu Pauli factam, postulationem precum pro se captivo, & votum pro Colossensibus.

85. Subsignatio manu Pauli facta, talis est: *Salutatio, mea manu Pauli.* Ista manus subscriptio *primò* indicat, jam tunc supposititias epistolas sub Pauli nomine volitasse, ut fraudi occurrere necesse fuerit: *Deinde* eadem cõfirmat hanc epistolam, ne quis dubitet, eam germanam ac genuinam esse Pauli Apostoli. Similis locus 1. Corinth.16.vers.21.2.Thes.3.v. 17. *Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola: ita scribo.*

86. Postulatio precum pro se captivo est in his verbis: *Memores estote vinculorum meorum.* Sic indicat, se non in levi periculo & tentatione versari: & quia erat memor humanæ infirmitatis ac quædam procul dubio documenta ejus in se sentiebat; ideo tantopere fla-

gitat ut alii fideles suæ angustiæ memores essent. Cæterùm non est hoc indicium diffidentiæ, quum præsidia voluntati divinę consentanea & à Domino destinata, sibi accersit.

87. Quin etiam ad consolationem fidelium faciebat memoria vinculorum ejus, & ad reddendos eos fortiores ad certamina pro Euangelio Christi, & ad exhortandos eos ad omnia.

88. Ad hæc reddebat eos magis familiares, ut scirent se communionem vinculorum cum Paulo habere. Quò pertinet illa hortatio Hebr. 13. vers. 3. *Memores estote vinctorum, tanquam unà cum illis vincti: eorum qui malis premuntur, ac si ipsi quoq; corpore afflicti essetis.*

89. Votum denique epistolam finit: *Gratia sit vobiscum. Amen.* Votum hoc bimembre est: primum membrum est propositio, quâ precatur fidelibus, ut gratia Dei sit cum ipsis. Optatum breve verbis, verùm animo optantis & sensu prolixum Nam hoc sibi vult Apostolus, ut gratia Dei quæ est fons bonorum omnium ac beneficiorum Dei, cum illorum omnium cumulo fideles prosequatur, sic ut nullius boni, ad salutem æternâ & hujus vitæ sustentationem necessarii, defectum patiâtur.

90. *Alterum* membrum est obsignatio voti, impressa voce Hebræâ AMEN, quâ indicat Apostolus, se toto pectore desiderare, ut votum hoc Deus ratum efficiat: & se firmam fiduciam

duciam concepisse, Deum certò votum hoc exaudivisse & impleturum.

91. *Consectaria*, quæ usum ultimæ partis epilogi continent. 1. Mundus non demum ante annos quinquaginta cœpit esse Mundus, id est, fallax, & in fallaciis confingendis versatissimus, inprimis ad seducendos simplices in religione per scripta suppositia, quæ sub Prophetarum & Apostolorum aliorumque fidorum Christi servorum & Patrum nomine circumferuntur: aut per scripta, quæ quidem olim genuina, nunc autem multis modis depravata sunt. Ita Paulo Apostolo adhuc vivente, conflictæ & sparsæ fuerunt sub ejus nomine epistolæ, quas ipse pro suis non agnovit, 2. Thessal. 2. vers. 2. Quàm multa adulterina scripta Papistæ commendant, quibus superstitiones suas tueri conantur, ut sub dibapho antiquitatis lateant! Ejusmodi sunt Canones Apostolorum, Clementis I. Episcopi Romani & aliorum Romanorum Episcoporum, qui primis seculis fuerunt, aliorum etiam Patrum epistolæ & libri integri. Quot modis falsata sint scripta Patrum & aliorum autorum ab expurgatoribus Pontificiis, testantur Indices Expurgatorii, Belgicus & Hispanicus, testantur quorundam Patrum editiones. Ita Augustana confessio initiò depravatè edita fuit, ut testatur querela confessioni jussu Principum publicatæ præfixa, his

verbis: *Hæc confessio prorsus ignorantibus Principibus, qui eam Cæsari exhibuerunt, ab avaro aliquo typographo ante semestre publicata est. Et ita excusa est ut multis in locis appareat de industria depravatam esse, &c.*

92. II. Pastorum & Doctorum Ecclesiæ munus est, providere ne suppositi tiis vel depravatis scriptis puritas doctrinæ cęlestis corrumpatur: nam etiam Paulo curę fuit, ne scriptis adulterinis aut falsatis vera doctrina subverteretur aut depravaretur.

93. III. Qui in afflictionibus versantur, Ecclesiæ Dei precibus se commendare debent, exemplo Pauli, qui postulavit ut fideles vinculorum ipsius memores essent.

94. IV. Nos vinculorum Pauli Apostoli sic memores esse decet, ut illis *primò* in fide Euangelii, quod prædicavit, confirmemur, quum non dubitaverit tam multa pro eo pati. *Secundò* ut illis doceamur, quid ferat communio sanctorum, nimirum aliorum fidelium calamitates, esse nostras calamitates, ac proinde nos illarum memores esse debere, ut qui simus ex iis qui vincti sunt propter Christum, non ex iis qui vinciunt: ex iis qui sunt afflicti, non autem ex iis qui affligunt. *Tertiò*, ut nos inde consolationem hauriamus, si propter justitiam & veritatem Dei aliquid patiamur: quum fuerit in vinculis etiam Paulus tantus Apostolus, cum quo nullo modo sumus

mus comparandi: Tum si minor sit afflictio nostra, quàm Pauli, est cur illam patienter feramus. Impeteris calumniis? exagitaris convitiis? exciperis sannis & ludibriis? jacturam facultatum aliquam feciſti? Recordare vinculorũ Pauli, & quòd nihil tale sis passus, nec adhuc patiaris. Es in egestate, in morbo, in carcere, in exsilio, in orbitate, existimans te esse à Deo desertum? In mentẽ tibi revoca vincula Pauli, & cognosces afflictiones non esse indicium desertionis divinæ. Huc pertinet illud Pauli Hebr. 13. v. 7. *Memores estote ductorum vestrorum qui locuti sunt vobis sermonem Dei: quorum imitamini fidem, contemplantes quis fuerit exitus conversationis ipsorum.* Quartò, sic vinculorum Pauli nos memores esse decet, ut illis ad studium virtutis incitemur & à peccatis abducamur; exempli gratiâ; quum Paulus propter nos & corpus dederit vinculis, cur tu pauperibus cibũ impertiri gravaris? Es elatus propter divitias, propter multorum amicitias, propter rerum bene gestarum gloriam? Recordare vinculorum Pauli, & intelliges quàm sit absurdum te in elatione animi esse. Voluptatum carnalium tenêris desiderio? Veniat tibi in mentem carcer Pauli, es illius discipulus, es illius commilito. Magister tuus, commilito tuus fuit in vinculis, & tu exhilaras te deliciis? Vis in vestitu incedere sericeo, cum monilium & pretiosorum lapidum & auri

argentiáque ornatu non necessario? Recordare vinculorum Pauli, ut par est, & ad modestiam te compone. Vis accedere domum convivii & saltationum theatrum? Recordare vinculorum Pauli, & cogita, beatiorem esse qui propter Christum gemit in vinculis, quàm qui in conviviorum & saltationum gaudiis exsultat: cogita melius esse versari propter Euangelium Christi in carcere, quàm in commessationum & tripudiorum laqueis constrictum teneri, &c.

95. V. Votorum nostrorum pro aliis summa est, ut gratia Dei cum illis sit, à qua bona omnia salutaria promanant. Eadem summa est & precum pro nobis, sicut fideles precantur Psalm. 33. vers. 22. *Sit benignitas tua, Jehova super nos; prout exspectamus te.*

96. Gratia illa Dei est benevolentia Dei quâ nos in Christo complectitur & ex qua omnia nobis bona largitur ad salutem necessaria.

97. Eaque sola est gratia nos gratos Deo faciens.

98. Non autem qualitas aliqua nobis infusa & inhærens.

99. VI. Obsignent sanctæ preces omnia nostra dicta atq; facta: sicut & Paulus epistolas suas precationibus terminavit.

100. VII. Nostræ preces ex vera fide in Christum profectę, certò à Deo exaudiuntur & implentur. Sic

Sic absolutæ sunt theses Analyticæ in epistolam Pauli ad Colossenses. Deo & Patri Domini nostri Jesu Christi sit gloria in æternum.

GRATIA DOMINI NOSTRI Jesu Christi sit nobiscum. AMEN.



DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO

THESES THEOLOGICAE

De quibus

DOMINO JESU CHRISTO
VOLENTE FAVENTE

AMANDO POLANO
A' POLANSDORF S. Theologiæ Doctore & ordinario in illustri Academia Basilienſi Profeſſore præſide

Interrogantibus ad diem 4. Aprilis reſpondit

SAMUEL AD PORTUM
BERNAS.

Anno CIↃ IↃCI.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO

THESES THEOLOGICAE.

I.

PERT animus divino favente Numine de libero hominis arbitrio Christianæ συμβιβάσεως & religiosi exercitii gratiâ quædâ in medium proponere: quum nunquâ defuerint, qui dissensiones in Ecclesia Dei excitarent & foverent, homini etiam non regenito liberum arbitrium ad bonum vendicare volêtes; etsi luctuosissimo primorum nostrorum parentum lapsu, tota posteritas peccati contagio infecta & ante gratiosam instaurationem summi boni cõmunione privata atq; spoliata sit. Agam autem primùm de *nomine*, deinde de *reipsa* nomine intellecta.

2. *Nomen* liberi arbitrii in sacris literis non reperire ajunt: quod mirum non est, cùm Latinum sit, Prophetæ autem & Apostoli atque Euangelistæ Latinè non scripserint. Usi verò sunt illi vocibus ejusmodi Hebræis & Græcis, quibus hæc complexa vox Latina respondet: cujusmodi sunt חֹפֶץ Ecclesiastæ 3. v. 1. Prov. 31. vers. 13. נֶפֶשׁ חֹפֶצָה animus voluntarius 1. Chron. 28. vers. 9. & passim לֵבָב, id est, cor, ἑκούσιον epistol. ad Philemonem v. 14. unde ἑκου-

θέως aliquid fieri dicitur, Hebr. 10. vers. 26 1. Petr. 5. v. 2. θέλημα 1. Corinth. 7. 37. Idem significatur cùm quis αὐθαιρέτως aliquid facere dicitur, ut 2. Cor. 8. v. 3. & 17. item καθὼς προῄρηται τῇ καρδίᾳ 2. Cor. 9 v. 7. quod aliàs dici solet κατὰ προαίρεσιν. Proinde etiam liberum arbitrium nihil aliud significat quàm liberam voluntatem.

Hæc de nomine: sequitur de re ipsa.

3. Liberum hominis arbitrium non est quidvis tam bonum quàm malum agendi potestas.

4. Neque facultas, quicquid velis aut instituas, perficiendi.

5. Sed est libera ab omni coactione animæ facultas, voluntas appellata: quæ judicium intellectus secuta, proposita sibi omnia tam expetenda quàm respuenda, tam fines quàm media suapte sponte aut expetit aut respuit.

6. De ejus quæritur tum natura, tum viribus: quæ distinctè explicari necesse est.

7. Ut autem hominis quadruplex distinguitur status, nimirum integritatis primævæ, peccati, gratiæ & gloriæ: ita etiam quadruplex est liberi ejus arbitrii consideratio.

8. Homo in statu primigeniæ innocentiæ verè liberi fuit arbitrii tam ad bonum quàm ad malum. Primò enim voluntas ipsius ab omni coactione libera erat: Deinde libera erat etiam ab omni necessitate, nam nihil erat, vel internè vel externè à quo aut ad malum, aut

ad

ad bonum, volendum vel faciendum cõstringeretur, neque Deus volebat, neque Angeli vel boni vel mali, neque cæli poterant illum aut ad bonum aut ad malum ulla necessitate adigere, nullaq; in eo erat prava concupiscentia naturaliter insita à qua ad peccandum vel impelleretur vel saltem alliceretur: Tertiò liber erat à corruptionis vanitatisque miseria, seu à misera corporis vitæque præsentis conditione.

9. Hinc liquet Adamum ea voluntatis libertate præditum fuisse, ut tam bonũ quàm malum, posset, si vellet, liberè eligere aut respuerè.

10. Proinde Deus autor & causa peccati minimè fuit: sed quod peccavit Adamus ex libero ipsius Adami arbitrio est profectum.

Rationes sunt manifestæ: I. quia Deus fecerat hominem rectum, ipse autem homo quæsivit ratiocinia plurima. Ecclesiastæ 7. v. 29. quem locum interpretatur Siracides cap. 15. v. 11. & sequentibus. *Ne dicas, per Dominum factum est ut deficerem; nam quæ odio habet, ea non faceres. Ne dicas, ipse finxit me; nam non habet opus viro peccatore. Ipse à principio quum fecit hominem permisit ipsum consilio ipsius*, dicens: *si voles, custodies mandata & fidem, faciendo quod placet. Apposuit tibi ignem & aquam, ad utrum volueris extende manum tuam. Coram hominibus* (id est, coram humano genere in Adamo) *est vita & mors:*

Et utrumcunque placuerit, dabitur ipsi.

II. quia Dominus non dedisset ei Legem, si ad ejus observationem vel transgressionem non fuisset liber. III. quia comminatio Legi primæ addita non fuisset, si liberum non fuisset Adamo Legem servare vel non servare.

11. Ex his manifesta est natura liberi arbitrii in Adamo integro, quòd fuerit illud immune ab omni coactione, ab omni etiam necessitate peccati & conditionis miseræ.

12. Quòd secundo loco vires liberi arbitrii in Adamo integro attinet, erat quidem Adamus ad omnia ea præstanda quæ ipsius naturæ integræ congruebant, idoneus: reipsa tamen nihil eorum præstare ipse poterat, sine auxilio gratiæ æterni illius SERMONIS inde à principio cum PATRE & SPIRITU SANCTO operantis, moventis, confirmantis & ad opus provehentis. Coloss. 1. vers 17. *Estq; ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt.* Hebr. 1 v. 2,3. *Per quem etiam mundum condidit. Qui quum sit effulgentia gloriæ, & character personæ illius, sustineatq; omnia verbo illo suo potente.* Actor. 17. vers. 25. *Quum ipse det omnibus vitam & halitum & omnia.* & vers. 28. *In ipso vivimus movemur & sumus.*

13. Gratiam verò seu adjutorium ut posset Adamus bonum perpetuò facere & in eo perseverare, si vellet, habebat: sed non habuit velle, quod posset, nam si habuisset, perseveraſſet. Potuisset etiam perseverare, si voluisset: quod

quod ut nollet, de libero descendit arbitrio, quod TUNC ita liberum erat, ut bene velle posset & malè.

Hæc fuit natura, hæ vires liberi arbitrii hominis in statu primordialis integritatis.

14. In cęteris statibus, nempe peccati, gratiæ & gloriæ, liberum arbitrium, si naturam ejus spectes, est & erit semper immune ab omni coactione, sicut fuit ante lapsum. Hoc enim est ei essentiale, ac proinde etiam perpetuum, sic ut etiam post lapsum homo quantumvis nõ regenitus nõ amiserit libertatẽ à coactione, sed eam inamissibiliter retineat, alioquin eâ sublatâ voluntas nõ ampliùs esset voluntas.

15. Non consistit autem libertas arbitrii post lapsum in eo ut homo sit ęquè tam ad bonum quàm ad malum eligendum liber. Nam etsi libertas à coactione sit perpetua: tamen libertatis à necessitate est alia ratio.

16. Quæ certiùs intelligetur præmissâ distinctione rerum & actionum, gratiæ item & potentiæ. Rerum & actionum aliæ sunt *corporales*, aliæ *spirituales*. *Corporales* voco, quę ad terrenam corporis vitam relationem habent. Suntq; vel *naturales*, quæ omnibus sunt communes animantibus, ut edere, bibere, dormire, ambulare, & cæteræ quæ ad vitam animalem pertinent: vel *civiles atque morales*, quæ ad humanam societatem & Oeconomiam politiamq; spectant, ut emere, vendere, jus dicere, militare, artes & scientias discere. *Spirituaz*

les res & actiones appello, quæ ad regnum Dei vitamque Christianam & verè beatam pertinent: cujusmodi sunt, resipiscere à peccatis, & ad Deum se convertere, credere in Deum, opera verè bona facere ex norma Legis divinæ, &c.

17. *Gratiæ* nomine hîc intelligitur auxilium seu adjutorium Dei. Estq; vel *communis* renatis & non renatis: vel *propria* solis renatis. *Illa* rursus duplex est, vel *generalis* motio & actio divina quâ unumquodq; secundùm suam naturam, movetur & agitur; à Scholasticis vocatur superfluxus generalis, ab aliis actio omnipotentiæ: vel *specialis* effectio per spiritum Dei donorum ad gubernationem & societatem hominum necessariorum; è cujusmodi gratia seu auxilio promanarunt in Saule ea dona quibus in virum alium mutatus est, irruente super eum Spiritu Jehovæ 1. Sam. 10. v. 6. hoc est, induente illum donis prudentiæ, fortitudinis, autoritatis & aliis ad obeũdum regium munus necessariis; qualibus etiam ornavit Deus Cyrum, Alexandrum Magnum, Julium Cæsarem, Augustum Cęsarem & alios fideles & infideles. Gratia solis renatis *propria* est quâ illi ad vitam sempiternam regenerati & bonæ arbores facti, bonos Deoq; placentes fructus ferunt: de qua Johan. 15. v. 5. *Sine me (seu seorsim à me) nihil potestis facere.* 1. Corinth. 15. v. 10. *Gratiâ Dei sum id quod sum: & gratia ejus, quæ in me est, non fuit inanis, sed ampliùs quàm illi omnes laboravi:*

laboravi: non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecũ est.

18. *Potentia* deniq; quâ quis dicitur posse aliquid, duplex est, *passiva* & *activa. Illa*, est quâ quis aptus est ad opus aliquod, etsi actu id nõ præstet: *Hæc verò*, est quâ quis actu aliquid præstare potest.

19. His distinctionibus positis, de singulis statibus hominis post lapsum rectiùs pronunciari potest. Homo tam nõ renatus quàm renatus habet potentiam passivam intelligendi atq; eligendi omnes res & actiones tam spirituales quàm corporales, tam bonas quàm malas.

20. Si verò activam potentiam intuearis; homo tam renatus, quàm non renatus, in rebus actionibusq; naturalibus nihil quicquam intelligere & eligere potest sine generali Dei auxilio, nec quicquam aliter, nec plus aut minus quàm Omnipotenti visum est. Prov. 16. v. 1. *Penes hominem sunt acies cogitationum cordis, sed à Jehova est sermo linguæ.* Act. 17. v. 2. Quanquam hoc discriminis est inter renatum & nõ renatum, quòd hic in his faciendis semper peccet, ille verò non item.

21. In rebus verò actionibusq; civilibus uterque tam renatus quàm non renatus, etsi nonnulla ex solo generali Dei auxilio intellectu assequi & voluntate eligere & facere possit Roman. 2. v. 14. *Gentes quæ Legem nõ habent, naturâ quæ legis sunt faciunt:* tamen ad disciplinas ipsas, scientias & artes capessendas specia-

li Dei auxilio, sine quo illas per sese percipere & consequi non licet, utriq; opus est.

22. In moralib. homo non renatus, etiamsi cognoscat quid persequendũ quídve fugiendum sit; velle tamen alterutrum facere non potest, nisi Deus voluntatem à malo ad bonum inflectat; sic ut actiones non renatorum quæ extrinsecus bonæ censentur & virtutes morales nominari consueverunt, singularia sint Dei dona: ipsis etiam renatis ad multas virtutes morales atq; politicas, ut fortitudinem heroicam etiam ad profundendum pro Christo sanguinem, affabilitatem, diligẽtiam in officio, cõstantiam in amicitia, parcitatem in loquendo & alias necessaria est præter gratiam regenerationis singularis Dei gratia atq; beneficium.

23. Hîc tamen non negligendum est, quòd sicut auxiliũ Dei efficacius est in renatis, quàm in non renatis: ita etiam in illis veræ virtutes sunt, in his autem duntaxat simulacra quædam aut larvæ potiùs virtutum.

24. In spiritualibus deniq; rebus & actionibus homo nõ renatus ut suis viribus & sine gratia regenerationis salutariter quicquam cognoscere; ita ullum verè bonum opus aut velle aut efficere non potest: Proinde non solùm quicquid vult & agit, peccatum est: sed etiam nulla prorsus vel minima vis ei relicta est ad sui cõversionem & regenerationem vel per se efficiendam vel simul cum Deo operandam

dam vel saltem volendam. Rom. 9. v. 30. *Gentes quæ non sectabantur justitiam apprehenderunt justitiam.* & cap. 10. v. 20. *Inventus sum ab iis qui me non quærebant: conspicuus factus sum iis qui de me non interrogabant.* Sic ut merus sit Pelagianismus, quod Papistæ comminiscuntur de viribus liberi arbitrii sopita & impedita in nondum renatis, quæ accedente Spiritus Sancti auxilio excitetur.

25. Homo autem qui regenerationis consequitur benedictionem aliter se habet in principio regenerationis, aliter in progressu & fine. Nam quod ad principium attinet, habet se purè passivè, ut subjectum δεκτικὸν, non autem ut αἴτιον ἐνεργητικὸν vel συνεργητικὸν, adeo ut ne ipsum quidem velle regenerari ab ipsa voluntate immediatè eliciatur, sed per Dei gratiam in ipsa efficiatur. Philipp. 2. ver. 13. *Deus enim is est qui efficit in vobis & velle & efficere, pro gratuita sua benevolentia.*

26. Jam verò regeneratus ac proinde in progressu & fine regenerationis & passivè se habet recipiens continuationem gratiæ; & activè, receptâ gratiâ ipse quoque bonum volens & faciens. Proinde nisi novo & continuo Spiritus Sancti auxilio adjuvetur, quo regeneratio inchoata perpetuo ἐνδελεχισμῷ perficiatur; non potest aut vitare peccata, aut bona præstare opera.

27. Imò quum regeneratio hîc non uno momento, sed paulatim perficiatur, ac dum

in hoc corpore est corruptionis nativæ reliquiæ maneant; non potest in seipso aut omnia peccata vitare, aut totâ Legem perfectè quo ad partes & partium gradus implere: nec potest majorem gratiæ regenerantis amplitudinem & perseverantiæ donum mereri.

28. Quanquam verò gravissimè interdum peccare potest & proinde mereri, ut penitus à Spiritu Sancto deseratur, & omnem prorsus amittat fidem & gratiam: tamen propter infallibilem Dei promissionem Jerem. 32. vers. 40. *Pangam ipsis fœdus perpetuum, fore ut non avertam me à prosequendis ipsis, benefaciendo ipsis: & reverentiam mei indam animo ipsorum ut non recedant à me.* Johan. 14. v. 16. Rom. 8. v. 38, 39. & propter Christi intercessionem Luc. 22. vers. 32. *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Joh. 17. v. 24. penitus à Deo deficere, à Spiritu Sancto deseri, fidemq; & gratiam amittere non potest. Proinde etiam donum perseverantiæ ad finem usque non ex sese, sed ex gratia regenerationis habet.

29. Ex his manifestum est quòd homo non renatus seu in statu peccati habeat quidem liberum arbitrium, sed tantùm ad malum seu ad peccatum, à quo quia captivum tenetur, etsi quoad coactionem liberum est, tamè quoad necessitatem, servum est peccati, nisi à Filio Dei liberetur.

30. Renatus autem qui est in statu gratiæ, ex parte est liber ad bonum propter Spiritum;

tum; ex parte non liber, propter carnem Roman. 7. Gal. 5.

31. In ſtatu denique gloriæ liber erit, ſed tantùm ad bonum. Etſi enim naturâ ſuâ malum velle & facere poſſet: tamen à gratia quâ confirmabitur hoc habebit, ut non ampliùs ſit malum voluntate appetiturus & electurus vel opere facturus; eritq; verè ἰσάγγελος, verè libero arbitrio utens, ut imaginem Dei plenè inſtauratam in omne ævum geſtet.

DOMINO JESU CHRISTO LIBERATORI NOSTRO SIT Gloria. Amen.

ELEGIDARION

AD ORNATISSIMUM, ET DOctiſsimum DN. Reſpondentem, Cognatum ſuum charisſimum.

GRæcia Chryſippo circumdet tempora Lauro,
Et premat Eudoxo frunde virente comas.
Doctus in Elyſio ſummo celebretur honore
Orpheus, ingenio notus ad aſtra ſuo.
Ipſaq; Muſæi Muſis regina colatur,
Et gerat Aonii ſceptra Camœna chori.
Quis non Mœonii divina volumina Vatis
Credidit aëriis nunc reſidere polis?
Et quis non ſtupuit veteris monumenta Sybillæ
In Capitolinis condita marmoribus?

Aut quod Hyantæas aut quod propè Phocidas undæ
Mugit arcano carmine lusus erat?
Murmura Ethruscorum cedant, cedantq; camœnæ
Cedat sublimis Spiritus ingenii
Sanctior æthereis mens nobis labitur astris
Sanctior in nostris vox resonatq; Scholis.
Hicq; Sioneæ Leges, divinaq; Vatum
Et Pauli, & Petri scripta legenda patent.
Hic puri latices, hic flumina viva bibuntur,
Necq; lues fictâ religione latet.
Hic pictas facies, & sævos flaminis æstus
Romani, & rapidi noscimus ora Lupi.
Quem modò Salmoneum fingebat Scena furentem,
Jam chlamyde involvit spretus ubiq; caput.
Quiq; sagittiferum quassaverat Herculis arcum
Dicitur obscuro delituisse solo.
Quas furor inventos aut quas evanuit auras
Verronis stygios pulsus aduscq; lacus.
Non tulit has furias Genitor tuus, inclyta Bernæ
Gloria, & Helvetici faxq; decusq; soli.
O tanti, Samuel dilecte, simillima proles,
Indue defuncti protinus arma patris.
Non fers dissimiles animos majoribus aude
Et patri, & charis fratribus ire comes.

J. Jacobus Grasserus
Poëta L.

THE-

THESES THEOLOGICAE
De
PERSEVERANTIA SANCTORUM ET ELECTORUM IN FIDE,
Quas,
Favente Sacrosancta Triade,
Sub præsidio
REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI,
Dn. AMANDI POLANI A' POLANSDORF, SS. THEOLOGIAE IN CELEBERRIMA BASILIENSIUM Academia Professoris ordinarii, ac pro tempore Magnifici Rectoris,
Ad 13. diem Junii in augustissimo Theologorum auditorio,
Publicè examinandas proposuit,
DAVID VVIRTZIUS,
BERNAS.

Anno cIↃ IↃ cI.

AMPLISSIMIS, MAGNIFICIS, ET VIRTVTE, PRVdentia, auctoritate præstantissimis viris,

Dn. Joanni Rudolpho Sagero } Consulibus
Dn. Alberto Emanueli }
Dn. Abrahamo à Graffenried primario Scholarchæ } Scholarchis
Dn. Michaëli Augspurgero Quæstori }
Dn. Anthonio à Graffenried Tribuno plebis }
Dn. Vincentio Dachselhofero Quęstori. }

Inclytæ Reipub. Bernensis proceribus, Dominis meis gratiosis:

NEC NON

REVERENDISSIMIS, CLARISSIMIS DOCTISSIMIS Q. VIRIS,

D. Samueli Nivino } Ministris Ecclesiæ Bernensis vigilantissimis,
Dn. Joanni Crasso }
Dn. Christophoro Luthardo }

Totique Clarissimorum & doctissimorum virorum, Pastorum atq; Professorum Ecclesiæ & Scholæ Bernensis Collegio ornatissimo, Dominis, Patribus & Mecœnatibus omni observantiæ genere colendis,

GRA-

GRATIAM ET PACEM PER JESUM CHRISTUM PRECOR.

SI ulla pars doctrinæ Christianæ ab hæreticis hodie, Amplissimi Domini, & Patres Patriæ dulcissimæ observãdi, hæc certè, quæ est, De perseverantiæ Sanctorum & Electorum in fide salvifica, hostiliter oppugnatur. Nec difficile est causam hujus oppugnationis videre. Cùm enim hæc pars doctrinæ πρέλιον contineat salutis, & felicitatis nostræ: ideo Diabolus summè ei invidens, obliquis quasi cuniculis illam labefactare, & pansis quasi impudentiæ velis evertere conatur. Quapropter de perseverantia Sanctorum in fide, hasce Theses conscribere mihi visum est: tum ut piam hanc doctrinam mihi magis familiarem efficerem, tum ut in posterum quoque fideles mentes contra dubitationes, & hæreticorum novorum corruptelas ac blasphemias per Dei gratiam munirem. Vobis autem, Mecœnates, eas dedicare offerreque institui, ut meum erga V. M. studium & debitam observantiam declararem. Accipite itaque hanc animi mei testificationem serena fronte, & me alumnum vestrum, omni præsidio, si nunc gratia Vestra sinistris suspicionibus excidat, orbatum, Vobis Vestræque benevolentiæ deinceps commẽdatum habete. Deum Opt. Max. fontem omnis boni oro, ut vos, Amplissimi Mecœnates, Ecclesiæ pios nutritios, divina sua providentia diu incolumes florentesque tueatur, regat, protegat, & subinde similes vestri heroas, generi humano salutares excitet. Scriptum

Basileæ, 8. Junii, Anno Christi

1601.

V. Amplit. & Magnif. toto animo & pectore addictiss.

DAVID WIRTZ.

THESES THEOLOGICAE,
De
Perseverantia Sanctorum & Electorum in Fide.

CVM σαφήνεια sit omnis λέξεως, quinimò disputationis cujusque ἀρετή, Aristot. 3. Rhet. 2. ideo hujus difficillimæ quæstionis, *An Sancti & Electi Dei perseverent in Fide?* ut tota disputatio perspicuè proponi possit, tam ὑποκείμενον, quàm κατηγορούμενον distinguemus. Siquidem omne πολλαχῶς λεγόμενον, ἀσαφές. 1. de Cæl. cap. 11. t. 110.

I.

SAnctus itaque in Scripturis dicitur duobus modis: vel absolutè, vel modo quodam. Absolutè, Deus non tantùm sanctus, Levit. 11. 44. Jos. 24. 19. Psal. 145. 18. Esa. 6. 3. Apoc. 4. 8. Sed etiam solus sanctus appellatur, Apoc. 15. 4. quia solus est causa & fons sanctitatis omnis, quæ in creaturis conspicitur. Sanctitas enim est ex numero eorum attributorum Dei simplicium, quæ sui creatam similitudinem, in creaturis admittunt.

2. Quodam modo, dicitur sanctus, vel creaturæ quædam. Christus, dicitur Sanctus, tùm quoad naturam humanam, tùm quoad totam personam θεανθρώπου. Quoad naturâ humanam

manam dicitur sanctus, quia de Spiritu Sancto conceptus est. Matth. 1. 18. 20. Luc. 1. 35. Quoad totam personam θεάνθρωπος, potest vocari sanctus, 1. Johann. 2. 20. quia etiam Unctus dicitur à Deo, tùm ad officium Propheticum, Esa. 1. 1, 2. tùm ad Sacerdotale, Hebr. 3. 2. & 5. 1. & 5. Psal. 110. 5. tùm deniq; ad Regium, Psal. 2. 6. & 45. 7. 8. Hebr. 1. 9. Unctio autem cum Sanctificatione coincidit.

3. Creaturæ sanctæ, sunt vel *Angeli boni*, vel *Homines*. Angeli boni sunt sancti, quia in ea sanctitate creati, & confirmati; quia filii Dei; tùm ob alias causas, de quibus in loco de Angelis agitur.

4. Homines sancti dicuntur, vel quia pertinent ad sanctum populum, cum quo Deus fœdus iniit, se semper ex illis aliquos convertere, & vera sanctitate donare velle: ita multi vocantur sancti, qui tamen interiori sanctitate carent. Rom. 11. 16. 1. Corinth. 7. 14. Deut. 14. 21. Vel, quia per imputationem sanctitatis Christi, sancti facti sunt. Tales sunt electi. Joh. 17. 17. 1. Corinth. 1. 30. Et hi vel considerantur, ut jam mortui sunt, & in Christo, sub spe certa resurrectionis, ad gaudia vitæ æternæ obdormierunt. Johan. 17. 24. 2. Corinth. 5. 8. Apoc. 7. 9. Et 14. 13. Vel ut in hac militante Ecclesia vivunt. Rom. 1. 2. & 12. 13. & 16. 15. Eph. 5. 3. Philip. 1. 1. 1. Corinth. 1. 2. & 6. 1. 2. Corint. 13. 12. De his solis sanctis nobis in præsentia est sermo.

5. Similiter *Electi* duob. modis in scriptura sacra dicuntur: vel dũtaxat ad munus aliquod obeundum, è reliquo hominum genere separati: ut Saul, ad munus regium. 1. Sam. 9. 2. Et 10. 24. Judas, unâ cum reliquis ad Apostolatum. Luc. 6. 13, 14. & 16. Johan. 6. 70. vel ad peculiaria Christi beneficia participanda & degustanda. Et hi iterum, vel *generaliter* Electi vocantur, vel *specialiter*. *Generaliter* electi sunt, quos Deus præ reliquis populis selegit, quibus voluntatem suam (multis n. gentibus id non datur, Esa. 52. 15. Et 55. 5. Et 65. 1. Oseæ 1. 10. & 2. 23. Actor. 4. 16. Et 17. 30. Rom. 16. 25. Coloss. 1. 26. Eph. 2. 12. & 5. Psal. 147. 19.) patefaceret. Quales olim Israëlitæ fuerunt, Deuter. 4. 37. 40. Et 7. 8. 9. 1. Reg. 8. 33. Specialiter electi sunt, qui ex illa gente, cui revelatum est brachium Domini, vel etiam aliunde ad vitam æternam præteritis aliis ordinati sunt.

6. Electi specialiter ad vitam æternam, dupliciter considerantur: vel adhuc in statu corrupto, vel in statu instaurato. In statu corrupto electi sunt, quos Deus decrevit quidem justificare, & glorificare, eoque illis bene vult, sed adhuc prorsus impii sunt, & rerum divinarum imperiti, instar auri rudis, & nullo modo defæcati. Talis fuit Paulus, dum persequeretur Ecclesiam. Actor. 8. 3. & 9. 1. Et 22. 4. 5. & 26. 10. 1. Corinth. 15. 9. Gal. 1. 13. Philip. 3. 6. 1. Timoth. 1. 13. Talis quoque latro ante Crucem, immò & in ipsa cruce ante mortem. Matth. 27. 4.

27.4. & omnes Electi antequam vocentur. Ephes.2.v.23.

7. Electi in statu instaurato sunt, qui jam ex peccatoribus sunt justi, & sancti facti, per gratiam Dei. Et hi duplices: vel in statu inchoato, vel in perfecto. In statu inchoato sunt, in quibus inchoata quidem est regeneratio & sanctificatio, atque obedientia, sed tamen cum multis adhuc reliquiis peccati: instar auri, quod cœptum quidem est purgari, sed nondum purum putum effectum est. Tales sunt electi omnes, quamdiu hîc vivunt. Coloss.3.10.Ephes.4.23. Vide & Rom.7 15,16, 17. In statu perfecto Electi sunt, in quibus jam perfecta & confirmata est regeneratio & sanctificatio. Tales sunt & erunt omnes electi, in futura vita: instar auri defœcatissimi, & puri puti effecti. 1. Johan.3.2. 1.Corinth.15.49. In hac præsenti quæstione, qua quæritur, An Electi perseverent in fide? intelligimus duntaxat, Electos ad vitam æternã, in statu instaurato, inchoato.

8. Expositâ homonymiâ τῆς ὑποστάσεως: sequitur enucleatio τῆς κατηγορουμένης. *Fides* igitur (ut reliquas hujus vocis significationes huc non pertinentes omittam) duobus modis sumitur: Vel pro doctrina Euangelii. Rom 1.5. Ephes.4. 5.1. Timoth.1.19. Vel specialiter pro fide salvifica, & justificante. Eph.2.vers.8.Roman.3.28. In hac fide justificante duo consideranda sunt: tum habitus fidei, tum actus.

Habitus est ipsa virtus fidei, quæ nobis à Deo donatur. Eph. 2. 8. Actus est ἐνέργεια, prodiès ab ista virtute, quatenus denotat ipsam apprehẽsionem Christi. Actor. 20. 21. Joh. 17. 8. 1. Joh. 5. 5. Fides enim in homine sancto non est otiosa, sed energetica, exerens sese, & foras per bona opera prorumpens. Matth. 13. 23. 1. Joh. 5. 1. 1. Thes. 1. 3 Jacob. 2. 21. Unde etiam hæc fides efficit, ut justificemur, id est, ab hominibus justi agnoscamur, & pronunciemur. Jacob. 2. 24.

9. Perseverantia itidem bifariam intelligitur. Vel enim est continua, & nunquam planè interrupta: Vel interdum quidem interrupta, continuata tamen: id est, iterum resumpta, & ad finem perducta. Neque verò perseverentia desinit esse perseverantia, etsi sit interrupta. Quia etiam physicis, motus non propterea motus non est, quia interdum actio ejus interrupta est.

10. His ita distinctis, facilis est ἀνάλυσις hujus quæstionis theologicæ: *An Sancti, & Electi ad vitam æternam, in statu instaurato inchoato, perseverent in fide?* Si enim intelligatur quæstio, de perseverantia continua, asserimus, electos ad vitam in hoc statu inchoato nonnunquam nõ perseverare in fide, pro doctrina sumta. Quis enim nescit, electos Dei, vel tempore persecutionis, vel aliarum tentationum, interdum non audere publicè profiteri doctrinam & religionem veram, idq; ex infirmitate? Quod magnum

magnum est peccatum : cùm oris confessio quoque ad veram requiratur fidem. Rom.10. vers.9. Matth.10.v.32. Ita Petrus Christum ex metu ter abnegavit. Matth.26.70.

11. Asserimus etiam, interdum non perseverare in fide salvifica: Quatenus scil. actum fidei, apprehendêtem Christum, ut benignum Mediatorem consideramus. Quod sic fit. Ubi electi grave aliquod peccatum admiserunt contra legem Dei, graviter quoq; Christum offendunt. Christus offensus, effecta misericordiæ mutat in effecta cujusdam odii : non quidem in ipsos fideles, sed in ipsorum scelera : Idque tùm intus, tùm foris. Intus, quando facit eos sentire accusantem conscientiam, & testantem, iratum esse Christum, seque reos mortis suo peccato esse factos. Foris, cùm iram ejus erga se, externis corporis castigationibus experiuntur. Et huc usque possunt dici non perseverare in actu fidei justificâtis, Christum appræhendentis. Ad tempus id tamen. Suggerit enim Dominus & pœnitentiam & reliqua media, per quæ iterum redeatur ad actum istum fidei.

12. Quatenus etiam actum fidei sumimus, pro fide exserente sese foras per bona opera, etiam interdum non perseverare electos, affirmamus, idque hoc argumento. Qui interdum graviter peccant, ii eo tempore nō perseverant in actu fidei exserentis sese per bona opera. At Sancti electi ad vitam æternam in

ſtatu inſtaurato inchoato interdum graviter peccant. Ergo, &c. Majorem probamus. Quia contraria à contrariis impugnantur, infirmãtur, & interrumpuntur. Fidei autem actui, adverſantur, omnia peccata, ſive ea ſint omiſſionis, ſive commiſſionis: Quippe quorum radix eſt infidelitas. Proinde dum homo peccat, eo tempore opera bona peragere nequit.

13. Minor hujus argumenti demonſtratur. I. Quia electi Dei in ſtatu hujus vitæ inſtaurato inchoato conſtant carne & Spiritu. Sæpè non quod volunt, hoc agunt, ſed quod oderunt, hoc faciunt. Rom. 7. 16 id eſt, non faciunt bonum, quod volunt, ſed malum, quod nolunt, hoc agunt. verſ. 19. II. Quia hæreditarium morbum originis, ipſi quoque electi habent. Eph. 2. 3. Non poſſunt igitur (quâ tales) ferre fructum bonum. Quia arbor mala, tantùm malum fert. Matth. 7. 18. III. Quia David Pſal. 51. verſ. 11. poſt admiſſum adulterium, petit à Deo, ſibi Cor mundum creari, & Spiritum firmum intra ſe renovari. Nunquam autem hoc petiiſſet ſi nullo pacto Spiritum ſuum infirmatum, aut Cor ſuum pollutum fuiſſe agnoviſſet. Quis enim petit à Medico curari, ſi nullum morbum ſentiat? Sic etiam Petrus, jam poſt acceptum S. S. non recto pede inceſſiſſe dicitur. Gal. 2 v. 11, 12, 13.

14. Fuit de actu fidei juſtificantis. Habitum autẽ fidei juſtificantis, cùm ſit proprium to mo-

quarto modo sumptum electorum Dei, Tit. 1. v. 1. 2. Thes. 3. 2. Electi, nunquam interrumpunt (non quidem ex se, sed ex gratiâ Dei) Quia alioquin ne electi quidem essent. Proprio enim sublato, res ipsa quoque tollitur. Alii hunc habitum fidei vocât fidem in esse suo consideratam: actum verò fidei, fidem secundùm gradus.

15. Fuit responsum ad quæstionem hanc controversam: Si ea intelligatur de perseverantia continua, & non interrupta. Si verò quęstionem eandem intelligas de perseverantia, interrupta quidem aliquando, sed tamen finaliter continuata: tum Christiana, & scripturis consona responsio ad quæstionem est hæc: Sanctos electos Dei ad vitam æternam, in statu hujus vitæ instaurato inchoato, nunquam posse finaliter excidere à fide: sed potius, perseverare in eadem fide totaliter, seu ad finem.

16. Ut autem pateat scripturis consonam esse hanc responsionem, ad probationem ejus, ex eadem sacra scriptura, firmissima proferemus argumenta: & deindè συντόμως BELLARMINI probationes contrarias excutiemus.

17. Prima ratio. Deus est immutabilis. Malach. 3. 9. & eorum quæ dixit servantissimus. Exod. 34. 5. Promisit autem hanc perseverantiam totalem omnibus electis in fide. Esai. 54. 10. & Esa. 46. 4. 2. Sam. 7. 14, 15. Psalm. 89. 34.

Matth.12.20. Eam igitur Electis præstat, ac præstabit.

18. Secunda ratio. Qui ædificatur supra petram, perseverat in fide finaliter. Omnes electi ædificati sunt super petram. Ergo. Major tum per Metaphoram, tum propriè exprimitur. Per Metaph. Matth.7.v.24. 25. Matth.16. 18. Luc. 6. 48. Propriè verò, Rom.8.vers..35. MINOR est Matth. 16. 18. Quemadmodum enim arca de lignis quadratis construebatur: ita & Ecclesia de sanctis constituitur. Quadratum in quamcunq; partem posueris, firmiter stat: Et Sancti in quibuslibet tentationibus, stabiles permanent. August.

19. Tertia ratio. Quod Christus à Deo pro electis petiit, id nūquam electis denegabitur. At ut perseverēt finaliter in fide, petiit. Electi igitur finaliter perseverant in fide. Major, etsi de ejus veritate nulli Christiani, imò ne Jesuitæ quidem dubitent, probatur ex loco Joh.11. v.42. Minor est Luc.22. vers.32. Joh.17.v.20. Adeò autem hæc petitio solida est, ut Christus apertè dixerit, impossibile esse, quin electi finaliter perseverent. Matth.24.v.24. Sunt enim oves ejus, quas nemo rapiet. Joh.10.29.

20. Quarta. Quia electionis decretum est firmum & immutabile. Proinde & electi ad vitam æternam, in statu regenerationis inchoato, nunquam finaliter deficiunt, sed dono perseverantiæ ornantur. Quod videns Johan.1.Eph.3.v.9. dicit, semen illorum manere in eis:

in eis: id est, Spiritum S. nunquam ab illis discedere, sed manere cum eis εἰς τὸν αἰῶνα. Joh. 14. vers. 16.

21. Fuerunt argumenta nostræ sententiæ adducta. Videamus cursim, quid Bellarm. contrà ex scriptura proferat. Nam rationes ejus tanquam in scriptura non fundatas, meritò rejicimus. Is igitur Thom. 3. lib. 3. de justif. cap. 14. profert duodecim scripturæ loca, & octo exempla, quibus probare conatur, Electos Dei posse finaliter excidere, seu non finaliter perseverare in fide salvifica. Omnia autem tam testimonia, quàm exempla, vel ἀκριβείᾳ, vel ὁμωνυμίᾳ laborant; vel impertinenter allegantur, ut jam videbimus.

22. Primus locus adducitur, Ezech. 18. ver. 26. Cum quo conjungo etiam tertium testimonium quod adfertur ex Johan. 15. ver. 2. Sed impertinenter ista duo adducûtur à Bell. Nam intelliguntur tantùm de opinione sua justis & palmitibus, quales sunt hypocrytæ Matth. 9. 13. non autem de verè justis & verè palmitibus. De quibus scriptura aliud, quàm Bell. testatur. Psal. 1. ver. 3. & 112. 6 Johan. 15. vers. 2, 3, 5.

23. Secundus locus à Bell. ex Luc. 8. v. 13. adductus, laborat ὁμωνυμίᾳ vocis Credendi (fides enim historica duntaxat seu temporaria, non verò salvifica intelligitur ibi) laborat etiam fallaciâ Consequentis. Omnis enim electus ad vitam, & verè sanctificatus, cum gau-

dio suscipit verbum Dei, & gustavit verbum Dei. Sed non contrà. Nam & reprobis id competit. Atq; eâdem fallaciâ Conseq. laborat locus decimus ex Hebr. 6. vers. 4, 5, 6. & duodecimus ex 2. Pet. 2. 21, 22. à Bell. adductus.

24. Quartus locus Matth. 24. vers. 12, 13. allegatur impertinenter. Nam non agit de Electis ad vitam æternam, qui & ad finem perseverant. Jerem. 32. vers. 40. Oseæ 2. 18. Joh. 4. vers. 14 & nunquam quoque eorum charitas totaliter refrigescit. Semper enim viva fides, per charitatem est efficax. Gal. 5. v. 6.

25. Quintus locus 1. Cor. 9. v. 27. laborat ambiguitate vocis Reprobi. Reprobatio enim vel opponitur Electioni. Et sic nunquam electi metuere debent, ne fiant reprobi. Vel τὸ δοκιμῳ, puro & sincero. Et sic metuere debēt, ne scilicet impuri & non sinceri inveniantur in officio suo. Quod metuebat Paulus. Damus enim, electos interdum non sincero pede incedere. Gal. 2. vers. 11, 12. Sed quid hoc quæso ad præsentem quæstionem?

26. Sextus locus Gal. 5. vers. 4. impertinens quoq; est. Quia tantùm de reprobis intelligitur à gratia, id est, ab Euangelio ante recepto, prolapsis. Quæstio autem de electis est, & verè ad vitam sanctificatis.

27. Locus septimus, Octavus, & Nonus, ὁμωνυμίᾳ vocis fidei laborat. Putat enim Bell. ibi pro justificante fide accipi hanc vocem, cùm tamē pro doctrina Euangelii accipiatur.

Simili-

Similiter quoq; locus vndecimus ex Hebr. 10. v. 26. allegatus, non de Electis, sed de impiis apostatis intelligẽdus est, qui ab Ecclesia Christi deficiunt: In qua Electi finaliter permanẽt.

28. Fuerunt loca scripturæ à Bell. producta: Sequuntur octo Exempla: in quibus, mirum quantum Bellar. ineptiat. Vnde enim quæso nobis probare potest, Saulem, Simonem magum, & Judam proditorem, & electos fuisse ad vitam æternam, & fidem justificantem habuisse, proinde eam amisisse? Vnde quoq; probabit Davidem, Salomonem & Petrum, totaliter amisisse fidem justificantem, & in ea finaliter non perseverasse? Nunquam certè id vel ipse, vel quispiam alius de grege hæreticorum evincet.

29. Duo exempla priora, de Diabolis, & de primis Parentibus nihil ad quæstionem faciunt. Nam quæstio est: An Sancti sanctificati, & electi ad vitam æternã, in statu regenerationis instaurato inchoato, penitus à fide deficere possint? Quid verò horum vel de Angelis lapsis, vel de primis Parentibus affirmari potest? Angeli mali nec homines sunt, nec electi, nec fidem justificantem unquam habuerunt, vel habere potuerunt, nunquam etiam post regeniti sunt. Primorum quoq; Parẽtum exemplum, quia in statu integritatis considerantur, etiam huc nõ facit. In quæstione enim proposita, de hominibus post lapsum jam regenitis, sermo est. Quod primis parentibus,

ſicut Bellarmin. conſiderat, nullo modo competit.

30. Quare quod Bellar. d. l. 3. de Juſt. c. 14. miratur, nos potius meritò mirari ſciat: cùm Scripturæ teſtimonia tam multa & tam perſpicua ſint, quibus probatur perſeverantia hominum electorum finalis, potuiſſe in mentes hominum tam craſſum errorem cadere quo docetur, Electos ad vitam poſſe finaliter deficere à fide juſtificante.

Πορίσματα.

I. Homo Chriſtianus, & quiſq; electus, de ſua ſalute certò perſuaſus eſſe debet: non verò ei ullo modo cum Pontificiis dubitandum eſſe cenſemus. Joh. 10. 28. Matth. 10. v. 29, 30, 31. 2. Cor. 1. 21, 22. Rom. 8. 15, 16. & 28.

II. Locus ad Rom. c. 7. v. 15, 16, 17, 18, 19, 20. intelligendus eſt de ipſo Paulo (proinde ſub ejus perſonâ de omnibus electis) ut regenito: non verò de homine aliquo non regenito adhuc, ut vult Proſper Deſidæus.

III. Nullo modo ex eo, quòd homo electus non poſſit finaliter deficere à fide, fruſtraneæ ſunt comminationes divinæ: Quia excitant Electos, ad perpetuum ſtudium vitæ Sanctæ. Nec etiam ex hac ipſa doctrina ſequitur, Electos debere indulgere ſceleribus: Siquidem finaliter labi non poſſunt. Eſt enim cõtradictio in adjecto, Electum eſſe ad vitam æternam, &, Perpetuò indulgere ſceleribus. Non per hanc viam itur ad aſtra: ſed per imitationem

tationem Christi, & vitæ sanctæ ejus. Etsi autem ad vivum vitam Salvatoris nostri exprimere non possumus: imitari tamen eam & possumus, & debemus nos omnes, qui electi sumus. Rom. 13. 12. 1. Cor. 11. 1. Ephes. 4. v. 20. Et 3. v. 5. 14. 1. Thess. 1. 6. 1. Pet. 2. 21. 1. Joh. 2. 6.

Ei autem soli, qui nos in omni bono opere ad finem usque confirmare potest, sit benedictio in perpetuum.
Amen.

ODA

In ornatiss. & doctiss. Viri,

D. DAVIDIS WIRTZI, BERNATIS, disputationem Theologicam.

NOSTRAE videndi me quotiens rapit
Ardor Palæstræ, haut temporis immemor
Prioris, exultans benignam
Volvo JEHOVAE bonitatis auram.
Eheu tenebris obsita secula!
Eheu nefandis putida Flaminum
Decreta Romanensium! Eheu
Naufragium miseri popelli!
Multo jacebant pulvere marcida,
Et rosa blattis sancta volumina,
In pulpitis tantùm scelestæ
Concilii sonuere leges:
Pinguisq; Flamen murmure garrulo

Et hinc & illinc brachia gestiens,
Quos æmulatus histriones
Nescio, quósve secutus ille
Mimos, quibus tunc non cupidinibus
Heu diffluebant, qui populo sacrum
Annunciasse debuerunt
Dulcis Euangelium salutis?
Amœniores quis coluit domos
Hortosq; testis tu mihi amabilis (VALLIS,
CARTHUSIA & SONORA
Tuq; sacris mea CLARA musis.
Nostri misertus sed DEUS optimus,
Unum ille nostris præsidium in malis,
Discussit atras fulminante
Fulgure nunc Babylonis umbras.
Et ne priores in tenebras ruens
Volgus, Paparum forte resumeret
Leges, & auratis repleret
Templa diis, coleretq; saxa,
Demisit alto non vice simplici
Qui nos docerent vera sequi IOVAE
Mandata, quos inter refulget
Cum Socero pylios POLANUS
Visurus annos. Gaude ducem tibi
Datum palæstræ, chare sodalium
VVIRTZI. juvante tu POLANO
Hoplomachos, neque sævientis
Vim pertimesces nunc Laquearii,
Astúsve Threcum. quid quodq; Pumilus
Audebit, aut catus Sequutor
Porgere nunc nisi victus herbam?

J. GRASSERUS.

THEOREMA,

DE CERTA ELECTIONIS suæ & fratrum ac sororum in Christo fiducia, qua omnes renati per gratiam Spiritus sancti excellunt,

De quo in Schola Theologica,

PRAESIDE

IOH. IACOBO GRYNÆO,

interrogantibus. 9. Julii, permittente Deo, respondit

M. JOH. GEORGIUS GROSSIUS BASILIENSIS.

Rom. 8. 33.

Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Θεὸς ὁ δικαιῶν.

Anno cIↃ IↃ cI.

Studiosis veri S. D.

Dolendum est eò rem apud quosdam Aristarchos ineruditos rediisse, ut quum rectè fateantur, de sua per fidem justificatione minimè se dubitare: si quæras, An & de sua electione certi sint? ex hæsitantia facilè animadvertas, tum ipsos incertos esse de sui ipsorum electione, tum non intelligere prædestinationis effecta ita inter sese ordinata esse, ut priora caussæ sint posteriorum: tum denique nec de fidei suæ perseverantia plenè persuasos.

Utinam autem illi, post Scripturas sanctas, vel Augustinum, de perseverantiæ dono ita pronunciantem audiāt: Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam à Patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, SPERARE DEBETIS, & quotidianis orationibus poscere: atq; hoc faciendo CONFIDERE, non vos esse à prædestinatione populi ejus alienos: quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur.

Nos verò, Deo Patri Dn. nostri Jesu Christi gratias agamus, quòd nobis dignatus est post regenerationem nostri, electionis nostræ testem Spiritum veritatis in corda mittere, ad nos, & de iis quæ verbo suo nobis testatus est, attestante nostra conscientia per fidem, & de electione nostra, certiores faciendos.

Iis autem qui ad omnem Electionis mentionem superstitiosè contremiscunt, Eranistæ apud Theodoretum vocem proponamus: τὰ κεκρυμμένα ὃ θέλει ζηλᾶν, καὶ τὰ δεδηλωμένα παῦλος ἀγνοεῖν. *Blasphemantibus autem quæ non intelligunt, objiciamus istud Pauli: Qui verò ignarus est, ignarus esto.*

Bene valete.

THE-

THESIS I.

DE gaudio quod electionis nostræ fiducia in nobis parit, dicitur *Gaudete, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.* Luc. 10. 20.

2. Propositum autem nobis est demonstrare, *Unicuiq; nostrûm, qui Christi sumus, electionis nostræ* τεκμήριον *esse regenerationem.*

3. Judicamus hæc extra controversiam esse. *Communionem esse Electorum.* Roman. 8. 29. Eph. 4. v. 4. *Nos fide Christo insitos, vivere.* Gal. 2. vers. 20. *Secundùm gloriam electoris Dei, finem nostræ electionis esse ut simus sancti & beati.* Rom. 9. v. 23. Eph. 1. v. 4. *Electionem nostri in Christo, esse æternam, gratuitam, immutabilem.* Roman. 9. 11. & 11. 29. Ephes. 1. 11.

4. Sic autem Theorema nostrum demonstramus.

Non est aliud τεκμήριον *nostræ electionis, quàm quod est tum justificationis, tum vocationis nostræ.*

Ratio Nam ex electionis fonte manant ordinè, vocatio, justificatio, &c. seque invicem ἀδιαπτάστως consequuntur, ut causæ & effectus proprii. Rom 8. 28, 29, 30.

Atqui Regeneratio nobis est τεκμήριον *antegressæ tum Justificationis, tum vocationis nostræ, secundùm propositum & gratiam Dei.*

Etenim Regeneratione ἀναπεῤῥήτως nos fide justificatos esse colligimus. Sicut enim in cujusq; nostrûm corpore animato, ἐμψυχώσεως

indicia sunt Sensus & Motus: ita in nobis renatis esse, vivere, manere & regnare Christũ, per Spiritum suum, inde liquet, quòd justi fide nostra vivimus, Abac. 2.4. Spiritu Dei ducimur. Rom. 8. 14. 1. Cor. 1. 29. Eph. 3. 17.

Porrò, ex justificatione nostra ὡσαύτως colligimus efficaciter nos esse vocatos. Ut enim sanctum non datur canibus, neq; margaritæ projiciuntur ante porcos: Matth. 7. 6. ita nec justificationis vitæ benedictio aliis confertur, quàm in sortẽ adscitis, Eph. 1. 11. & proinde sanctificatis è mundo. 1. Cor. 1. 2.

Colligimus igitur & electionis nostræ τεκμήριον nobis esse Regenerationem: ὅπερ ἐδει δεῖξαι.

5. Probatur itaque nobis Martini Buceri, enarrantis cap. 8. epistolæ beati Pauli, hęc συμμαρτυρία. Pagina 359.

Primum quod Deo debes est, ut credas te esse ab eo prædestinatũ: nam id ni credas, facis eum tibi, quum te ad salutem vocat per Euangelium, illudere. Vocat enim te Euangelio ad justificationem, & gloriæ suæ communionem: hæc autem non potest contingere nisi prædestinatis, præscitis & electis in hoc. Omnia siquidem Dominus præfinitò facit, quia sapienter. Proinde, si dubitas te prædestinatum esse, dubitare quoq; necesse est, te esse vocatum ut salvus fias, esse justificatum, esse denique glorificandum, hoc est, necesse est te dubitare de omni promissione salutis tuæ, dubitare de Euangelio, hoc est Deo credere nihil omnium quæ tibi in Euangelio offert. Et post pauca.

Ergo tanquam caput omnis noxiæ tentationis, repellenda

pellenda est quæstio: SUMUS NE PRÆDESTINATI? Nam ut dictum, qui de hoc dubitat, nec vocatum se & justificatum esse, credere poterit, hoc est, NE QUIT ESSE CHRISTIANUS. Præsumendum igitur ut principium fidei, Nos omnes esse à Deo præscitos, præfinitos, separatos à reliquis, & selectos in hoc ut æternùm servemur: hocq; propositum Dei mutari non posse: & inde omnis nostra cogitatio curaq; in hoc intendenda, ut prædestinationi huic Dei & vocationi respondeamus, ut ad vitam æternam nos pro viribus, quas unquam Dominus suppeditârit, cooperemus: quas etiam augeri nobis orare debemus sine intermissione.

Consectaria.

6. Calumniosa igitur imperitia est eorum qui ita argutantur:

I. Ergo si quis electus sit, servetur necesse est, etiamsi non credat in Christum, nec desinat malè agere.

Nam bona arbor non facit malos fructus. Matth. 7.17,18. Tit. 2. 12. & 3.14.

II. Ergo si quis rejectus, frustrà tum crediderit, tum studuerit bonis operibus, quando ei simpliciter pereundum est.

Nam mala arbor nunquam fert bonos fructus. Matth. 12.33,34,35. Mortuus in peccatis, sensu, motuq; spirituali nunquam defungetur: sed fœtore peccati peccantis offendet quoscunque poterit.

7. De electione fratrum & sororũ in Chri-

sto, ut de rejectione eorum qui alieni manent à gratia adoptionis, piæ menti licet, exemplo D. Christi & Apostolorũ, secundùm fidei normam, pronunciare. Rom. 16. 13. Phil. 4. 3. Coloss. 3. 12. 2. Timoth. 2. 10. 1. Petr. 1. 1. Matt. 11. 20. Joh. 6. 70. & 8. 44. & 10. 26. Act. 7. 51. & 8. 21. & 13. 45, 46.

8. *Jure confidimus fratres & sorores nostras in Christo electionis consortes esse*: licet demus, in aliis illustriora, in aliis obscuriora esse electionis effecta, quæ per externos fructus innotescunt.

9. Nam contrariorum contraria sunt consequentia. Paulus autem Thessalonicensium fratrum electionem collegit, ex opere fidei, labore charitatis & tolerantia spei. 1. Epist. 1. 3, 4. Manifestum itaq; indiciũ rejectionis est, si qui hisce perpetuò destituantur. 1. Cor. 13. vers. 1, 2, 3.

10. Sicut autem Mundus, quia non novit electorem Deum, ne quidem Electos novit: 1. Joh. 3. 1. ita hi hactenus suam ipsorum & fratrum ac sororum electionem agnoscũt, ut tamen judicii perspicacia alii aliis sint superiores. 1. Cor. 12. 6, 7, 8.

Oratio ad Dominum meum Jesum Christum.

IRA brevis, sed cura gravis, variiq; labores,
accelerant senium conglomerata meum.
Christe

Christe meæ fac sit μέτρια moderata senectæ,
offendam ne quos asperitate pios.
Et quia curarum pondus tua sustinet omne
gratia: fac nostras spesq; fidesq; levent.
Jamq; laboranti vires mihi suffice & artem
sanctam: nam sine te nil mea cuncta valent.
Sic autem dimitte tuũ pie Christe ministrum
in pace, ut Dominum glorificare queat.
Seu mea mors σύντομος illa siet, seu lenta μέρμνα,
da tamen ut tibi sim victima viva, pia.

JOHAN. JACOB. GRYNÆUS.

Veritate vinci pulcerrimum.

PROBLEMA,

De communione Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi in sacra Cæna;

DE QVO,

Præside

IOAN. IAC. GRYNÆO,

Deo annuente, disputatum fuit 25. Iulii, respondente,

M. IOHANNE DENGIO,

BASILIENSI.

ANNO MD CI.

Adagia.

Tu licet officium facias, ne præmia speres,
pro pretio invidia est, & pbitate probrū.
Non est rara bonis injuria tempore nostro,
sed Deus & tempus fors meliora dabunt.
Ergo Dei causſa virtusq; fidesq; colēda est:
non odium Mundi, jussa verere Dei.



I. *Problema de κοινωνίᾳ Corporis & Sanguinis D. nostri Jesu Christi in sacra Cœna.*

CORPUS *Christi & ejusdem Sanguis tantùm spiritualiter, etiam in sacra Cœna, à Renatis percipiuntur.*

II. *Ea quæ dantur.*

1. Edunt Corpus Christi pro se traditum: bibunt Sanguinem Christi pro se fusum.

2. Eorundem Symbola manu & ore decenter percipiunt.

3. Eorum quę spiritualiter percipiunt, per fidem, ὅτως participes fiunt.

III. Τὸ ζητούμενον.

An tantùm spiritualiter Res significatas percipiant?

IV. *Demonstratio aientis sententiæ.*

Si illius pro nobis traditi corporis Christi, & ejusdem pro nobis effusi sanguinis, in sancta illa Cœna, non nisi spiritualis est tum præsentia, tum exhibitio: tum ὁμολογουμένως sequitur, eadem non nisi spiritualiter à Renatis, semetipsos probantibus, percipi.

Ratio Connexi: Quis enim sanus non intelligat,

telligat, ita eos thesauro pretiosissimo frui, pro ut is præstò est & eis exhibetur.

Atqui in ista Cœna nulla alia quàm spiritualis est & præsentia & exhibitio Corporis & Sanguinis Christi.

Sic autem τὸ μεταλαμβανόμενον probo:

I. Testimoniis. Luc. 22. 19. τοῦτο ποιᾶτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Et quando corporaliter aderit Christus Cœnæ usu non erit opus. 1. Corinth. 11. 26.

2. Tribus Fidei articulis, de Ascensione Domini, de Sessione ad dexteram Patris, de Reditu è cælis.

3. Rationibus evidentissimis:

1. Quia eadem est præsentia Christi in tota Euangelii & Sacramentorum liturgia. Matth. 28. 20.

2. Quia spirituali Regenerationi in Baptismo, respondet spiritualis Renatorum alimonia in Eucharistia.

3. Quia Corpus illud Christi panis vitæ Renatis est, non quia corpus, sed quia pro eis traditum est. Johan. 6. 51. Luc. 22. 19.

Ergo non nisi spiritualiter percipiuntur à Renatis.

V. Consectarium.

Et, in D. Jesum Christum, & eos quorum caussa Cœnam κοινωνικὴν ille instituit, contumelioſum est κακέμφατον, Etiam infideles, hypocrisi tamen alios fallentes, quando myste-

ria celebrátur, ore carnali, sensualiter ipsum-met Christi manducant, dentibusq; atterunt, ad judicium tamen suum.

VI. Vetus Testimonium.

Quanto rectius Helmboldus ille Augustini vestigia sequens Chronic. Slavorum libro 4. cap. 14. in sua ad D. Jesum Christum apostrophe?

Qui verè te panem vivum, qui de cælo descendit, homini, ne deficiat in via hujus peregrinationis, comedendum dedisti, quem sine fastidio continuè mâducat Angelus in cælo. Quem tamen ille mâducat delicioſum, iſte interim mâducat ad remedium. Uterq; verè, sed non uterq; plenè. Apostolus enim dicit, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Aliud quippe est sumere sacramentum, aliud rem sacramẽti. Unum est visibilis forma, aliud invisibilis gratia. In his duobus duo sunt comedendi modi, unus sacramentalis, alius spiritualis. Secundum unum comedunt universi; secundùm alium tantùm boni. Ibi multi vocati, hîc pauci electi. Ideô dixi uterq; verè, sed non uterq; plenè: quia alius tantùm sumit sacramẽtum, alius autem & sacramentũ & rem sacramẽti. Alius enim devotus & dignus cum sacramento visibili invisibilem percipit & gratiam. Alius autem indignus, sumens sacramẽtum, reus efficitur corporis & sanguinis Domini: quia judicium sibi manducat & bibit, nõ dijudicans corpus Domini.

THE-

THESES THEOLOGICÆ

DE

ANTICHRISTO

Quas

DEO OPT. MAX. FAVENTE

Sub præsidio

Reverendi & clarissimi viri

Dn. AMANDI POLANI

A' POLANSDORF SS. THEOLOGIÆ Doctoris & in florentissimâ Basilienſium Academia Professoris ordinarii celeberrimi

IOSEPH DURANDUS

DELPHINAS

Publicè examinandas proposuit ad diem 27. August.

In Augustiss. Theologorum aula.

Anno clɔ lɔ c 1.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0407
DFG

THESES THEOLOGICAE DE ANTICHRISTO.

I.

ADVERSARIORUM Dei venenum benè cognitum, ait vetus pater, nō est inutile ad beneficia Christi majoris faciēda, atq; etiam ut eos qui te oderunt Domine oderimus, & insurgentes contra te insectemur.

2. Et militanti, ut est Ecclesia in terris notus hostis debet esse, ne incognitus pro socio habeatur, tum incautis circumventis victoriam reportet.

3. De Antichristo ergo nostro præcipuo & capitali adversario aliquid attingere est in animo, quo venenata tela, simulq; tyrānidem ejus effugiamus, sed priùs sublata homonymia disputationis procreatrice.

4. Vox Antichristi est generalis, & sæpe omnes qui se Christo opponunt, & doctrinæ ipsius adversantur, mendacium pro veritate obtrudentes complectitur. Sic Johannes eo nomine sui tēporis hæreticos nominat. 1. Johan. 2. vers. 8.

5. Aliàs hac voce intelligendus venit magnus quidam & insignis Apostata, κατ' ἐξοχὴν sic dictus, qui sit sessurus in Ecclesia, multos seducturus, vastitatem maximam in agro Domini effecturus, & poculo abominationum suarum

suarum innumeros inebriaturus. De hoc in præsentia quæstio est.

6. Vocatur in scripturis filius perditionis tam activè quàm passivè: est enim perditus ipse, aliosq; perdit. Homo peccati 2. Thessal. 2. 3. Pastor stultus Zach. 11. 15. Pseudopropheta Ap. 16. 13. & 19. 20. & 20. 25. אבדון Rex, Angelus abyssi, rex locustarum Ap. 9. & insuper bestia, meretrix, & alibi aliis nominibus describitur.

7. De eo controversia est inter Orthodoxos Pontificios 1. Qualis sit. 2. Quis sit. Hi ita scribunt suum Antichristum quoad controversa, ut dicant, nondum venisse, personam fore singularem, ex tribu Dan habiturum originem, item ex congressu mulieris cum Diabolo generandum, quem Judæi pro Messia sint recepturi, regnaturum per tres annos & dimidium solummodo, ita ut illius regni unicum semper sit caput, sessurum deniq; in templo Jerosolymitano. Quàm vera hæc sint ex Scripturis S. dijudicare debemus.

8. Primò, venisse Antichristum ex 2. Thes. 2. 7. colligitur, & 1. Joh. 4. 5. ubi mysterium iniquitatis jam tum temporis peragi cœptum dicitur. Et audiatur Bernhardus dicens, ex luxu, avaritia, crudelitate, ebrietate, scortatione, impietate præpositorum, Diaconorum, Archidiaconorum, Episcoporum certò necessarioq; effici & perspici Antichristum adesse. Quod ex aliis notis clariùs apparebit.

9. Singularitati personæ repugnant Apostoli prædictis locis, quibus jam venisse evincitur, & Paulus ibidem vers. 8. testatur non nisi illustri adventu Christi prorsus confectum iri. Mirum esset ex Apostolorum temporibus ad finem usq; mũdi unicum hominem vitam suam prorogare.

10. Ad hoc factio illa ἀποστασία sine additione nominatur, ut ad paucos restringi nõ possit, sed respiciat universalem quandam Ecclesiæ defectionem, cujus est princeps Antichristus. At unus homo vix ac ne vix quidem totam verè visibilem Ecclesiã decipere potest.

11. Venturum ex tribu Dan Judæorum, à quibus pro Messia agnoscatur ex Scripturis probari non potest, extra quas aliquid de hac re affirmare aut statuere, nugari est. Et tribus ita dissipatæ sunt, ut nemo possit dicere hunc vel illum Judæũ ex hac vel illa tribu esse. Adde quòd Judæi Messiam ex tribu Judę, non Dan exspectant.

12. Si per tres annos & dimidium duntaxat esset regnaturus, dies secundi adventus Christi nobis innotesceret ante tempus: At constat adventum Christi futurum ut furis in nocte Luc. 12. vers. 39. & nobis incognitum 1. Thess. 5. 1. Marc. 13. 32, 33.

13. Sedes ejus non erit templum Jerosolymitanum. Nam ita deletum est, ut nunquam sit reædificandum Dan. 9. 36, 37. Quod Julianum experientia docuit, qui volens illud instau-

staurare gravi terræ motu impeditus fuit, ait Sozom. lib. 5. cap. 21.

14. Quod autē sessurus est in templo Dei, id de Ecclesia, quæ est templum Dei 1. Tim. 3. 15. & 2. Corinth 6. 16. accipiendum. Porrò sessione intelligendus est dominatus & imperium, ut Psal 9. 5. Et hoc regno Pontificiorum applicari potest, si distinguas inter Papatum & Ecclesiam quæ est in Papatu: si quidem ante splendorem & nitorem Euangelii vera Ecclesia à meretrice nō erat separata. Atq; etiam nunc ibi latent multa Ecclesiæ membra, imò & tristissimarum persecutionum tempore, sive sint adulti infantes.

15. Meliùs igitur & certiùs, qui traditas ab Spiritu S. notas penitiùs examinant, & cui hæ competūt illum vestigiis Scripturæ inhærentes magnum Antichristum proclamant.

16. Nec præcipuas tum sedis tum insidentis notas afferemus, & Romę, Romanoq; Pontifici applicabimus, unde manifestum fiet an ille sit Antichristus nec'ne.

17. Mulier purpurata dicitur sedere super bestiam habentem decem cornua, & capita septem: mulier verò est civitas illa magna, quę habet imperium super reges terræ. Ap. 17. ult.

18. Hæc est Romana urbs præcipua civitas Romanæ Monarchiæ, & sedes imperialis, quod septem capita, quibus insidet mulier satis denotant: Romæ enim assurgunt septem montes, ut notum est, ideo vulgò septicollis

vocatur etiam à profanis. Constantinopolim autem intelligi non posse affirmamus.

19. Sedes Antichristi vocatur Babylon Ap. 14.8. & 16.19. & 27.5. idque mysticè, ut verba Johannis satis indicant, scilicet propter captum & detentum populum. Illa est urbs Spiritus Sancti digito Johanni commonstrata, mater magna, quæ veneficiis & vino prostitutionis suæ reges inebriavit & incolas terræ: habet enim poculum aureum in manu sua abominationibus plenum.

20. De Babylone literali in Chaldæa sita non est sermo. 1. Quia Monarchia illa jam desierat Esa. 13. 2. Quia non erat septicollis. 3. Quia non habuit in reges terræ imperium Johannis tempore.

21. Nec Ethnica Roma est intelligēda, quia Babylon illa spirtualis reges & populos suâ Idololatriâ polluit, lateq; regnum suum specie religionis protulit. At Roma Etnica religionem nunquam prætendit, quinimo populis subactis cuique religionis avitæ libertatem relinquebat.

22. Insuper Bestia multa edet signa, propter quæ seducet incolas terræ. At Romani Ethnici nullum miraculum edidêre religionis confirmandæ gratiâ.

23. Sed Roma Papistica non obscurè notatur, si quidem seductis regibus, sibiq; subjectis juxta illud Steuchi De Donat. Constāt. Omnes reges sunt Papæ vasalli: Et hoc, per Papam

Papam omnes reges regnant: venenum suum ita extulit, ut plerique ex illius poculo biberint, quâ ratione spiritualis scortatio scilicet idololatria, quæ Deo est in primis abominatio Ose. 2. & Jerem. 3. viguit: aurum & argentum opera manuum suarum coluerunt ejus consortes, operibus & meritis suis salutē quæsierunt, & aliis blasphemiis, quibus detestandum Missæ poculum plenum est, cultum Dei depravarunt adducti præsertim miraculis etsi ementitiis, ut prædixerat Apostolus, in quibus toti sunt Papæ præfecti.

24. Antichristus sessurus est Sodomæ & in Ægypto ubi crucifixus est Dominus noster Ap. 11. 8. Sodomam intellige propter gravissima peccata & inprimis fornicationem spiritualem: Ægyptum autem, propter tyrannidem quæ ibi in populum Dei exercetur, sic dictam.

25. Hoc Romæ competere nemo non videt, qui respiciat horribilia flagitia ab illâ perpetrata, tyrannidem in verè Christianos, crudelitatem denique in Domino nostro crucifigendo in membris suis, ut meritò jam possit dici ebria sanguine multorum, & sanguine martyrum Jesu.

26. Dicitur caput mundi, & sita inter duo maria. Nota quidem Romæ non inconveniens, quæ aliquando ferè toti orbi imperavit, & inter mare Adriaticum & Tyrrhenum sita est.

27. Tantùm de sede, quæ cognita lucem afferet ad cognoscendum insidentem, qui sine dubio est Papa, nam sequentes prophetias in eo impletas esse clarum est.

28. Quandoquidem verò ex doctrinâ suâ præcipuè cognoscuntur Pseudoprophetæ, dicēte Christo, ex fructibus cognoscetis eos. Matth. 7. 15, 16. ejus doctrina examinetur.

29. Doctrina Antichristi est doctrina Dæmoniorum, quæ depravat Christi instituta. Hoc Papa implevit dum Baptismum & sacrā Domini Cœnam, deformat, scilicet addendo, detrahendo & immutando.

30. Antichristus negabit Jesum esse Christum. 1. Johan. 2. 22. Papa quantum in se est negat Christum. Nam præterquàm quòd multi Christum riserunt, & pro fabula habuerunt quæcunque de eo narrantur, nec Deum, nec inferos, nec superos esse crediderunt, alii se Diabolo voverunt, ut ad Papatum eveherentur: manifestum est etiam in iis, quæ Christo propria aliis tribuunt, cùm intercessionem pro nobis sanctis adscribunt, Mariā Dei & hominum mediatricem appellitant, contra illud Apostoli 1. Timoth. 2. 5. Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus: item in invocationibus suis B. Virginem Christo præferunt, Jube natum & iure matris impera.

31. Habebit duo cornua similia agni, sed loquetur ut Draco Ap. 13. 11. & alibi, Sermones

nes ex parte altissimi loquetur. Quibus verbis Papam & ejus acta intelligi qui non videt? venit cum vestimentis ovium, sed quoad mẽtem inter lupos rapaces locum habet : Christum habet in ore, verbis doctrinam ejus extollit & profitetur : at in pectore & reipsa totus diversus ei repugnat, quod vel ex hoc apparet, cùm ait se posse remittere peccata, reducere ex inferis, transferre in cælum, & de nihilo facere aliquid : quæ omnia soli Deo in scriptura attribuuntur.

32. Pseudopropheta est, Christi merita quibusdam locis alligans contra illud. Si dixerint vobis, ecce hîc Christus, aut hîc, Ecce in deserto est, ecce in conclavibus, ne credite. Christum & Sanctos, eorumq; merita sacellis, claustrisq; includit. Hinc peregrinationes ad Lauretanam, Jacobum, & alia innumera loca.

33. Mercatores ejus divites facti lugebunt quòd merces suas ampliùs vendere non possint. Hinc nundinatio & negotiatio in ejus regno. Animadvertendum impium Papæ dogma, cujus jussu venduntur indulgentiæ, Missæ, merita, Christus denique. Hinc Cardinales, Episcopi, Monachi, & hujus farinæ homines divites facti dolebant tempore Lutheri, qui huic mercaturæ magnam plagam inflixerat, lugentq; adhuc, quòd Deus Spiritu oris. i. Prædicatione pura Euangelii eorum opus impediat.

34. Doctrina Antichristi fornicatio appellatur, quæ est Idololatria. Attende Papæ dogma, qui mortuos defunctos colit, Deum panaceum adorat, lapides & aurum veneratur. Thomas in 3. sent. dist 2. Imago, ait, & exemplar eodem genere adorationis coli debent. Constant. Episcopus Constantiæ in. 2. Nicen. concil. Ego, inquit, imaginibus eundem honoris cultum exhibeo, qui debetur vivificæ Trinitati. Impium os & blasphemum.

35. Antichristus se efferet supra omne id quod dicitur Deus aut Numen. Pontifex Romanus primò supra magistratus qui vocătur אֱלֹהִים atque adeo supra summum, Cæsarem, qui equum ascendenti ei stapham tenet, qui est instar ferræ, nisi ab eo trahatur, se effert.

36. Secundò Angeli dicuntur Dii Psal. 28. 1. Papa non solùm supra temporalia, sed etiam super angelos se effert, eisque mandare audet.

37. Denique se Deo omnipotenti etiam præfert I. cùm verbum suum supra verbum Dei commendat: statuit enim Decretales epistolas, quæ sunt ipsius verbum cum libris Canonicis & θεοπνεύστοις in eadem authoritate esse. Dist. 19. c. in Canonicis.

38. II. Cùm ait se posse Sacramenta à Christo instituta immutare, & esse supra omnem Scripturam, cùm arrogat sibi impossibilia etiam Deo simpliciter, scilicet ex injustitia posse justitiam facere, De Translat. c. quanto in glossa,

gloſſa, cùm traditiones obtrudit, quas religio ſiùs quàm Dei præcepta ſervari jubet.

39. Nam qui contra ejus beneplacitum carnes certis diebus comederit, qui non Laicus uxorem duxerit, quæ nullibi in Sacrâ Scripturâ vetita reperiuntur: graviùs mulctabitur, quàm ſi quævis peccata in primam aut ſecundam tabulam admiſerit.

40. Eo modo impletum eſt illud Dan. 11. Antichriſtum ignoraturum deſiderium mulierum, & 2. Timoth. 4. cibos prohibiturum.

41. Duplici poteſtate vigebit, ſeculari & ſpirituali, quod notat beſtia bicornis, item diverſa nomina ipſi in ſcripturis tributa, nam pſeudopropheta, paſtor ſtultus, & Rex vocatur, quæ ſunt nomina officii. Papam autem ſibi gladium ſpiritualem & temporalem arrogare norunt omnes.

42. Numerus Beſtiæ 666. difficilem explicationem habet, Ireneus exiſtimat nomen λατεῖνος ad hoc non eſſe abſurdum, & certè in illo cæcitatis Pontificiorum regno omnia ſunt Latina, regnum, Papa, preces, Miſſa, aliaque multa. ἐκκλησια Γαλλικη eundem numerum complectitur, quod vocabulum non coactè quadraret in Papam, ejusq; regnum. Verùm, cùm multa talia nomina reperiantur, certiùs eſt ex illis nullum eligere tanquam certum.

43. Beſtia faciet ut omnes accipiant characterem aut in manu aut in frontibus ſuis Ap. 13. 16. quæ verba Allegorica ſunt, ut talis ſit

sensus, omnes illi cognoscentur pro Antichristi ministris, qui aut apertè confitebuntur, aut reapse etiam pro Antichristo pugnabunt. Sin absque Allegoria accipiantur, Chrisma Pontificiorum, quo in fictitio sacramento confirmationis indelebilis character imprimitur, intelligendum erit.

44. Miracula Antichristi multa sunt, quorum alia sunt fabulosa: alia prodigiosa, quæ opera satanæ colludentis fiunt: alia quæ præstigiis facta nihilominus vera videntur.

45. Duo præcipuè Scriptura commemorat 1. Quod ignem faciat è cælo descendere 2. Quod bestiam vulneratam animet. Quæ in Papa cernere licet. Igne enim intelliguntur fulmina & tonitrua excommunicationis, quæ Papa tanquam Deus è suo solio ejaculatur anathemata pronuncians adversariis suis. Bestiâ vulneratâ sanitati restitutâ imperium Romanum, quod ferè collapsum Papa quadantenus restauravit, ita ut jam leges statuendo & sanciendo dicatur loqui.

46. Cùm igitur omnes de Antichristo prophetias in Papa videamus impletas, non inconvenienter concludimus illum esse Antichristum. Nam omnibus signis & prodigiis, eodem tempore, loco & modo, quibus venturum Antichristum Spiritus Sanctus prædi-

prædixerat, Papam veniſſe videmus.

47. Quoniam verò omne regnum & omnis gens quæ Domino non ſervierit, peribit, certum eſt regnum Antichriſti tandem profligatum iri, quod ardentibus votis expetere debemus.

AMEN.

Etiam veni Domine Jeſu, & hunc confice.

THESES THEOLOGICÆ

DE AETERNA DEI PRÆDESTINATIONE:

Quas,

DIVINA FAVENTE GRATIA,
Sub præsidio

Reverendi & clarissimi viri

Dn. AMANDI POLANI
A' POLANSDORF SS. THEOLOGIÆ D. & Professoris in illustri RAURACORUM Academia Celeberrimi, ac pro tempore Theol. facultatis DECANI Spectatissimi, Præceptoris sui perpetuâ observantiâ colendi.

Ad diem 15. Januarii

PUBLICE'
Examinandas proposuit, horâ loco'q; solitis,
HERMANNUS WESSELIUS EMDANUS, FRISIUS ORIENTALIS.

Anno clɔ lɔ c i i.

REVERENDO ET DOCTISS.
VIRO
Dn. WESSELIO BOKEL,
ECCLESIAE SIRQUEREN-
SIS PASTORI VIGI-
LANTISSIMO,
PARENTI SUO UNICE OB-
SERVANDO & COLENDO:

Grati animi, Filialis obsequii, honoris & amoris testificandi causâ: necnon pro felicibus, in CHRISTO *Redemtore, N. A. auspiciis, strenæ loco* HASCE THESES *offert & dedicat*

HERMAN. WESSELIUS F.

THESIS I.

PRAEDESTINATIONIS vox nõ-nunquam accipitur strictè & specialiter pro Electione ad vitam *a*: nonnunquam lata significatione usurpatur pro ordinatione vel ad salutem vel ad mortem æternam *b*: interdum latissimè accipitur pro tota Providentia divina *c*. Nos mediam ex his significationem in his thesibus sequimur.

a *Rom.*8.29,30. *Ephes.*1.5. b *August. Enchirid. ad Laurent. cap. centes. & lib.*15. *de Civit. Dei, cap.*1. *Fulgent. lib.*1. *ad Monimum, cap.*27. c *Act.*4.27,28. 1. *Cor.*2.7. *August. lib. de Prædest. cap.*3.

2. Nequaquam enim assentimur iis qui vocem τῆς προθέσεως ad solam Electionem restringentes, reprobationem planè excludunt: repugnantibus tùm sacris literis *a*, tùm Patribus *b*. Et denique re ipsa postulante, ut aliquibus ad vitam prædestinatis, reliqui morti destinati intelligantur.

a *Act.*2.23. & 4.28. 1. *Pet.*2.7.8. *Jud.*4. b *August. Enchirid. capite* 100. *Item lib.*15. *de Civit. Dei cap.*1. *Fulgent. lib.*1. *ad Mon. c.*27.

3. In hoc autè argumẽto tria illa vocabula, quæ Apostolus Roman.8. conjungit (πρόθεσις, πρόγνωσις & προορισμος) idem Dei consilium denotant, ut ostendit horum locorum comparatio *a*. Quanquam nonnulli ratione quadam distinguant, ut nimirum Consilii divini firmi-

firmitatem θέλησις, ejusdem æquitatem εὐδοκία & δικαίωμα θεοῦ significet.

a *Rom.*8.28,29,30. *Act.*2.23.1.*Pet.*1.20.

4. Etsi autem prędestinatio etiam Angelorum sit: tamen nos tantùm de Prædestinatione hominum hîc agemus.

5. Prædestinatio illa, est futuræ sortis & conditionis humanæ prępparatio & dispositio in æterno Dei consilio facta.

6. Estq; tum Electio tum Reprobatio.

7. Utriusq; subjectum commune est genus humanum, quatenus per lapsum futurum erat corruptum, & in mortem æternam propriâ culpâ præcipitatum.

DE ELECTIONE.

8. ELECTIO, est Prædestinatio quorundam hominum ad vitam æternam: seu decretum Dei quorundam miserendi.

9. Etsi autem in Deo non sit prius aut posterius: in hoc tamen Electionis decreto divinæ mentis Actus, ratione nostri conceptus, duplex dicitur: PRIOR de fine: Alter de mediis ad finem ducentibus.

10. PRIOR dicitur, quo Deus certos homines cæteris præteritis ad salutem æternam ordinando, misericordię & honoris vasa fecit.

11. Proficiscitur hic Actus ex mera & sola εὐδοκία Dei eligentis nos ad laudem gloriosæ gratiæ suæ *a*, citra ullum ullius rei, quæcunque tandem illa extra Deum sit, respe-

ctum, ut causæ efficientis.

a *Ephes.*1.6.

Consectaria.

12. I. Electionem factam esse ab æterno. Quia est ab æterna voluntate Dei, qui nihil cognoscit & vult in tempore quod non noverit & voluerit ab æterno: Nota enim sunt Deo à seculo opera sua teste Jacobo *a*.

a *Actor.*15.18.

13. Falsò ergo quidam negarunt Deum prædestinasse in præterito, contendentes eum prædestinare semper in præsenti, quum tamẽ Scriptura expresè dicat, quòd Deus nos elegerit in Christo antequam jacerentur fundamenta mundi *a*.

a *Ephes.*1.4.

14. II. Electionem esse immutabilem & firmam & nunquam fieri irritã. Non enim pendet à nobis (sic enim firma esse non posset,) sed à constanti, firma & immutabili Dei voluntate *a*, quem nullius rei pœnitet *b*, & cujus χαρίσματα sunt ἀμεταμέλητα *c*.

a *Esaiæ* 46.10. *Mal.*6.10. b 1.*Sam.*15.29. c *Roman.*11.29.

15. III. Electionem esse liberam, nulliq; debitam *a*, sed planè gratuitam, quippe cùm prædestinârit nos Deus ad salutem in sese pro benevolo affectu voluntatis suæ ad laudem glorioſæ gratiæ suæ *b*.

a *Rom.*9.18. b *Eph.*1.4.5.6.

16. Hinc

16. Hinc apparet graviſſimè illos hallucinari I. Qui docent Deum in unoquoque ſpectaſſe uſum liberi arbitrii, An benè uſurus eſſet ſua gratia, an fidem adhibiturus Euangelio, nec ne. II. Qui Deum opera cujuſq; quæ in hac vita habiturus eſſet, ſpectaſſe fingunt, ut juxta præviſa illa merita alios ad vitam, alios ad mortem prædeſtinaret.

17. Nil enim prædeſtinando nos extra ſe ſpectavit Deus, atque adeo ne ipſum quidem Chriſtum prædeſtinando: quippe quem ipſum quoque ut Agnum pro peccatis noſtris expiandis mactandum ſola Dei voluntate prædeſtinatum dicimus.

18. Initium igitur medium & finis ſeu cõſummatio noſtræ ſalutis Deo in ſolidum tribuenda. Nihil hîc præparationis noſtræ *a*: Nihil ex ſalvificis illis actionibus cum homine dividitur *b*, quum Deus ſolus electos ſuos præcognoverit ſeu prædeſtinârit ad ſalutem & gloriam, ſolus efficaciter vocet, ſolus juſtificet, ſolus glorificet.

a *Eph.*2.10. b *Phil.*1.6.& 2.13.

19. IV. Electionem eſſe ſimplicem & abſolutam, nõ conditionalem, Si crediderimus, ſi ſervaverimus legem: quin imò ideo nos credimus, ideo nos legem ſervamus, quia ſicut ad vitam, ita etiam ad credendum & legem ſervandam prædeſtinati ſumus *a*.

a *Eph.*1.4.& 2.10. *Act.*13.48.

20. POSTERIOR ACTUS dicitur, quo

Deus iisdem hominib. ad salutem & gloriam prædestinatis, media per quæ ad eum finem perducerentur, præparavit.

21. Media illa sunt: Reconciliatio ipsorum per Christum, Vocatio, Fides, Justificatio, Sanctificatio.

Consectaria.

22. I. Electionem adeò non excludere auditum verbi Dei, fidem, Justificationem, Sanctificationem, ut ex his potiùs signis & effectis de nostra Electione judicari oporteat.

23. II. Electis ad vitam etiam bona opera prædestinata esse in quibus ambulent *a*. Ac proinde nullum adultum hinc in cælum migrare sine studio bonorum operum.

a *Eph.* 1. 4. & 2. 10.

24. III. Preces nostras non esse inanes etiamsi definita sint rerum eventa. Nam Deus non tantùm decrevit, quòd velit nobis salutem dare: sed etiam media determinavit, per quæ velit nos ad eam pervenire: In quorum mediorum numero etiam preces continentur.

25. Errant igitur gravissimè, qui sic argumentantur: Si sum prædestinatus, etiamsi ad finem vitę in omni flagitiorum genere vivam, nihilominus salvabor: quum potiùs omnibus Dei filiis hoc modo sit inferendum: Sum prędestinatus ad vitam, Ergo ambulabo in bonis operibus.

26. Ele-

26. Electio enim nostra, ut procreat fidem & studium bonorum operum tanquam media salutis; ita excludit perseverantiam in infidelitate & malis operibus tanquam Electioni penitùs repugnantem.

27. Facessant ergo omnes ii, qui nobis objiciunt, quòd studium bonorum operum Prędestinationis doctrina extinguamus.

DE REPROBATIONE.

28. Negant nonnulli Reprobationem, Malè. I. Quia nulla Electio ubi nulla Reprobatio. II. quia Scriptura sacra expressè docet dari Reprobationem *a*.

a *Matth.*15.13. *Luc.*8.10. *Johan.*10.28. *Rom.*9.22. 2. *Thessal.*2.20.1. *Petr.*2.7,8. *Jud.*4.

29. REPROBATIO est prædestinatio, quâ Deus decrevit rejicere à gratia Electionis ad æternum exitium ordinatos. Hujus Actus itidem duo sunt.

30. PRIOR. Destinatio ad exitium æternum seu damnationem æternam *a*.

a 1. *Petr.*2.7,8. *Epist. Jud.*v.4.

31. POSTERIOR, Denegatio misericordię & gratiæ Electionis & effectorum illius *a*.

a *Joh.*13.18. *Matth.*20.16. *Matth.*15.13. *Apoc.*13.8. & 17.8.

32. Errat igitur Bellarminus, dum hunc ordinem invertit, quum certissima hæc sit regula: *Quod primum est in intentione, ultimum esse in executione* a.

a *Hierony. Zanch. lib.*5. *de Natura seu attributis*

Dei. cap. secundo pag. 506. Edit. Neust. 1590.

33. Utriusq; autem actus, tum Affirmativi ut vocant (id est, Propositi damnandi:) tùm Negativi (id est, Propositi non Salvandi) sola Dei εὐδοκία causa est.

34. Sicut n. Prædestinationis, qua ab æterno elegit Deus quos voluit ad salutem non possunt aliqua existere merita: ita nec Reprobationis *a*.

a *Lombard. lib. 1. dist. 41. lit. A.*

Consectaria.

35. I. Reprobationem factam esse ab æterno. 1. Quia quicquid in Deo est, æternum est. 11. Quia Electio facta est ab æterno, Ergo etiam ei opposita Reprobatio.

36. II. Reprobationem esse immutabilem & nunquam fieri irritam. Primò quidem ex parte Dei, cujus voluntas, à qua pendet Reprobatio, est immutabilis *a*: Deinde etiam ex parte Reproborum, in quibus perditio residet, ex qua non possunt suis viribus emergere: sed à Deo sibi relicti in dies profundiùs se in exitii sui voraginem præcipitant.

a *1. Sam. 15. 29. Mal. 3. 6.*

37. III. Reprobationis causam non esse prævisum malum liberi arbitrii usum, nec prævisa peccata: siquidem Paulus solius Dei beneplaciti meminit.

38. Causam Reprobationis tam non esse hominum peccata, quàm Electionis causa nõ sit

sit fides aut bona opera, evidentiùs adhuc liquet ex Rom. 9. 11. Ubi idem de utrisque prędicat Paulus, & ab utrisq; omnem respectum operum tanquam causarum removet, diversitatisq; causam in Dei voluntatem transfert.

39. Idem docet modus, quo Paulus objectiones solvit provocādo ad Dei potestatem: non autē patrocinando divinæ Justitiæ mentione operum, quod tamen patrocinium facilè in vulgus probatum fuisset. Hinc est, quòd Pelagianos operum prævisionem in utraque Prædestinatione obtēdentes pulchrè his verbis olim refutavit Augustinus *a*: *Quis istum acutissimum sensum Apostolo defuisse non miretur?* quod telum etiam nos in hodiernos Semipelagianos torquere possumus.

a *August. Tom. 2. epist. 105. ad Sixtum pag. 305.*

40. Concludimus ergo nostram de Reprobationis causa sententiam tali argumento: Si peccatum verè esset Reprobationis causa, omnes peccatores fuissent reprobati, tantum abest, ut quod omnibus commune fuit, inter homines potuerit discernere & discretionis esse causa.

41. Porrò quoscunque Deus reprobavit, id est, ab Electionis gratia excluſit, eisdem quoque Electionis effecta & salutis media denegare decrevit, & sibi ipsis relinquere *a*, aut etiā diabolo tradere *b*, ut tum hujus, tum pravæ suæ naturæ instinctu interitū sibi accersant. a ψ 81. 13. b 1. *Reg.* 22. v. 20. *& seq.*

42. Etsi igitur Reprobationis causa peccatū non est, prout illa æternum Dei Decretum est: conditio tamen est Reprobationi annexa, & inter Decretum atque ejus exsecutionem interposita, adeò ut Deus nullum nisi ob peccatum damnet, nec decreverit quenquam nisi propter peccatum condemnare.

43. Effecta Reprobationis hæc sunt: I. Privatio mediorum ad salutem consequendam ordinatorum *a*, exceptâ in nonnullis vocatione externâ *b*. II. Excæcatio *c* & induratio. III. Suscitatio ad judicium & abjectio in æternas pœnas *d*.

a *Actor.* 14. 16. *Ephes.* 2. 12. *Matth.* 11. 21. b *Matth.* 20. 16. c *Jesa.* 6. 9, 10. d *Johan.* 5. 29. *Matth.* 25. 41. & 46.

44. Quare salva pietate licet dicere: Reprobos ideo non respiscere nec credere, nec legi Dei servandæ studere, quia ad nihil horū prædestinati fuerunt: quum Dominus ita loquatur ad incredulos Judæos: *Vos non creditis: non enim estis ex ovibus meis* a: item *propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* b.

a *Johan* 10. 26. b *Johan.* 8. 47.

45. Finis ultimus ~~atque~~ præcipuus tum præteritionis quorundam tum Electionis aliorum est gloria Dei *a*, nempe tum gloria gratiæ *b* atque misericordiæ in salute Electorum, nec non Justitiæ *c* in Filii Mediatoris morte ostensæ: tum gloria potentiæ *d* atque Justitiæ *e* in damnatione reproborum:

rum : Et justitiæ quidem tum occultæ illius in ipsis reprobandis *f*, tum etiam manifestæ in iis ob peccata puniendis *g*. Denique gloria liberrimæ potestatis *h* : tum in reproborum interitu, tum in Electorum glorificatione.

a *Proverb.* 16.4. b *Ephes.* 1.6. & 12. c *Roman.* 3.25, 26. d *Roman.* 9.17. e *Roman.* 9.22. f *Roman.* 11.33. g *Roman.* 1.18. h *Roman.* 9.15, 18, 20, 21.

46. Quæris ergo cur Deus quosdam exitio destinarit? Respondemus, quia voluit: Cur damnat? quia peccatores. Ubi ergo injustitia?

47. Hæc si quibusdam non satisfaciunt, respondemus cum Apostolo *a*: *O homo tu quis es, qui ex adverso respondas Deo?* &c. Item cum Augustino *b*. *Disputare vis mecum, mirare mecum & exclama, ô Altitudo, Ambo consentiamus in pavore ne in errore pereamus.* Et iterũ cum Apostolo *c*. *ô profundas divitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei,* &c.

a *Roman.* 9. 20. b *August. de verb. Apostoli Serm.* 11. c *Roman.* 11. 33. & *sequen.*

Quæstiones ex hac doctrina emergentes hæ sunt.

An prædestinatorum nnmerus vel augeri vel minui vel alterari possit?
An prædestinationis immutabilitas, evertat liberũ arbitrium & fatum stoicum introducat?
An ex Reprobatione peccata fluant, ut ex Electione bona opera?
} Negamus.

An Christus pro solis Electis sit mortuus?
An solis Electis fides justificans & peccatorum remissio dentur, & illa nunquam amitti & hæc nunquam irrita fieri possit?
An Ecclesia Catholica illa constet ex solis Electis?
An quis de sua Electione & salute certus esse possit?
} Affirmamus.

F I N I S.

THE-

THESES THEOLOGICÆ

DE

ECCLESIA,

QUAS,

DEO OPT. MAX. JUVANTE,
sub Præsidio

REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI Dn. AMANDI POLANI A POLANSDORF SS. Theologiæ Doctoris, & in inclyta Basilienſium Academia Profeſſoris ordinarii, ac pro tempore Theologicæ Facultatis DECANI Spectatiſſimi, Præceptoris ſui perpetuâ obſervantiâ colendi

Ad 28. diem Januarii

PUBLICE

Diſputandas propoſuit, horâ loco q; ſolitis,

IACOBUS WOLPHAGIUS
POLONUS.

Anno clɔ lɔ cii.

CANONES COLONIENSES.

Nemo negat, inquiunt, in Ecclesia Synceram doctrinam Euangelicam & Apostolicam esse oportere, & hanc esse præcipuam Ecclesiæ notam.

Ambr. hexam. lib. 4. cap. 8.

Ecclesia est sicut luna, defectus habet & ortus frequentes.

Gregor. Mag. à Ph. M. pereuntis Theologiæ præsultor vocatus lib. 6. Ep. 30.

Ego autem fidenter dico, quia quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.

Bernhard. in serm. 2. in Resur. Domini.

Quæ major superbia, quàm ut unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei.

ILLU-

ILLUSTRI, MAGNIFICO, AC GENEROSO, DN. DN. ANDREAE COMITI de Leschno PALATINO Brestensi Cujaviensi, CAPITANEO Naklensi, Domino in Leschno, Goluchow, Baranow, Pohdaice, &c. Domino ac Patrono suo Clementissimo.

Multæ & magnæ sunt Illustris & Generose Domine, Patrone Clementissime, causæ, quæ me ad hasce de Ecclesia theses conscribendas, & sub tutiss. clariss. viri Domini D. Amandi Polani præsidio, publicè defendendas impulerunt. Maxima autem, ut pro tot & tantis C. T. hactenus in me collatis beneficiis, animi mei grati & devoti, aliquod tantùm exstaret indicium. T. enim C. vbi jam ferè conclamatum de meis studiis fuisset, mei clementem curam atque patrocinium singulare suscepit: ea me erexit, ea fovit, ea sustentavit, omniaque necessaria suppeditavit: ita ut quicquid in me est, id unicum me C. T. debere ingenuè fateri cogar. Pro his omnibus quid rependam? quid retribuam? quo pacto hæc beneficia persolvam? Certè præter animum gratum, & tantorum bonorum memorem, nil reperio. Eum ergo Patrone Clementiss. accipe, recordans dicti illius Senecæ: SOLUTIONEM BENEFICIORUM ETIAM ESSE, IPSAM CONFESSIONEM. *Porrò ne & hoc qualecunq; chartaceum munus, & studiorum meorum quasi primitias C. T. aspernari dignetur, obnixè rogo: memor Artaxerxis Regis, qui à quodam, nihil quod largiretur habente, haustam utraque cava manu è proximo flumine aquam vultu alacri offerente, non solùm non respuit, verùm illum etiam phialâ aureâ, ac mille Daricis donari iussit, de qui-*

bus Plutarchus. Deum Omnipotentem suppliciter, omniq́ue votorum nuncupatione precor: ut C. T. Familiamq́ue C. T. splendidiss. perpetuò fœcundet, felicem & fortunatam, magis magisq́ue faciat: eximiasq́ue C.T. laudes virtutum, pietatis, prudentiæ, justitiæ, bonitatis, constantiæ, humanitatis & clementiæ in perpetuam memoriam illæsas conservet, & augmentet: quo hanc sui nominis famam C. T. summa cum laude ad posteros transmittere possit: usq́; omnia C.T. pro desiderio heroici sui animi, quo nocere quidē nemini, prodesse verò omnibus velit, ad incrementum & ornamentū Christianæ religionis, Patriæ utilitatem, Reipubl. amplitudinem & dignitatem, Nominis verò & Gloriæ C. T. immortalitatem, prosperè felicissimeq́ue succedant, syncerè opto: utque me tam optimo Patrono, obedientia, fide & gratitudine dignum reddat, & diutissimè frui concedat, assiduè flagito.

Illis Magnificent. ac Generositat.
Tuæ
Subjectissimus Cliens

Jacobus Wolphagius
Polonus.

THE

THESES THEOLOGICAE DE ECCLESIA.

I.

CUM nulla ferè hodie inter nostros, & Pontificios sit major controversia, quàm de vera Christi Ecclesia: constituimus quædam, cùm exercitii gratiâ, tum verò evincendę veritatis causâ, contra Bellarminum hisce thesibus de illa proponere.

2. Ἐκκλησία Latinè cœtꝰ evocatus seu cõvocatus dicitur ἀπὸ τῦ ἐκκαλεῖν ab evocãdo seu cõvocãdo. Vocabulũ apud Athenienses usitatũ, nobis idẽ quod Concio. Hebręis duo sunt nomina, quib. hęc vox exprimitᵘ קָהָל videlicet, & עֵדָה quorum utrumque congregationem & cœtum congregatum significat. Hæc LXX. Interpretes plerunq; verterunt συναγωγὴ, sed est generalius nomen ἐκκλησίας.

3. Apostoli autem vocabulo ἐκκλησίας potiùs quàm συναγωγῆς usi sunt, primò, quia συναγωγὴ vocatur qualiscunq; congregatio, etiam rerum inanimatarum, & ratione carentium. At ἐκκλησία denotat cœtum ratione præditorum eumque certâ causâ evocatum. Deinde quia vocabulum ἐκκλησίας simul includit vocationis mẽtionem, à qua necesse est, ut initium sumat, quisquis vult Ecclesiæ membrum esse.

4. Est autem ὁμώνυμον vocabulum ἐκκλησίας, & variè accipitur & distinguitur. Significat enim, *primò* templum materiale, ut 1. Cor. 11. 8. *Secundò*, communiter quamvis concionem aut cœtum, etiam Politicum: & sic interdum in malam partem accipitur, pro cœtu nempe malorum Psal. 26. 5. Act. 19. 32. *Tertiò*, totum corpus electorum, fidelium & Sanctorum, ut in Symbolo, & Matth. 16. 18. Ephes. 1. 23. *Quartò* eam partem fidelium, quæ in terra militat Act. 5. 11. 1. Tim. 3. 15. *Quintò*, Collegium presbyterorum & ministrorum verbi Matth. 18. 17. *Sextò* populum & gregem ipsum, qui alio nomine ποίμνιον appellatur Actor. 20. 28. 1. Petr. 5. 2. *Septimò* Familiam quampiam fidelem Rom. 16. 5. *Octavò* Particulares cœtus Fidelium Apoc. 2. 1. 8. 12. Ita dicimus, Ecclesia Romana, Corinth. Galat. &c.

5. Ἐκκλησία distinguitur secūdùm partes, sed conditione differentes, in Triumphantem & Militantem. *Triumphans*, sunt Sancti in cælis, qui in terris fidei militiâ peractâ, beati nunc ibi requiescunt à laboribus suis. *Militans* verò est quæ cum immanissimis hostibus Satana nempe, Mundo, peccato & carne sub Christi vexillo adhuc militat. Hæc variè consideratur & distinguitur.

6. *Primò* in *Universalem*, quæ Catholica dicitur, & *Particularem*. *Catholica* sumitur primò pro tota, quæ est corpus Christi. Deinde, pro particularibus Ecclesiis omnibus quæ fidem Catho-

Catholicam profitentur. *Dicitur Catholica.* 1. Ratione locorum; quia sparsa est per totum terrarum orbem, & ad nullum certum locum, regnum, aut certam successionem alligata. 2. Ratione hominum; quia ex omnium hominum generibus collecta est. 3. Ratione temporum: quia omnibus temporibus fuit, est, & erit. *Particularis* Ecclesia, dicitur particularis credentium cœtus, qui in unitate fidei convenit, & Christo adhæret. Hæc, à loco in quo convocatur, denominari solet.

7. *Secundò* distinguitur in *Visibilem* & *Invisibilem.* Non quod duæ sint Ecclesiæ, sed unica alio atq; alio modo considerata. Visibilis secundum formam accidentalem, externum nempe religionis exercitium. Invisibilis, secundùm formam essentialem, internam videlicet, fidem, spem, charitatem, unionẽ cum Christo, &c. Est itaq; *Ecclesia visibilis* cœtus hominum Christi fidem & doctrinam publicè profitentium, & Sacramentis legitimè utentium: in quo semper mali & hypocritæ sunt admixti bonis. *Invisibilis* autem est cœtus Electorum & renatorum ad vitam æternam, per totum terrarum orbem diffusus, veram fidem & conversionem ad Deum habentium & profitentium.

8. *Tertiò*, Eodem recidit distinctio in Ecclesiam *Externam & Internam. Externa* cùm malos etiam complectatur, σωικδοχικῶς, id est, bonorum tantùm respectu Ecclesia dicitur: non

autem propter reprobos Ecclesiæ nomen amittit. Ecclesiæ crescit inter Zizania, sed non est ager Zizaniorum. *Interna* solos verè credentes & perseverantes in se complectitur. Ea in libro Canticorum appellatur Columba unica, Christi soror, Sponsa unica, hortus conclusus, & consignatus.

9. Ecclesia Externa seu Visibilis ratione temporis, etiam variè distinguitur. Alia fuit *Vetus*, sub veteri Test. alia *Nova*, sub N.T. Alia Legalis, quæ sub Legis pædagogia fuit: alia *Euangelica*, quę post Christum exhibitum Euangelii prædicatione colligitur. Alia *Prophetica*, alia *Apostolica*. Alia *Mosaica*, alia *Christiana*.

10. A quantitate particularium dicitur Ecclesia, aliâs *Magna* secūdum multitudinem profitentium: aliâs *Parva* cùm ad paucos cœtus, vel paucas familias, vel ad unam, imò ad unum hominem redacta videtur.

11. Ecclesiæ Particulares ratione ministerii, aliæ sunt *Publicæ*, manifestæ, & illustres in mundo, cùm liberè & publicè prędicatur doctrina: aliæ *Privatæ*, latentes, & obscuræ, cùm vel Tyrannorum vi, vel fraude hæreticorum, vel negligentia prędidum, vel alio quocunque defectu ministerium publicum jacet oppressum vel neglectum. Aliæ *Veræ*, aliæ *Falsæ*. Aliæ *Puræ*, aliæ *impuræ*. Aliæ *minùs*, aliæ *magis corruptæ*. Aliæ *Reformatæ*, in quibus ministerium & cultus divinus ad normam & regulam Verbi Divini à corruptelis est repurgatus: Aliæ *Adulteræ*

ulterę vel hęreticæ, quæ fundamẽto aut toto, aut ex parte convulso, blasphemos errores & manifesta idola ac scelera tuentur.

12. *Veræ Visibilis Ecclesiæ certas proprias, genuinas, ac essentiales notas*, ex rei ipsius natura, omni mutatione libera, sumendas esse statuimus. Non autem ex nudis accidentibus (ut sunt Bellarmini omnes) quæ sine rei cui inhærent interitu adesse vel abesse possunt, & naturâ suâ, rei essentiam, ut constituere, sic & demonstrare nequeunt. Quarum illæ à Philosophis τεκμήρια, hæ verò ἐνόητα vocantur.

13. In illis autem requirimus 1. ut sint *propriæ* illius rei cujus sunt notæ ac nullis aliis communes. 2. ut sint *Inseparabiles*, hoc est, quæ omnium temporum Ecclesiæ conveniant. 3. ut sint perspicuæ, & notiores eâ re, quam significant.

14. Ejusmodi Ecclesiæ notas duas esse dicimus, *Synceram* nempe *doctrinam*, seu Fidem incorruptam, secundùm Scripturam Prophe ticam & Apostolicam: deinde, *Legitimum Sacramentorum usum*, juxta institutionem divinam.

15. Has notas verissimas esse docent *primò* sequentes Sacræ Scripturæ loci. *De doctrina.* Joh. 8. 31. 47. &, 10. 27. & 14. 23. & 18. 37. Act. 2. 42. Eph. 2. 20. 2. Joh. 1. 9. *De Circumcisione* Gen. 17. 10. 11. *De agno Paschali.* Exod. 12. Legatur etiam Deut. 4. 6. Psalm. 147. 19. 20. Jes. 59. 21. Matth. 28. 19. &c.

16. *Secundò* eas, Patrum, ipsorumq; Papistarum testimoniis confirmamus. *Augustinus* de unitat. Ecclesiæ cap. 3. Nolo humanis documẽtis, sed divinis oraculis S. Ecclesiam demonstrare. Et Epist. 166. In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam. *Chrysost.* in opere imperfecto in Matth. hom. 49. Nunc nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi *tantummodo* per Scripturas. *Thomas Aquinas* in tertia, secundæ, quæstione 6. diserte ait: Ecclesiam fundari in Fide, Doctrina & Sacramentis. *Bellarminus* lib. 1. de Pontifice Rom. cap. 11. Sect. 4 dicit: Ecclesiam pendere à fide ut à principio justificationis. Et Sect. 7. In ea doctrina Ecclesia acquiescit, quã Apostoli & Prophetæ à Domino didicerunt, & prædicatione vel literis ad posteros mandarunt, &c

17. *Tertiò* eas Rationibus demonstramus. 1. Defectio à vera fide est nota falsæ Ecclesiæ: Ergo perseveratio in vera fide est nota veræ Ecclesiæ. 2. Sana doctrina & legitima Sacramẽtorum administratio est Forma Ecclesiæ, Ergo nota. Nihil enim magis indicat rem, quàm rei forma, & Forma dat esse rei. 3. Doctrina judicat verum & falsum prophetam Matth. 7. v. 16. Ergo per consequens veram & falsam Ecclesiam. 4. Ecclesia ad puram verbi prædicationem alligatur, ipsis Papistis assentientibus. 5. Boni & pii Principes (ut legitur de

de Josia, 2. Reg. 23. de Esra, Esr. 7. 10. de Nehemia, Neh. 8. 3.) non aliunde, quàm ex verbo Dei scripto Ecclesias instaurabant, & repurgabant. Ita & Ezechias, Josaphat, Salomon, &c.

18. Quæ Bellarm. lib. 4. de Ecclesia cap. 2. contra has nostras de Ecclesia notas objicit, partim falsa sunt, partim sententiam nostram magis confirmant. Notarum autem, quarum ille 15. ponit ne unam quidem Essentialem esse, constanter asserimus.

19. *Veram Catholicam & Internam Ecclesiam oculis humanis cerni non posse*, ingenuè contra Bellarm. & alios Pontificios dicimus. Non autem quòd membra illius, ratione sui sint invisibilia, aut cum visibili ministerio & exercitio divini cultus nihil iis sit commercii: sed quòd nō possint externo sensuum judicio discerni, qui verâ fide præditi sint, qui SS. gratia perfusi, qui Electi. Hæ proprietates internæ aspectui hominum externo minimè subjacent.

20. Id *primò* probamus sequentibus S. Scripturæ locis Matth. 16. 18. Luc. 11. 28. Johan. 10. 27. Eph. 1. 22. & 5. 25, 26, 27. 2. Tim. 2. 19. 1. Pet. 2. 5. &c.

21. *Secundò* id probatur Patrū ipsorumq; Papistarū verbis, ut *August.* de Catec. rud. cap. 20. Cælestis Hierusalē cives sunt omnes sanctificati homines, qui fuerunt, & qui sunt, & q̄ futuri sunt. *Cyprianus* lib. 1. Epist. 3. Ecclesia nunquā à Christo discedit: & ii sunt Ecclesia, qui in domo Dei permanent. *Gregorius à Valentia* part. 6. anal. pag. 139. Non usque adeo ipsi Ecclesiam

volumus esse visibilem, ut sentiamus, aut oculis cerni, aut evidenti ratione intelligi posse ipsam Ecclesiæ quasi Essentiam, veritatem aut etiam proprietates ejus omnes. Non enim arbitramur, palàm aspici, aut evidenter cognosci posse, quòd ulla congregatio sit revera cœtus rectè colentium DEUM, &c.

Id & ipse *Bellarm.* lib. 3. de Ecclesia cap. 6. concedere videtur: distinguit enim Ecclesiam visibilem ab invisibili. Et eodem lib. cap. 15. fatetur, quòd cœtus prædestinatorum sit vera Christi Ecclesia, id non videri, sed credi.

22. Tertiò *Rationibus.* 1. In Symbolo dicitur *Credo* Ecclesiam Catholicam: visibilia autem non creduntur. 2. Ex solis prædestinatis, qui invisibiles sunt constat. 3. Non oculis corporis subjicitur, sed Spiritu cernitur. Apoc. 21. 10. 4. Est Christi corpus mysticum. 5. Est cœtus justorum omnium ab Abel ad ultimum usque fidelem, à principio mundi ad finem usque, qui certè non videtur.

23. Quæ Bellarmin. contra hanc nostram sententiam lib. 3. de Ecclesia cap. 12. objicit nihil probant; partim enim falsa sunt, partim ὁμώνυμα, partim in illis peccat vitiosâ interpretatione, partim mutatione quæstionis seu status controversi.

24. *Ecclesia vocatorum, quæ malos ac bonos continet, non semper in multis, iisq; ad unam sedem & successionem alligatis consistit:* Sed aliquando propter persecutionem Tyrannorum in paucis, obscuris,

obscuris, & abjectis hominibus est. Semper quidem aliqua fuit, est, & erit Ecclesia: at non semper glorioſa, frequens, & splendida.

25. Duplicem autem Ecclesiæ splendorem statuimus *Internum* & *Externum*. *Internus* est, qui Ecclesiæ internæ est ἀπαύδης, & quo carere nunquam potest, qui in internis, fidei, spei, charitatis & aliorum virtutum ornamentis consistit. Secundùm hunc Ecclesia nō deficit, licet aliquando minor sit, aliquando major. *Externus* est, qui in pace, magnitudine, & frequentia professorum, aliisque externis ornamentis consistit. Hic splendor non est perpetuus Ecclesiæ: sed sæpè obruitur, abscondi-tur, opprimitur & obscuratur. Secundùm hunc splendorem Ecclesia potest deficere, & sæpè defecit.

26. Probamus hoc *primò* testimoniis Sacræ Scripturæ, ubi Ecclesiam defeciſſe legimus. 2. Paralip. 15. 3. Jes. 1. 3. Jer. 2. 26, 27, 29. & 5. 1. Luc. 18. 8. 2. Thes. 2. 3. 1. Tim. 4. 28.

27. *Secundò* historiis temporū: ut, defecit Ecclesia tempore Eliæ. 1. Reg. 19. quem locum Paulus Rom. 11. 3. toti Ecclesiæ accommodat, tempore Micheæ. 1. Reg. 22. tempore Hieremiæ. Jer. 18. 18. tempore Antiochi Epiphanis, ubi nemo se simpliciter Judæum esse confiteri ausus est. 2. Mach. 6. 6. Quicunq; verò mortis periculum evitarunt, aut idolis sacrificarunt 1. Machab. 1. 45, 55. aut saltem in speluncis delitescere cogebantur 1. Machab. 1. 56. 2.

Machab. 6. 11. Defecit Ecclesia tempore Christi: defecit temporibus quæ Christum proximè secuta sunt, vt sub Diocletiano, Maximiano, & Valeriano. Euseb. lib. 8. Defecit tempore Arii, ubi vix quinque erant Episcopi Catholici. Ingemuit totus orbis, & se Arianum miratus est. Defecit Ecclesia Corinth. Galat. Thessal. Hierosol. Alexandr. Antiochena, addo & Romana.

28. *Tertiò* id etiam Patrum ipsorumq; adversariorum testimoniis roboratur. *August.* Epistol. 48. ad Vincent. Ecclesia lunæ similis est, quæ nunc tota lucet incensa radiis solis, nunc lumine magnâ ex parte privatur, nunc lumen omnino nullum ostendit. *Item* ipsa est Ecclesia, quæ aliquando obscuratur, & tanquâ obnubilatur multitudine scandalorum. *Tertul.* in exhortat. ad cast. Etiam in uno & altero Ecclesia est, licet Laici. Et ipsi *Papistæ* tempore Antichristi Ecclesiam tres annos cum dimidio latituram esse concedunt. *Staplet.* lib. 13. princ. fid. doctr. cap. 2. Regnante, inquit Antichristo in locis abditis, in latibulis, in speluncis, quo se recipient sancti, non incommodè quæretur Ecclesia. *Greg.* à *Valent.* fatetur cum Hilario & Augustino, part. 6. anal. fid. pag. 143. lib. 14. tempore Arii Ecclesiam non in tectis, & exteriore pompa, sed potiùs in carceribus & speluncis quærendam fuisse.

29. *Quartò* hoc probatur Ratione. Ecclesia non semper est libera à persecutionibus. At perse-

persecutio splendori & claritati adversatur. Deinde Ecclesia comparatur thesauro in agro absconditio Matth. 13.44. Item pretiosæ margaritæ vers. 45. & reti vers. 47. Item mulieri fugienti in desertum Apoc. 12.6.

30. Argumenta, quæ Bellarm. cap. 13. contra hanc Orthodoxorum sententiam objicit nobis non adversantur. Quædam enim rem non attingunt, quædam ad nos non spectant. Peccat igitur Ignoratione Elenchi.

31. *Militantem Ecclesiam & errare posse, & jam sæpius errasse asserimus.* Errorem autem duplicem statuimus, *Fidei* seu doctrinæ, & *Morum* seu vitæ. *Error Fidei*, est cùm falsum judicatur. *Error Morum*, cùm malum committitur.

32. Hi errores alii sunt *sanabiles*, alii *mortiferi*. *Sanabilis* fidei error est, qui non est in fundamento, & qui ante finem vitæ deponitur. *Insanabilis* est in fundamento, ad exitum vitæ retentus. Error Sanabilis *Morum* est, cujus vera ante mortem agitur pœnitentia. Insanabilis contrà.

33. Qui in Ecclesia externa tantũ sunt vocati, vocatione generali externâ, non autem Electi, errare possunt tam in doctrina quàm moribus, errore tam sanabili, quàm insanabili, ut Saul, Judas, &c. Qui autem sunt in Ecclesia vocatorum Electi, in errores insanabiles non cadunt, idque quia perire non possunt. Errant autem in doctrina & moribus errore curabili.

34. Quod in moribus labi possint Electi, nos & Sacra Scriptura docet 2. Chronic. 6. 36. Psal. 14. 3. Rom. 3. 10, 11. & insignium virorum tristissimi lapsus ostendunt, ut Davidis 2. Samuel. 12. 9. Petri. Matth. 26. 70. & aliorum.

35. In doctrina autem Electi errare possunt, errore curabili. 1. Laici. 2. Ipsi Doctores. 3. Particulares Ecclesiæ. 4. Universa Ecclesia militans. De *Laicis* manifestum est Actor. 11. 2, 3. De *Doctoribus* testatur primò Esaias cap. 57. 2, 3. Jer. 8. 8. Deinde id etiam evincitur exemplo Apostolorum ante effusum in illos è cælo S. S. Luc. 24. 21. Actor. 16. & post acceptum in die Pentecostes S. S. quidam qui in Judæa erant censuerunt, Euangelium gentibus non esse annunciandum. Actor. 11. De *particularibus Ecclesiis* docēt exempla Ecclesiæ Galat. Cor. & aliarum, id quod etiam ipsi Papistæ fatentur.

36. De *Universali militante Ecclesia* eam ad tempus in doctrinæ aliqua parte errare posse, docent sequentes rationes. 1. Quia Deus hoc non promisit Ecclesiæ, fore, ut non erraret. 2. Quia omnium hominum scientia est imperfecta. David de se Psal. 25. 7. Paulus de se & aliis fidelibus. 1. Corinth. 13. 9. 3. Nulli fideles ab erroribus sunt immunes, sed omnes homines peccare possunt. 4. Omnes & singulæ particulares Ecclesiæ errare possunt. 5. Ecclesia triumphans dicitur à peccato & errore libera. Ergo antea in militanti utroque labora-

laborabat. Peccare posse fatentur adversarii, non autem errare, quod est absurdum: cùm peccare plus sit, quàm errare. 6. Synagoga Judæorum, quæ ante tempora Christi vera Dei Ecclesia fuit, in multis erravit & de fide & de moribus. Item tempore passionis Christi tota Ecclesia erravit, summus Pontifex cum concilio. 7. Error cum Ecclesiæ natura consistere potest, alioquin omnes particulares Ecclesiæ tollerentur. 8. Si impii homines sunt vera Ecclesiæ membra secundùm Papistas, tum certè non modò errat, verùm etiam errores tolerat & approbat. 9. Quia concilia Oecumenica (quæ juxta Adversarios totam Ecclesiam repræsentant) sæpè errarunt. Concilium Constantiense sess. 4. Papam Concilio generali subjecit; quod tantopere Concilio Florentino displicuit: ut Concilium Basiliense tale quid in Eugenium moliens damnaverit. Concilium Constantinopolitanum generale imagines deturbat: Nicænum secundum adorandas decernit. Nicæno Concilio primo probatur Presbyterorum matrimonium, & communio sub utraque specie: Concilium Constantiense & Basiliense, nominatim Laicis poculum interdixit: Tridentinum & poculum & Presbyteris matrimonium, &c. Cùm igitur quædam Concilia inter se pugnent, & simul vera esse nequeant, aliqua ex illis errasse necesse est.

37. Non autē errat vera Ecclesia. 1 Quan-

do audit & sequitur vocem sui pastoris Christi. 2. Non errat universaliter, hoc est, in omnibus fidei articulis. 3. Non errat tota. 4. Non fundamentaliter 5. Non finaliter.

38. Hujus Controversiæ Bellarmini sententia, quam citat lib. 3. de Ecclesia cap. 14. & in Deum blasphema est, & in Christum maledica. Objectionibus autem, quibus hanc Orthodoxorum sententiam infringere conatur, nihil obtinet: nostræ enim sententiæ potiùs favent quàm illius.

39. *Membra Ecclesiæ visibilis seu externæ duplicia esse statuimus*, alia *viva* & vera, alia *mortua* & falsa, quæ æquivocè membra dicuntur.

40. *Ecclesia Catholica & interna, est universitas membrorum tantùm vivorum*, hoc est, hominum tantùm Electorum, prædestinatorum, justorum, sanctorum ac bonorum, internis SS. donis, fide, spe, & charitate præditorum, ab origine usque ad finem mundi per verbum vocatorum, & sanguine ac Spiritu Christi ad vitam æternam sanctificatorum. Non autem intelligimus justos, ut Novatiani, nec perfectos, ut Pelagiani.

Id *primò* ex Scripturis probamus. Rom 8. 9. 1. Corinth. 10. 17. 1. Corinth. 12. 13. 2. Corinth. 6. 14, 15, 16. Item soli Electi cum Christo conjunguntur, pro illis se solis tradidit Ephes. 5. 23, 25. Soli Christo dati. Esa. 8. 18. Johann. 10. 29. Soli S. S. præditi. Johan. 14. 17. Soli è mundo selecti. Johan. 15. 19. Soli Deo credunt Johan.

han. 10. 26. Actor. 13. 48. Soli Deo chari. Maleach. 1. 2. Johan. 3. 16. Rom. 5. 8. Solis datum est nosse mysteria regni Matth. 13. 11. Soli perire non possunt. Matth. 24. 24. Johan. 10. 28. Soli perseverant. 1. Johan. 2. 19. Illorum tantùm nomina scripta sunt in cælis. Luc. 10. 20. Illorum solus Deus est Pater. 2. Corinth. 6. 18. Illis solis Satanas non prævalet. Matth. 16. 18. &c.

42. *Secundò* id etiam Patres confirmant. *August.* tractat. 61. in Johan. Secundùm externam communionem erant ex nobis, secundùm communionem cum Christo non erant, &c. *Ambr.* in Psal. 35. Sicut sancti sunt membra Christi, ita impii membra Diaboli. *Fulgent.* Alii ad veram pertinent Ecclesiam, alii ad Sacramentorum tantùm.

43. *Tertiò* id & aliis rationibus probari potest. 1. Vera Dei Ecclesia hortus conclusus, fons obsignatus, & puteus aquæ viventis Cant. 4. dicitur. Ergo nulli improbi intrabūt, quia hujus horti est custos, qui falli nō potest. 2. Ecclesia est unum ovile, ad quod oves tantùm pertinent. 3. Dicitur Sancta in Symbolo. 4. De Reprobis dici non potest, eos esse corpus Christi. 5. Si per aquam & S. S. fit unus populus Dei, hoc est, Ecclesia Dei una, (ut Bellarm. dicit. cap. 9. li. 3. de Ecclesia, sect. 12.) Ergo impii non pertinebunt ad Ecclesiam, siquidem S. S. non habent. 6. Si nemo separatur à triumphante Ecclesia, qui non et-

iam à militante (ut ait Bellarm. cap. 5. Sect. 12.) tum certè & impii in militante nō erunt, siquidem à triumphante separantur.

44. Excludimus ergo ab Ecclesia Catholica, omnes impios, reprobos, non prædestinatos, peccatores manifestos, & infideles occultos, contra cap. 7. 9. 10. Bellarm. & contrà includimus Catechumenos fideles, & electos: injustè excommunicatos ab externa societate contra cap. 3. & 6. Bellarm. Caput enim 4. 5. & 8. ad nos non pertinet.

45. Argumenta, quæ Bellar. cōtra has nostras assertiones cap. 3. 6. 7. 9. 10. adfert, nihil adversus nos probant. Partim enim non faciunt ad propositum, de particulari enim Ecclesia agunt: partim pro nobis faciunt: partim peccant in ὁμωνυμίᾳ vocis, vel Ecclesiæ, vel fidelium, ex quibus multa absurdissima, in multis sibi ipsi contradicens, colligit. Definitionem quoque ejus Ecclesiæ, quam libro 3. de Ecclesia ponit cap. 2. & ex qua omnes hujus controversiæ errores proveniunt, falsissimam esse asserimus. Est enim mutila, non sufficiens, blasphema, sibi ipsi repugnans, & quam ipse nolens volens, verbis Augusti & propriis tollit.

46. *Particularem autem & externam Ecclesiam non tantùm ex membris vivis: sed etiam mortuis,* ut hypocritis *constare,* contra Donatistas, Catharos, & Novatianos *asserimus.* Id enim *primò* docent parabolæ illę Matth. 3. 12. & 13. 47. *Secundò* hoc

dò hoc confirmat experientia. *Tertiò:* exempla Ecclesiæ Corinth. & Galat. *Quartò,* quia nullus liber est ab omni peccato. 2. Paralip. 6. 36. Proverb. 20. 9. Psal. 32. 5.

47. Quoniam Ecclesiæ corpus constans ex membris caput habeat necesse est, à quo regatur & incrementum capiat: *Caput* hoc *summum, & unicum Ecclesiæ solum Jesum Christum esse dicimus,* his rationibus moti.

48. *Primò,* quia id nos Sacra Scriptura docet. Ezech. 37. 24. Johan. 10. 16. 1. Corinth. 11. Eph. 1. 22. & 4. 15. & 5. 23. Col. 1. 18. & 2. 10.

49. *Secundò,* id patres confirmant. *August.* de Unitat. Ecclesiæ, cap. 2. tomo 7. Ecclesia Catholica corpus Christi est, caput est ipse Christus Jesus, Unigenitus filius Dei vivi, ipse Salvator corporis. *Theophyl.* in 1. ad Corint. 3. Cùm constet, Christum & verum esse, & unicum Fundamentum, super hunc nobis ædificatio statuenda est.

50. *Tertiò* ipsa ratio suadet. Omnia enim quæ in vero capite requiruntur, solus sufficienter atq; utiliter præstat. Requiritur enim in illo, ut non tantùm sit homo, sed etiam DEUS, id quod in solum Christum cadit. Col. 2. 9, 10. Deinde, ut subministret corpori omnem motum, sensum & vitam spiritualem.

51. *Non ergo potest nec debet Christo homo adjungi,* qui enim in his terris referat, & vicariam operam impendat tanquam caput subalternum, visibile & ministeriale, contra cap. 9.

lib. 1. Bellarm. de Rom. Pontif. *Primò*, quia hoc Deus in Scriptura prohibuit. Matth. 20. 25. & 23. 8. Luc. 22. 26. 1. Petr. 5. 3. & quas dignitates Deus (cujus solius est honores domus suæ disponere. Hebr. 5. 4.) constituit, legimus Roman. 12. 6, 7, 8. 1. Cor. 12. 28. Eph. 4. 11. *Secundò*, non est necessarius hic vicarius. Præsens enim est Ecclesiæ suę Christus, in eaq; per verbum, ministerium & S. S. illa peragit, quę necessaria sunt. *Tertiò*, homines ad hoc apti esse non possunt. Quæ enim convenientia homini cum Deo? Porrò Ecclesiæ regimen est prorsus spirituale, perpetuum, non ex hoc mundo. Joh. 18. 36. Et qui caput est Ecclesiæ, ejusdem etiã debet esse Redemtor, ditare illam omni benedictione, illi administrare justitiam, vitam, & quicquid spectat ad veram beatitudinem: patefacere suam voluntatem, corda ad obedientiam disponere, semper præsens esse: participem facere pacis, gaudii: denique eam sic tueri & servare, ut sit extra omne periculum, ita ut perire nunquam possit. *Quartò*, Christus est Ecclesiæ sponsus, non ergo poterit ferre corrivalem. *Quintò*: Nullus capiti subalterno potest, in corpore, ubi Christus est caput assignari locus.

52. *Falsum ergo est: Petrum à Christo fuisse summum Ecclesiæ caput institutum*, & primatu externo in alios donatum contra cap. 10. lib. 1. Bell. de Rom. Pontif. *Primò*: Quia id non constat ex sacris literis. *Secundò*: Quia fuit minister & ar-

& architectus Ecclesiæ pari consortio præditus cum cæteris Apostolis teste Bellarm. lib. 1. de Pontifice Romano, cap. 10. Sect. 8. *Tertiò:* Discipuli de primatu contendentes omnes à Christo Petro non excepto, objurgati sunt. Mar. 10. 42. *Quartò:* Fuit Apostolus Judęorum. Gal. 2. 8. *Quintò:* Die pentecostes nihil peculiare in Petro accidit. *Sextò:* In Concilio Hierosolymitano Jacobus, nõ Petrus præsedit. Act. 15. 13. *Septimò:* In cœtibus Ecclesiasticis acta, ꝓpositiones, cõclusiones, resolutiones, & edicta omniũ fuerát, & omniũ nomine ꝓponebantur. Act. 1. 26 & 6. 2, 3, 4, 5, 6. & 15. 6, 22, 23. & 16. 4. Eph. 2. 20. & 3. 5. *Octavò:* Petrus ipse sibi nihil aliud attribuit, quàm sortem ministerii aliis etiam Apostolis communem. Act. 1. 17. 25. & in suis scriptis se tantùm vocat Apostolum, servum Jesu Christi, testem perpessionum, presbyterum, &c. Principem autẽ pastorum Christum esse dicit. *Nonò:* Ipse ab Apostolis Hierosolymam missus. Act. 8. 14. *Decimò:* à Paulo correptus. Gal. 2. 11. 14. *Undecimò:* Actionibus suis offensis se sistit, & coram tota Ecclesia rationem factorum suorum reddit. Act. 11. 4. *Duodecimò:* Paulus se expresse huic præeminentiæ opposuit, & descendit in comparationem sui cum Petro Gal. 1. & 2. 2. Corint. 11. 5. & in tumultu qui in Ecclesia Corinthiaca fuit ortus, Petrus nominatur in eodem cum aliis gradu, nec quicquam illi plus quàm aliis tribuitur 1. Cor. 3. 21, 22. Non ergo Petrus to-

tius Ecclesiæ Monarcha loco Christi fuit: cùm id neq; ex vocatione, neq; ex dictis, neq; ex factis, neq; ex scriptis ipsius probari possit.

53. Quare & consequens falsum est, contra lib. 2. Bell. de Rom. Pontif. *Romanum, nempe, Episcopum successorem esse Petri in Pontificatu.* Nam non succedit in Episcopatu, non enim pascit, sed deglubit oves Christi: non in Apostolatu: non in sanctis officiis & virtutibus: nō in doctrina: non in officiis prædicandi: non in laboribus. Regalis enim ornatus, magnificentiæ, magnus apparatus, superbus comitatus, triplices coronæ, Principum contemtus, crepidæ adoratio, nihil habent simile. Successio ejus eadem est, ac cùm tenebræ luci succedunt, privatio rei existenti, mors vitæ.

54. Præterea controversum est, an Petrus unquam Romæ fuerit, nedum 25. annorum spatio Pontificatui præfuerit. Historia enim & temporū supputatio 2. tempus quo alibi commoratum esse liquet 3. fœdus ejus cum Paulo initum. Gal. 2. 9. ut ille Judæorum hîc, gentium esset Apostolus 4. Epistolæ à Paulo scriptæ 5. Testes Catholici, nempe, Hieronymus Presbyter Ecclesiæ Romanæ, & Nicolaus Lyra, qui Petrum Hierosolymę esse crucifixum dicūt, hæc omnia, inquam, rem hanc incertam, imò falsam esse faciunt.

55. Et dato, sed non concesso, eum fuisse Romæ, nō tamen sequitur fuisse Romanū Episcopum. Fuit enim Apostolus, & nō in uno illi

illi cõsistendum loco erat. Tum & ipsius professiones & labores cum his non consentiũt: & hoc mundo multo majore veri specie illum Hierusalem, Babylonia & Antiochia suum Episcopum dicerent. Et etsi Petrus fuisset Episcopus unius urbis: probandum tamen erit fuisse Episcopum universalem, quod certè usus & definitio Episcopi non fert: idq; falsum esse jam probatum est.

56. Sed & hoc concesso, probandum iterum erit: an etiam hæc dignitas ad alios post ipsum successione perveniat? Deinde quæstio erit de successore. Etsi autem Papa dicit, se sedem hanc occupare: non tamen sequitur, fieri id legitimæ successionis lege. Nam sedent & Tyranni in soliis Regum, legitimorumq; Principum. Et Nestorius legitimè Constantinopoli, Samosatenus Antiochiæ successit.

57. Est igitur Papa non veri Petri successor, sed Petri illius quem confinxit: faciens è servo Christi, Dominum & supremum in Ecclesia: ex Apostolo, urbis Episcopum: & in locum mandati, ut proficisceretur in universum orbem, eum in uno loco collocãs, sedemque illi erigens, ubi nunquam fuit, nisi fortè ut perpeteretur martyrium, invitus Romam ductus.

58. Successores autem Petri sunt, qui officio, non loco, qui veræ doctrinæ, pietati, & sanctitati vitæ succedunt. Successio sedis est nomine tantùm: successio fidei habet rem i-

psam & veritatem. Non habent Petri hæreditatem, qui fidem Petri non habent. Cathedra non facit Sacerdotem, sed Sacerdos Cathedram. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum.

59. *Non itaq; Papa* (ut ille miserè imperitis imponit) *est summum Ecclesiæ caput:* alioquin Ecclesia corpus ejus esset: Apostoli, qui post mortem Petri diu vixerunt, illo fuissent inferiores: ab inferorum portis non superaretur: non per fraudes, varias technas, & Simoniacas artes sedem ascenderet: non hæreticus, nigromanticus, Magus, furiosus, tyrannus, impostor, adulter, homicida, fur, latro & lupus esset: deniq; exemplo aliquo hanc suam dignitatem vel ex Antiquitate & Primitiva Ecclesia probare posset.

60. Hæc autem, siquidem sese aliter habent, apparet: Papam initium suum sumsisse, ab aperta Tyrannica usurpatione, contra expressum Dei verbum: contra veteris Ecclesiæ statum: contra ipsorum Episcoporum Romanorum testimonia: contra Patrum scripta: contraq; ipsorum Romanensium decreta & concilia, quæ brevitatis causa omittimus. *Solus ergo Jesus Christus est unicum & summum caput & fundamentum Ecclesiæ.* Cui soli sit laus, honor & gloria, in sempiternum. *Amen.*

PRO-

PROBLEMATA.

I.

AN Ecclesiæ autoritas consistat in Canonibus Scripturæ consignādis, traditionibus, quæ scriptæ non sunt, stabliendis, ut Adversarii volunt? Neg.

II. An Romana Ecclesia ante tempora Bonifacii III. Successoris Gregorii Magni, fuerit vera Ecclesia? Affirm. Quamvis paulatim cœpit deficere, teste Eusebio lib. 3. cap. 9. qui eam, non diu post Apostolos, virginem mansisse, dicit.

III. An hodierna Ecclesia Romana sit vera & sola Catholica Ecclesia? Neg. Quamvis in ipso Papatu huc usq; servatam fuisse Ecclesiam, sed minùs puram asseramus.

ORNATISSIMO
Juveni,

DN. JACOBO WOLPHAGIO
pro Ecclesia disputanti.

QUAM patitur varios Ecclesia vera dolores,
Oppressa mille fraudibus:
A scurris dudum veteri spoliata nitore,
Erroribus qui devijs,
Impia Sacrilegæ tradentes dogmata mentis
Hinc inde conspurcant piam.
Ex manibus Christo conati avellere, & illam
Vicario ejus tradere,
Quæ tribuit sibi sed perversus nomina, falsò
Mandata cùm Christi fugit.
Deinde caput, mediumq; cupit depellere, Christum,
Media docens contraria:
Tum sanctos, operumq; decus, tum sculptilia, ingens
Pictarum opus & imaginum.
At nugas fuerint illum qui obtrudere dicant,
Dirâ utitur tyrannide.
Helvetia esto mihi, sis tu quoq; Gallia testis,
Sis Belgium, sis Anglia.
Vos quia nec scriptis, potuit nec vincere verbis
Ensem minatur improbus.
Jam quoq; Sarmaticos cœtus, sanctamq; catervam
Vorasset olim perfidus.
Hunc nisi TURNOVIUS clarus pietate fideq;
Augente vires numine;

Qui

Qui sibi commissum à Christo defendit ovile,
Sermonis ense mystici
Deprimat, & Stygias depressum mittat ad undas,
Ut sic recedat impudens.
Huic quoq; tu mortem, tu toxica dura paras, dum
Ecclesiæ pro partibus
Præsidio magni fretus simul arte POLANI
Stas disputasq; fortiter.
Perge igitur veram Christi defendere causam,
Et perge falsum tollere.
Patria sic tellus tanto gaudebit alumno,
Cantabit & grates DEO.

Benevolentiæ ergò
lusit
M. JOANNES MUSONIUS Pol.

ANALYSIS LOGICA CATECHISMI BASILIENSIS Thesibus Theologicis perspicuè illustrata.

QUAS

Sub præsidio eximii Christi servi,

D.D. AMANDI POLANI A POLANSDORF, S. THEOlogiæ in celebratissima Basileensium Academia Professoris celeberrimi, & pro tempore DECANI spectabilis, Præceptoris sui colendissimi,

Publicè ventilandas, & discutiendas
11. Febr. proposuit

M. CYRILLUS OESIUS
Helvetio-Basileensis

2. *Joh.* v. 10, 11.

Εἴ τις ἔρχεται πρὸς ὑμᾶς, καὶ ταύτην τὴν διδαχὴν οὐ φέρει, μὴ λαμβάνετε αὐτὸν εἰς οἰκίαν, καὶ χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε. Ὁ γὰρ λέγων αὐτῷ χαίρειν, κοινωνεῖ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ τοῖς πονηροῖς.

Anno CIↃ IↃ C II.

Præstantissimis Viris

D.D. JOH. JACOBO GRYNAEO, Antistiti Ecclesiæ Basileensis vigilantissimo, & S. S. Theologiæ Professori clarissimo:

D. D. AMANDO POLANO Theologiæ Professori excellentissimo, ejusdemq; facultatis pro tempore DECANO spectabili:

D. M. HENRICO JUSTO, Pastori Ecclesiæ, quæ est ad S. Petrum, fidissimo:

D. M. JOANNI TRIFIO ἐπισκόπῳ Ecclesiæ Leonhardinæ vigilantissimo:

D. SIGISMUNDO KÜNIO Pastori in minori Basilea eximio:

Dominis

MECOENATIBUS, PATRIBUS, ET PRAECEPTORIBUS SUIS

Summè colendis
Optimeque de se meritis

Hasce suas in θεολογίᾳ primitias

IN

Grati animi πεκμήριον
Perpetuę observantiæ monumentum
Profectuum in studiis argumentum

L. M. Q.

D. D. D. D.

M. Cyrillus OEsius φιλο-
θεόλογος.

THESIS I.

Catechismus Basileensis est perspicuũ compendium religionis Christianæ, è libris Propheticis, & Apostolicis collectum, quod certis quęstionibus & responsionibus comprehensum, rudioribus viva voce traditur, & ab iisdem exigitur: in hunc finem directum, ut unusquisque Christianus à puero verum Christianissimum intelligat, & exerceat.

2. Partes ejus sunt duæ, quarum prior agit de *Initiatione* Christiani, posterior de Christiani *Officio*.

3. Initiatio Christiani fit per *Baptismum*. Cujus fructuosè consideratur tum *Natura*, tum *Necessitas*.

4. Natura Baptismi quæ sit, apparet ex ejus definitione. Baptismus est prius N. T. Sacramentum, quo fœderati Deo, adhibitâ aquâ, à Christo, Verbo mediante, per Ministrũ abluuntur, & ad novam vitam regenerantur. Matth. 28. v. 19. Marc. 16. vers. 16. 1. Corinth. 1. vers. 13, 14, 15. Roman. 6. v. 3, 4. Ephes. 5. versic. 26. 27. Actor. v. 2. 38. &c. Definitio hæc competit etiam Baptismo Johannis præcursoris Christi. Qui Baptismus ideo sic vocatur. Non quia hunc Johannes administrabat. 2. Nec ideo, quia fuit à Johanne institutus, non enim à Johanne sed à Deo institutus fuit. Johan. 1. v. 33.

verſ. 33. 3. Nec ideo quia primus baptizabat hoc baptiſmo: poterat enim alius. Sed ideo I. quia fuit primus promulgator hujus baptiſmatis. Non enim alius hoc baptiſma promulgavit. II. quia fuit ſolus miniſter hujus baptiſmi. Non enim diſcipuli Johānis, ſed ſolus ille baptizaſſe legitur. III. quia totum quod ibi fiebat (ſi exteriora ſpectes) Johannes operabatur. IV. quia non dabatur in forma, quam Chriſtus poſtmodum inſtituit. Vide Gabriel excell. Scholaſticum doctiſſ. in 4. ſent. fol. 58. 59.

5. Obſervari hîc debet tum *Subjectum*, cui Baptiſmus conferri debet: tum *Materia*: tum denique *Cauſſa* efficiens principalis Baptiſmi.

6. Subjectum, ſunt tantùm fœderati Deo πίστει. I. Ergo, quibuſcunque Sacramentum Baptiſmi eſt collatum, ii Deo gratias agere debent. q. 1. ratio. I. quia mox ubi ſacro fonte loti ſunt, cœperunt eſſe Chriſtiani. q. 2. Baptiſmus enim illis fuit quaſi janua ad Chriſtianiſmum. q. 3. ratio II. quia in Baptiſmate regeneramur. q. 4. πῶς. II. Ergo nō tantùm adulti, ſed etiá infantes baptizandi ſunt. ratio. I. quia & illi in fœdere gratiæ continentur. Gen. 17. verſ. 7. 14. Actor. 2. verſ. 29. II. quia ad Eccleſiam & regnum cælorum pertinent. Matthei 19. verſ. 14. Marc. 10. verſ. 14. Matth. 14. verſ. 18. III. quia iidem in V.T. circumcidebātur IV. quia ſancti ſunt. 1. Corinth. 7. verſ. 14. V. quia quicunque habent

Spiritum Sanctum? ii sunt baptizandi. Actor. 10. vers. 47. Infantes autem habere Spiritum Sanctum patet Rom. 8. v. 9. VI. quia denique habent fidem, licèt non actu, attamen potentia. Matth. 18. vers. 6. Hebr. 11. vers. 6.

7. Materia Baptismi est aqua, naturâ quidem suâ elementum, sed quæ accedente Verbo fit Sacramentum. q. 5. Nop. Ergo vis illa regenerandi, non aquæ simplici, sed sacramentali, id est, gratiæ Dei, quæ mediante verbo, per aquam operatur, adscribenda est. q. 5. 6.

8. Efficiens principalis est solus Christus. Qui ut solus instituit Baptismum, ita quoque solus nos regenerat. q. 6. nempe suo spiritu 1. Corinth. 6. vers. 11. Et justificat Marc. 1. vers. 4. Actor. 22. v. 16. Hinc fœderati fiunt novi homines. q. 7.

9. Notanda hîc sunt, tum *Media* per quæ Christus nos regenerat, tum *Modus*.

10. Media sunt duplicia, *Verbum*, & *Aqua*. q. 6.

11. Verbum intelligitur illud, quod habetur Matth. 28. vers. 19. sed non tantùm, ut ex Actis Apostolicis colligere promtum est. Actor. 2. vers. 38, 39, 40. Actor. 16. vers. 30, 31. 32, 33. &c.

12. Aqua est signum gratiæ Dei, per quod emundamur Ephes. 5. v. 26.

13. Modus regenerationis exprimitur voce purgandi q. 7. quâ significatur emunda-

tio

tio à peccatis. Ephes. 5. versic. 25, 26.

14. Considerandum hic est, tum *Subjectum*, quod emundatur, tum *Accidens* à quo subjectum illud emundatur, tum deniq; *Forma*.

15. Subjectum est homo, nempe fœderatus Deo, seu electus ad vitam æternam. q. 7.

16. Accidens est *a* peccatum originale, si spectemus infantes baptizatos q. 7. si verò spectemus adultos fideles, & originale & actuale. *a* Peccatum quid sit patet ex sequentibus: Peccare nihil aliud est quàm declinare à rectitudine actus, quã debet habere, sive accipiatur peccatũ in naturalib⁹, sive in artificialibus sive in moralibus, solũ autẽ illũ actũ à certitudine nõ contingit discedere, cujus regula ipsa est virtus agẽtis. Si enim man⁹ artificis esset ipsa regula incisionis, nũquã posset artifex nisi lignum rectè incidere, sed si rectæ incisionis ratio sit ab alia regula seu actus, contingit incisionem esse rectam, & non rectam. Hinc patet I. Peccatum esse declinationem à rectitudine actus, quæ inesse debet. A rectitudine inquam sive naturali, sive artificiali, sive morali. II. Divinam voluntatem esse solam regulam sui actus, quia non ad superiorem finem ordinatur. Nulla autem voluntas cujuslibet creaturę rectitudinem in suo actu habet, nisi secundùm quod regulatur à volũtate divinâ, ad quam pertinet ultimus finis. III. Nullum deniq; peccatum per se esse veniale, utetiam ex Gerson Lection. 1. de vita

spirituali liquet, ubi ita loquitur, Nulla offensa Dei est de se venialis, nisi solum per respectum ad divinam misericordiam, quæ non vult imputare ad mortem. Et si peccata ipsa intueri velimus, quatenus peccata sunt, de iis certè aliter pronunciare non possumus, quàm quondam ipsi papani pronuntiarunt: quod videlicet homines concludant, excludant, includant. Concludunt in judicio, excludunt à regno cælorum, includunt in inferno. Holkot in lib. Sapient. Salom.

17. Forma emundationis à peccatis, non consistit in ablatione vitii, sed in aspersione reatus, ut rectissimè Oecolampadius q.8. docet: peccatum a. baptismo penitùs non tolli, liquet. Rom. 6. v. 12. & 7. v. 14, 18, 21, 22, 23.

18. Finis est, ut in hac vita pugnemus cum *Peccato*, & *Diabolo* q.8.9.

19. Notanda hic sunt duo I. *Pœnæ*, quæ segnes in hac pugnâ spirituali manent. II. *Instrumenta* quibus sit utendum.

20. Pœnæ sunt duæ. I. quòd instinctu labis originalis rursus in peccata incidant. II. quòd in impietate perdurantes æternis supplicijs afficiantur. q.8. Matth. 3. vers. 10. 12. & 12. vers. 41, 42.

21. Instrumenta quibus in hac pugna utendum duo sunt, FIDES & PRECATIO. q.8,9.

22. Fides intelligitur salvifica, de qua Matthæi 9. v. 22. v. 15. v. 28. Marc. 2. v. 5. & 10. v. 52. Luc. 17. v. 5. Rom. 4.

23. Pre-

23. Precatio intelligitur illa, quæ ex vera fide fluit.

Sic est Natura Baptismi: Necessitas sequitur.

24. *Necessarius* est baptismus omnibus Christianis, non quidem absolutè, simpliciter & præcisè, sed ex hypothesi, si nimirum juxta Institutionem Christi haberi possit. Similiter statuendum est de Necessitate omnium aliorum Sacramẽtorum. Manifestum est namq; , quòd sacramenta non sunt necessaria Simpliciter neq; in ordine ad finem. Non simpliciter, quia nihil simpliciter est necessarium nisi Deus. Omne enim quod non est Deus, potest non esse, sicut quandoq; non fuit, & ita non est necessarium simpliciter. Etiam non sunt homini necessaria ad finem, quæ est beatitudo, quia beatitudinem Deus hominibus potest conferre sine sacramẽtis, ut Gabriel Biel in 4. lib. sentent. fol. 20. edit. Brix. apud Petrum Bozolam, loquitur.

25. Proinde Christiani nec sunt, nec etiam haberi possunt, qui fidem quidem jactant, & piè quoq; vivere videntur, interim tamen baptismum suscipere renuunt. q. 10.

26. Unde & hoc sequitur, Baptismũ iterari nullo modo debere. I. quia semel baptizati, scripti sunt in albo Christianorum II. quia non necesse est eos rebaptizari. q. 11.

27. Nec valet eorum Sophisma, qui nos à Baptismate sæpiùs in peccata lapsos esse dicunt, ideoq; rebaptizari oportere. Potius n. à

peccato abstinendum, & vita homine Christiano digna agenda est. Sic enim fiet, ut & reliqui Christiani talem pro membro suo agnoscant. q. 12. & favorem Dei Patris sentiat, ac experiatur. q. 13.

Sic prima pars Catechismi nostri: altera sequitur.

28. CHRISTIANI officium consistit in praestatione eorum, quibus se Deo Patri, Filio, & S. S. in cujus nomen baptizatus est, obstrinxit.

29. De hoc agitur in Catechismo nostro, tum in *Genere*, tum in *Specie*.

30. In genere de duobus agitur, de *Obedientia* Deo debita, & *Perseverantia* in obedientia illa declaranda.

31. Obedientiæ duæ sunt partes, *Praestatio* boni, & *Vitatio* mali. q. 14.

32. Perseverantiæ proponitur *Caussa* efficiens principalis, *Tempus* quo inprimis elucere debet, & *Subjectum*.

33. Caussa efficiens principalis est sola gratia Dei. q. 15.

34. Tempus quo inprimis elucere debet, est tum *Persequutionum*, tum aliarum *Tentationum* ob sanctam Euangelii confessionem ortarum. q. 16. 17.

35. Subjectum perseverantiæ sunt soli fideles, veriq; Christiani.

36. Verus Christianus est, qui ex toto Corde credit, Filium Dei hominem factum, sua passione & morte nobis remissionem peccatorum,

torum, adeoque vitam æternam acquisiviſſe. Hæc namq; qui crediderit, & reliquos articulos fidei credet. q.18.19. Πόλισμα. Ergo Chriſtianus non eſt, qui hæc corde ſincero non credit. q.18.&c.

Hucusq; in genere de officio Chriſtiani.

37. In *Specie* duo proponuntur, nempe veræ fidei tum *Effecta* quę Chriſtianus edere debet, tum *Confirmatio.*

38. Effecta fidei, quæ Chriſtianus edere debet, ſunt tum *Confeſsio*, tum *Opera* bona huic confeſſioni reſpondentia.

39. Confeſſionis fidei ſumma comprehenditur ſymbolo Apoſtolico. q.20.

40. Conſiderandus hîc eſt tum *Uſus* cognitionis, & confeſſionis articulorum fidei, tum eorundem *Numerus.*

41. Uſus cognitionis, & confeſſionis articulorum fidei eſt maximus. Facit enim ad ſalutem. q.21. Πόλισμα. Fideles igitur, quibus fides à Deo in juſtitiam imputatur, juſti & beati ſunt. q.22. Rom.4. v.6,7,8. Pſal.32.v.2.

42. Numerus articulorum comprehenditur duodenario. q.23. Iiſque ſunt ita diſpoſiti, ut melius diſponi non potuerint. q.24.

43. Horum omnium perpendenda eſt tum *Tractatio*, tum *Sufficientia.*

44. Tractatio conſideratur tum *Generaliter*, tum *Specialiter.*

45. In genere agitur tum de *Deo*, tum de *Eccleſia.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0471
DFG

46. De Deo docetur, quòd sit tum *Unus* essentia, tum *Trinus* personis. q. 25.

47. De Ecclesia itidem duo docentur. I. *Quænam* illa sit quę vocatur sponsa Christi. II. *Quidnam* ea consequatur per fidem, hîc, & post hanc vitam.

Sic in Genere.

48. In *Specie* deinceps de utroq;, nim. & de *Deo*, & de *Ecclesia* agitur.

49. Dei consideratur tum *Natura*, tum *Opera*, tum *Personæ*.

50. De Dei Natura docetur I. quòd sit *Unus* tãtùm essentiâ, ut Scriptura quoq; docet. Deut. 4. vers. 35. & 6. v. 4. 1. Corinht. 8. v. 4. 6. &c. II. quod sit *Æternus*, alioquin. n. Deus nullo modo esset. Psal. 90. v. 20. & 92. v. 9. Apoc. 1. v. 8. &c. q. 26.

51. Opera Dei recensentur duo, *Creatio*, & *Conservatio*. Creavit igitur Deus Mundum, & omnia quæ in eo sunt. Idque in principio, ut Moses loquitur Gen. 1. vers. 1. Nomine autem principii intelligi potest principium Temporis, & Filius Dei. Temporis principium intelligendum, ne statuendam quis esse existimet, æternitatem mundi. Filius Dei verò, quia is est principium illud, per quod omnia sunt, & sine quo nihil est factum, quod factum est: ut Johannes loquitur cap. 1. vers. 3. Quatuor verò creata esse in principio, Moses versũ illo primo primi lib. & cap. innuit, cælũ videlicet empyreum, Materia corporalis quæ nomine terræ intel-

intelligitur, Tempus, & Angelica natura Gen. 1. v. 2. Psal. 33. v. 6. 9. Psal. 102. v. 26. & 121. v. 2. Joh. 1. v. 3. &c. Porrò idem Deus, qui nos creavit, etiâ tuetur nos adversus omnia mala. q. 26.

52. Discimus hinc. I. Nos debere nos ipsos tutelæ Dei, adversus mala hujus Mundi, committere. q. 26. II. Annitendum nobis esse, ut sanctè coram ipso hîc vivamus. q. 26. III. Nihil nos ab ejus invocatione absterrere debere. q. 27.

Sic opera Dei.

53. Personæ Deitatis sunt tres, PATER FILIUS & Spiritus S.

Personæ vocantur à scholasticis suppositа. Suppositi autem conditiones sunt quinque, nimirum quòd sit substantia, completa, individua, subsistens, incommunicabilis. Substantia propter accidentia, completa propter partes, individua propter speciem, subsistens propter humanitatem Christi, incommunicabilis propter essentiam divinam, quæ est communis tribus personis.

54. PATER est prima persona Deitatis, ἀναρχος, ab æterno gignens Filium. Psal. 2. v. 7. 2. Bor. 1. v. 3. q. 27.

55. FILIUS est secunda persona Deitatis, per æternam generationem à Patre exsistens. Joh. 1. v. 14. 18.

56. Ejus considerari debent tum *Naturæ*, tum *Status*.

57. Naturæ in Christo duæ sunt, *Humana & Divina*. q. 28.

58. Est igitur Christus verus, & naturalis homo. Matth.1.v.18.&c.

59. De *Divina* natura duo proponuntur. I. Quòd sit *Persona* Deitatis secunda. Deinde quòd *Unus* sit Deus cum Patre.

60. Est igitur Filius Dei persona subsistens, intelligens. Hebr.1. v.2,3. Coloss.1. v. 16, 17.&c. Est quoq; *Unus* cum Patre Deus 1. Joh.5. v.20. Phil.2.v.6. Joh. 3.v.13.&c.

Sic de Naturis in Christo, Filio Dei.

61. *Status* hujus personæ duplex est. *Exinanitionis* & *Exaltationis*. Phil.2. v.7,8,9. Luc.24. vers.26.

62. Exinanitionis partes duæ sunt, *Incarnatio*, & *Obedientia*.

In Incarnatione Christi relucet Dei bonitas, justitia, sapientia, & potentia. Bonitas quidem, quia non despexit proprii plasmatis infirmitatem. Justitia verò, quoniam homine victo, non alio quàm homine fecit vinci Tyrannum. Sapientia autem, quoniam invenit difficillimi pretii decentissimam solutionem. Potentia verò sive virtus infinita, quia nihil est majus, quàm Deum fieri hominem. Thom. Aquin.3.par.S.Th.fol.2. Cæterùm ad incarnationis mysterium rectiùs intelligendum, notandum est, Deum tripliciter se communicare creaturis. Primò, quasi naturaliter seipsum communicando, ut in creatione, & conservatione Mundi. Secundò supernaturaliter communicando seipsum, elevando omnes creaturas

ras rationales & intellectuales in consortium divinæ naturæ per gratiam: cujus non solùm capaces sua bonitate effecit gratuitâ, sed etiâ actualiter participes ab initio. Tertiò communicavit se creaturæ, non per similitudinem, aut donum aliquod creatum naturalis, aut supernaturalis ordinis, sed propriam personam secundùm suam propriam subsistētiam, quam in semeipso habet, creatæ naturæ aptando, ita ut homo sit secundùm eam, Verbum Dei, quod est Deus. De hac communicatione loquitur Dominus Joh. 3. v. 16. Sed Deus dilexit Mundum, &c. Card. Cajet. in 3. p. S.S. Th. fol. 2.

63. Incarnationis partes sunt tres, *Conceptio, Assumtio* & *Nativitas*.

64. Conceptionis proponitur *Modus, Causa* efficiēs principalis, & *Subjectum* in quo Christus conceptus fuit. q. 29. 30.

65. Modus conceptionis fuit supernaturalis.

66. Causa efficiens principalis est tota quidem Trinitas, sed hîc peculiariter adscribitur Spiritui Sancto. Πόρισμα. Ergo Christus peccato in se non est obnoxius. q. 29. Hebr. 2. v. 17. & 4. vers. 15.

67. Subjectum in quo conceptus est Christus, fuit Virgo Maria. q. 30.

Sic Conceptio.

68. *Assumtio* naturæ humanæ est, quâ Filius Dei naturam humanam suæ ὑποστάσει univit, ita ut utriusq; naturæ una duntaxat sit persona. q. 30. *Sic Assumtio.*

69. *Nativitas* est, qua Christus homo, mensibus pariendi completis in lucem est editus, Matre Maria virgine manente ante partum, in partu, & post partum. q. 30.

Hucusq; Incarnatio.

70. *Obedientia* est altera exinanitionis pars, qua Christus Deo patri factus obediens, & legem implevit, & pœnas p peccatis nostris absolutissimè persolvit.

Hac obedientia & persolutione exhibuit, quod sufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem. Ubi notādum, quòd quia actus activorum fiunt in patiente dispositio, & non in his quæ agentis actionem non suscipiunt, ideo quantūcunq; ignis sit sufficiens causa calefaciendi aliquem, nisi ille sit proximus, ignis nō calefacit, non ex defectu ignis, sed hominis, qui non accedit ad ignem. Attulit Servator noster medicinam sufficientissimam, pro omnibus hominibus; nisi autē jungamur Christo per verā & salvificam fidem, ac obedientiam debitam, in peccatis nostris remanemus non ex defectu remedii, quod Christus attulit in Mundum, sed ex defectu nostro, dum magis amamus tenebras rerum mūdanarum, & bonorum sensibilium, quàm verò radium & lucem æterni, summi, intelligibilis, ac sufficientissimi illius BONI.

71. Consistit hæc in *Impletione* legis, & in pœnarum pro peccatis nostris *Persolutione*.

72. Persolutio pœnarum perspicitur tum in tota

in tota *Vita*, tum maximè in ejus *Extremo*: quæ κατ' ἐξοχὴν *Passio* dicitur.

73. *Passionis* proponitur tũ *Caussa* αἰτιολογικὴ, tum *Persona* judicis, tum denique *Modus*. q. 31.

74. Caussa αἰτιολογικὴ fuerunt nostra peccata. Hebr. 2. v. 15, 17. 1. Petr. 2. v. 24. Jes. 53. v. 4, 5, 6, 7. 12. &c.

75. Persona judicis fuit Pontius Pilatus.

76. Modus passionis fuit duplex, *Externus* & *Internus*.

78. Externus, quod *Crucifixus*, *mortuus* & *sepultus* est.

79. Crucifixio est, qua inter homines veluti reus suspensus, ac velut exsecratio habitus fuit. Matth. 27. v. 34, 35. &c.

80. Mors Christi est, qua vera, & localis separatio est facta animæ à Corpore, salva manente hypostatica unione.

81. Sepultura est, qua Corpus Christi mortui in sepulcro novo honorificè ab amicis est reconditum.

Sic externus modus Passionis.

82. *Internus* modus passionis descensu ad Inferos indicatur, hoc est, voluntaria demissione sui ipsius ad perferendum gravissimos dolores infernales, quibus nos constricti mãsissemus, nisi eos Christus loco nostro esset perpessus, qui dolores tanti fuerunt, ut ei expresserint has lamentabiles voces, quibus in cruce clamavit, Deus mi, Deus mi, quare me

dereliquisti? q. 32. Matth. 26. vers. 46. Hebr. 5. v. 7, 8, 9.

Oritur hîc ἀπορία. An Christus morte æternâ sit mortuus, &, an infinitas pœnas sustinuerit? ratio ἀπορίας est, quia dicitur, quod is sustinuerit gravissimos dolores infernales. Sustinere autem dolores infernales, nihil aliud esse videtur, quàm æterna morte mori, & pati pœnas infinitas? Respondeo. Mortuus est Christus æternâ morte, sed ex eâ rursus fuit ereptus, & liberatus virtute suæ divinitatis: sustinuit quoque pœnas infinitas, infinitas inquam, non tempore, sed pondere & valore. Hoc, ut rectiùs intelligatur, sic statuendum. Christum oportuit pati, & sustinere ea, quæ alioquin nos pati debuissemus. Sed omnes & singuli electi pœnas infinitas debuissent pati, item moriendum ipsis fuisset morte æternâ. Ergo Christus, qui hæc omnia in se suscepit, ut hæredas fieremus æternæ beatitatis, sustinuit pœnas infinitas, & mortuus esse dici potest morte æternâ. Infinitas ajo non duratione, sed valore, ut nec æternâ morte æternùm fuit mortuus, siquidem ex ea à Patre fuit liberatus.

83. Finis est, ut certi simus, nos non tantùm à doloribus æternæ mortis, & inferni liberatos, sed etiam regni Dei gaudia hîc inchoaturos, & in altera vitâ plenè percepturos esse. quæst. 32.

Sic status Exinanitionis.

83. Sta-

84. Status *Exaltationis* est, qua ad summã gloriam est evectus.

85. De hujus gloriæ agitur tum *Gradibus*, tum *Manifestatione* perfecta.

86. Gradus sunt tres, *Resurrectio* à mortuis, *Ascensio* in Cælum, & *Sessio* ad dextram Dei Patris.

87. Resurrexit Christus à mortuis, ut I. nos justitiæ suæ participes faceret. q. 33. II. ut spiritualiter nos à morte peccati excitaret. q. 33. III. ut denique ejus resurrectio, nostræ resurrectionis glorioſæ pignus esset. q. 33.

Hanc autem suam resurrectionem Christus multis argumentis probavit. Testimonio videlicet 1. Angelorum suorum. 2. hominum vivorum, virorum custodũ, mulierum, & discipulorum, idque sanguinis proprii effusione, & verbis. 3. Testimonio mortuorũ, qui cum Christo resurrexerunt, & apparuerunt in sancta civitate. 4. Miraculis factis per Angelos, Christum ipsum, & discipulos. 5. Scripturâ prophetarum, quam Dominus exposuit suis discipulis. 6. propriis verbis, & factis soli Deo possibilibus in cogitationũ manifestatione, cordis inflammatione, sensuum ad Scripturas intelligendas illuminatione. 7. Spiritus Sancti in die Pentecostes missione visibili. 8. Manifestatione signorum & proprii corporis, secundùm singulos sensus. Unde Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum juxta finem scribit, decies eum esse

visum ab hominibus post resurrectionem. Et Paulus dicit, quod apparuer t Cephæ, & postea duodecim. 1. Corinth. 15. deinde plusquam quingentis fratribus, ultimò autem sibi 2. Cor. 5. &c.

88. Ascensionis finis duplex exprimitur q. 34.

89. Sessio ad dextram Dei, est supremus gradus exaltationis, quo Christus in ineffabili gloria versatur, evectus in sacerdotio, & regno suo, & res omnes tum in Cælo, tum extra Cælum, gratiosè regno suo Oeconomico administrat. Psal. 110. versic. 1. Matthei 28. versic. 18.

Sic Gradus vidimus.

90. *Manifestatio* gloriæ Christi fiet in extremo judicio. quæst. 35.

Hucusq; de Filio.

91. De *Spiritus S.* agitur tum *Persona*, tum *Natura*, tum *Operibus.*

92. *Spiritus Sanctus* est tertia persona Deitatis, à Patre, & Filio per æternam spirationem procedens.

Processio ista non est accipienda secundùm quod effectus procedit à caussa, nec secundùm quod caussa dicitur procedere in effectum, quatenus vel movet ipsum, vel similitudinem suam ipsi imprimit. Sed est accipienda secundùm actionem immanentem, seu quæ manet in ipso agente. Quæ actio maximè patet in intellectu, cujus actio scilicet intelligere manet in intelligente. 92. Est

93. Est unus quoque Deus cum Patre, & Filio, suâ naturâ. 1. Cor. 3. vers. 16. 2. Cor. 6. v. 16. Act. 5. v. 3, 4. &c.

94. Denique operatur Spiritus Sanctus omnia, quæ sunt Fidei & Charitatis. q. 36.

Hactenus de Deo: sequitur de Ecclesia.

95. De Ecclesia agitur tum *Militante*, tum *Triumphante*. Militans Ecclesia est congregatio hominum electorum, sanctorumq; communio, sancta ab Inhabitatore Domino, quæ dispersa quidem est per totum terrarum orbem, sed per verbum Dei, quo etiam tum ipsa, tum ipsius membra, vi Spiritus Sancti cognoscuntur, convocatur, & remissionem peccatorum in hac vita consequitur.

Igitur hic de existentia Dei in sanctis, seu in Ecclesia. Hæc ut solidius intelligatur, sciendum est, existentiam Dei in creaturas esse triplicem, generalem, specialem, singularem. Primâ omnes creaturas conservat. Secundâ animas sanctas inhabitat seu totam Ecclesiam Catholicam, & singula ejus membra vera. Tertiâ humanam naturam sibi in unitatem suppositi copulavit. De secundâ propriè hic agitur, non aût de primâ, ut nec de tertiâ.

96. *Materia* Ecclesiæ sunt homines, quorum Caput est solus Jesus Christus, idque, 1. propter ordinem. 2. propter perfectionem. 3. propter virtutem. Propter ordinem. Est enim Christus prior, & altior omni-

bus non modo hominibus, sed & creaturis. Hinc vocatur in Apocalypsi Alpha. Propter perfectionem autem, quia habet plenitudinem omnium gratiarum Johan. 1. ver. 14. Propter virtutem verò quia Christus habet gratiam infundendi in omnia membra Ecclesiæ, ut Johannes innuit capit. 1. versic. 16, 17. Illustratur hæc argumentis quinque. I. ab adjunctis qualitatibus. II. à loco. III. ab adjuncta cõgregatione. IV. ab adjunctis notis. V. deniq; ab adjuncta remissione peccatorũ.

97. Adjunctæ qualitates sunt 1. quòd dicantur esse electi. 2. Sancti. Ergo electi & sancti duntaxat vera Christi Ecclesia sunt. quæst. 37.

98. Horum est quædam communio spiritualis, quæ consistit in *Fide, Sacramentis*, & utrorumque legitimo usu, non autem iisdem cæremoniis. q. 38, 39.

99. Locus, in quo dispersi sunt, est totus Mundus. q. 40.

100. Congregatio ejus fit Spiritu, per verbum Euangelii.

101. Hujus ergo congregationis considerari debet *Causa* efficiens princeps, qui est Spiritus S. q. 40. 1. Corinth. 5. v. 3. tum *Instrumentum*, quod est verbum Euangelii, quæst. 40. Matth. 28. &c.

102. Adjunctę notæ sunt duplices, *Externæ & Internæ*.

103. *Externæ* notæ duæ sunt, Verbum Dei sincerè

sincerè prædicatum & receptum; & *Sacramenta* legitimè usurpata. quæst. 41.

104. *Internæ* notæ duæ sunt, *Testimonium* Spiritus S. & verus *Timor* Dei. Illud est, quo Spiritus S. nostro Spiritui persuadet, quòd simus filii Dei. q. 42. Timor Dei est, ex quo, ut vera Ecclesia communiter, ita etiam singulariter ipsius membra cognosci possunt. q. 43. Act. 10. v. 34. & 35.

105. De adjuncta remissione peccatorum, seu justificatione agitur q. 44.

Hactenus de militante Ecclesia.

106. *Triumphans* Ecclesia est, quæ in altera vita Christi capitis conspectu jam fruitur.

107. De hujus agitur tum *Manifestatione*, tum *Continuatione*.

108. Manifestatio triumphantis Ecclesiæ fiet post universalem corporum resurrectionem in extremo die. q. 45.

In resurrectione Universali tria consideranda. 1. Pulverum collectio, qui fiet ministerio Angelorum. 2. Corporis figuratio, & qualificatio. 3. Unio animæ cum corpore glorioso, seu qualificato. Cæterùm Resurrectio non erit naturalis. 1. quia illa fiet in instanti. Creatura verò non agit in instanti. 2. quia creatura non potest eundem effectum numero post ejus non esse producere. 3. quia deniq; corpora in resurrectione erunt glorificata, impassibilia, id est, ejusmodi miseriis, & affectibus vitiosis, sicuti hîc fuerunt, non obnoxia.

109. Continuatio fiet in omnem æternitatem, in qua electi permansuri sunt in *Incorruptibilitate* q.45.

110. Incorruptibilitas hæc erit conjuncta cum vita, quæ non est habitura finem. Describitur hæc quæst.46.47. duobus argumentis, quorum I. ab adjunctis. II. à subjecto est ductum.

111. Adjuncta sunt res illæ exoptatissimę, quas Deus diligentibus se pręparavit ab æterno.q.46. 1.Cor.2.v.9.

112. Subjectum sunt tantùm pii.q.47.Impii.n.prodibunt in resurrectionem judicii Johan.5.vers.29.Jer.66.vers.24.q.47.

Hucusq; Tractatio Symboli.

113. De *Sufficientia* agitur q.48. Sufficiunt igitur hi articuli, si credantur ex animo, ad salutem, nec plura quæ credi debent, requiruntur. Quære q.48.

Hucusq; Confessio fidei.

114. *Opera* bona huic confessioni respondentia, sunt tum *Observatio* mandatorum Dei, tum *Media* ad observationem conferentia.

Mandata Dei sunt vel exequutionis vel probationis. Exequutionis mandata sunt, quando Deus ita aliquid præcipit, ut simul ejus exequutionẽ velit. probationis verò præcepta sunt, quando aliquid jubendo significatur fieri debere, quod tamen jubens fieri non vult. Itaq; non quæritur nisi voluntatis pronitas in eo, cui hoc significatur, aut aliorum erudi-

eruditio. Hîc de exequutionis, non autem probationis mandatis agitur.

115. Obſervationis mandatorum Dei, proponitur tum *Summa*, tum ἐξήγησις. Summa traditur q.49. ἐξήγησις comprehenditur *Decalogo* q.50. enumeratur q. 51. cum repetitione Summæ.

116. Decalogi duæ ſunt tabulæ, prima quatuor præceptis, quæ *Immediatè* ad Deum referuntur, conſtat. Secunda ſex præcepta continet, quæ propriè proximum noſtrum ſpectant. quæſt. 52.

117. Conſiderantur ambæ *Generaliter* & *Specialiter*.

118. Generaliter q.53,54,55,56.

119. Specialiter ſeparatim tum *Prima*, tum *Secunda*.

120. In prima præcipitur cultus *Internus*, & *Externus*.

121. Internus conſiſtit in duobus. I. ut is Deo præſtetur. II. ut cultus ratio ſit legitima.

122. De priore agit præceptum primum. In quo Deus tum *Poſtulat*, tum *Prohibet*. Poſtulat quæcunq; ad ſincerum Dei cultum requiruntur. Contrà prohibet, quæcunq; ei repugnant. quæſt. 58.

123. Ratio cultus legitima ſecundo præcepto præſcribitur quæſt. 59.

124. Partes ejus ſunt duæ. Quarum I. vetat ſimulacra, aut imagines fieri, quibus

Deus repræsentatur, aut colitur, aut quæ velut numinis, aut sanctitatis aliquid habentes, veneratione religiosâ coluntur. II. vetat eas honore divino prosequi.

Sic de Interno cultu.

125. Externus cultus est duplex, *Privatus*, & *Publicus*.

126. Privatus cultus tertio præcepto exponitur. Cujus partes sunt duæ, *Prohibitio* & *Comminatio*. q.60.

127. Publicus describitur quarto præcepto.q.61.

Hactenus prima Tabula.

128. In secunda Tabula itidem præcipitur cultus tum *Externus* tum *Internus*.

129. Externus itidem duplex est, vel *Superiorum*, & *Inferiorum*, de quo in quinto præcepto: vel *Proximorum* erga proximos, qui in reliquis præceptis stabilitur. quæst.62,63,64, 65,66.

130. Internus cultus decimo præcepto præscribitur, in quo prohibetur omnis inordinata concupiscentia, licet voluntatis consensio ad eam non accesserit.q.67. Πόρισμα I. Ergo omnibus studendum est, ut præcepta hæc servent.q. 68. II. Ergo is pejor est Judæo, & Ethnico, atq; adeò falsus Christianus, qui ore quidē Christianum se esse profitetur, interim tamen factis id negat.q.69.

Hucusq; Observatio mandatorum Dei.

131. *Media* ad observationem conferentia,

tia, sunt quinq;. q. 70. Ex iis quædam *Primaria*, quædam *Secundaria*.

132. Primaria sunt duo, *Precatio* fidelis, & *Auscultatio* verbi Dei.

133. Precationis considerari debet tum *Finis*, tum Res, tum deniq; *Modus*.

134. Finis precationis est triplex. I. ut sanctificetur Nomen Dei. II. ut Deo placeamus III. ut voluntas ejus perficiatur. quæst. 71.

Ad hos fines consequendos tria faciunt. Consideratio videlicet 1. Rei. quam petimus. 2. Dei, à quo petim⁹. 3. Nostri, qui precationes nostras ad Deum fundimus. In eo quod petimus duo debemus attendere 1. Ut secundùm Deum sit quod postulamus. II. Ut hoc ipsum in summo affectus desiderio flagitem⁹. In ipso quem petendo invocamus considerandæ bonitas, & majestas. Bonitas quâ gratis velit. Majestas quâ planè, & plenè possit dare quod petitur. Sed & in seipso is qui petit duo attendere debet. Ut primò pro suis meritis nihil se accepturum putet. Secundò ut tantùm de Dei misericordiâ, quicquid rogaverit, impetraturum speret. Quisquis hac puritate & intentione cordis oraverit, exaudiri se sciat, quia sicut Petrus Apostolus testatur in Actis, non est personarum respectus apud Deum, sed in omni gente, qui timet ipsum, & operatur justitias acceptus est illi. Bernhard. in sententiis suis fol. 720, 721. Edit Herwagianæ. Anno. 1552.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0487
DFG

135. Res exprimuntur Oratione Dominica. q. 72, 73.

136. Hujus considerandum est, tum *Exordium*, tum Πεφγματέα.

137. Exordii explicatio continetur quæst. 74, 75.

138. Πεφγματέα constat tum *Petitionibus*, tum earundem *Confirmatione* & *Clausula*.

139. Petitiones numero septem sunt, quarum *Tres* priores referũtur primariò ad Deũ: *Quatuor* verò posteriores ad necessitatem nostram.

140. Trium priorum explicatio continetur q. 76, 77, 78, 79, 80, 81, 82, 83.

141. Quatuor posteriorum explicatio comprehenditur quæst. 84, 85, 86, 87, 88, 89, 90, 91, 92, 93, 94.

142. Confirmatio petitionum habetur. quæst. 95.

143. De Clausula agitur q. 96.

144. Quæritur hîc, An fideles mox accipiant à Patre, quod petunt, præsertim cùm scire se fateantur, exauditos se esse à Deo? Respondeo, accipere nutu Dei, licèt nonnunquam tempore differatur, quod petunt. Hîc autem nullius est, Domino præscribere circumstantias temporis, aut loci. Petenti dat certò, modò id verâ in Christum fide acceptu rum se credat, quod petit. q. 96, 98.

145. Hinc colligimus, tantùm Deum, nullam autem creaturam, ac proinde nec sanctos demor-

demortuos, invocandos esse. q. 98. Propterea autem eos contemni pernegamus. q. 98.

Hactenus res, quas à Deo petere debemus.

146. *Modus* non consistit in externa labiorum motione verborumq; prolatione, sed in corde, verâ in Deum fiduciâ. q. 100.

Sic primum Medium principale.

147. Alterum principale Medium, est *Auscultatio* verbi Dei. Vide q. 101.

Sic primaria Media.

148. Secundaria sunt tria I. *Vitatio* otii. II. *Fuga* malorum sociorum. III. *Curatio* sui ipsius.

149. De vitatione otii differitur q. 102. de fuga malorum sociorum q. 103.

150. Curatio sui ipsius exponitur q. 104, 105, 106.

Hactenus de Fidei effectis.

151. *Confirmatio* fidei, fit per *Sacramentum* nutritionis, quod est *Cœna* Domini.

152. Observandum hîc est, tum *Quid* sit? tum *Quare* ita vocetur?

153. *Cœna Domini* est communis gratiarum actio, & ingens glorificatio mortis, & effusionis sanguinis Christi, cum testificatione fraternæ dilectionis, & concordiæ. q. 107.

154. Cur autem vocatur *Cœna* Domini? Resp. quia illic editur & bibitur, sicuti Dominus Jesus, in novissima, ante mortem suam cum discipulis suis, Cœna sanctissimè instituit. q. 108.

155. Considerandа hîc est tum *Materia* quæ editur & bibitur, tum etiam *Modus* quo edimus, & bibimus.

256. Materia est duplex *Externa & Interna*.

157. Externa est Panis, & Vinum. quæst. 109.

158. Interna est Corpus, & Sanguis Christi. quæst. 109.

159. Modus non est naturalis. Fit enim manducatio illa, & bibitio anima fideli. q. 110. Πόρισμα. I. Ergo manducare corpus Christi, & bibere ipsius sanguinem, solius Fidei salvificæ negotium est. quæst. 111. III. Ergo, qui sine fide accedunt, nil sumunt nisi Sacramenta, & condemnationem. q. 112, 113.

160. Cæterùm considerandum hîc est, tum *Tempus*, quo primùm ad mensam Domini accedere liceat : tum *Ratio* vitam interea agendi.

161. Quandò itaque primùm ad mensam Domini accedere Christiano homini licitum est ? Resp. quando suo exemplo aliis prodesse potest, quod absque probatione sui, & annunciatione mortis Christi fieri nequit. quæst. 114.

Hinc Paulus ait ad Roman. 15. vers. 2. unumquemque proximo suo servire debere ad ædificationem. Quemvis etiam Ecclesiam Christi quantum in se est, ædificare decet 1. Corint. 14. v. 12. & 26. quod certè juniores in fide, & cognitio-

gnitione Jesu Christi infirmi in tenera illa ætate adhuc præstare non possunt.

162. *Ratio* verò vitam interea temporis instituendi in eo consistit, ut Dominum imploret, quo ipsi adsit, ut possit in viis ejus ambulare ad gloriam ipsius, & bonum proximi. quæst. 115, 116.

Finis secundæ partis, atque adeò totius Catechismi Basileensis.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

THESES THEOLOGICÆ
DE
SANCTORUM DE-
MORTUORUM IN-
vocatione.

Quas
FAVENTE JEHOVA
Sub præsidio
*REVERENDI ET CLA-
RISSIMI VIRI DN. BALTHASA-
RIS CROSNIEVICII SS. Theolo-
giæ Doctoris eximii, Fautoris ac
Præceptoris loco
colendi,*

Ad 4. Martii diem
Publici exercitii gratiâ proposuit

M. JOANNES MUSONIUS
POLONUS.

Anno clɔ lɔ c i i.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn77776766X/phys_0492
DFG

CHRYSOSTOMUS Serm. de Humilitate.

An non vides, quid in equestri certamine faciant Aurigæ, quomodo prætercurso totius theatri populo contendant eò loci adversariorum currus subvertere, ubi Regem viderint sedentem, & unum oculum tot factebus digniorem existimant? At tu Angelorum Regem, Agonothetam ipsum in cursu tuo videns, ipso relicto, conservorum aspectibus te offers, & propter illos, post tam multa certamina incoronatus abscedis, post multos sudores absque bravio ab Agonothetaipso vadis.

GENEROSIS AC MAGNIFICIS DOMINIS,

Dn. JOHANNI, Dn. ZBYGNAEO, & Dn. ADAMO LIPSCIIS à Goray,

Illustris ac Generosi Dn. JOHANNIS LIPSCII à Goray, Succamerarii Belzensis &c. Domini in Lipsko & Krasnobrod, &c. filiis, Dominis ac Fautoribus suis Clementiss.

Salutem à DEO PATRE Domini nostri JESU CHRISTI.

QVamvis non ignorem, Generosi & Magnifici Domini, vos solidis abundare præceptis, tùm quæ ad puram Orthodoxam religionem probè intelligendam, tùm quæ ad vitæ morumque institutionem facere videntur. Ea enim vobis fideliter & summa cum diligentia Vir Clarissimus & Doctissimus D. Balthasarus Crosnievicius, Theologus eximius, quotidiè inculcat: non tamen & me abs re facturum existimavi, si hac qualicunque mea lucubratiuncula ad melius & accuratius articulum de Sanctorum demortuorum invocatione cognoscendum, (summa enim est hodie inter nostros & Papanos de eo controversia) calcar & incitamentum adjicerem, & hæc erat præcipua instituti mei ratio. Altera, ut pro ea benignitate, qua me hactenus prosecuti estis, grati animi aliquod, qualecunque tamen exhiberem testimonium. Postrema, quòd quamdiu in hac celebri vixistis Academia, fuerunt pauci qui Vos fortunâ, pauciores qui magnificentiâ, paucissimi qui pietate & omnibus animi dotibus superarent. Accipite igitur Illustres & Generosi Domini, munus hoc chartaceum, leve illud quidem

dem & tenue, sed si animum spectetis offerentis, maximum, & me ut hactenus feciſtis, ita in posterum benevolentiâ & favore porrò prosequimini. DEUS vos diu servet incolumes. Valete. Basileæ è Musæo meo, ipsis Martii Calend. Anno 1602.

V. Generositati addictiss.

JOHAN. MUSONIUS
Phil. M.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

De Sanctorum demortuorum invocatione.

QUAESTIO est cõtroversa inter nos & Pontificios: *An Sancti mortui sint in nostris precibus invocandi, ut pro nobis orent?* Pontificii asserunt: Nos negamus. Refutationem partis adversę, differemus in ipsam disputationem: nunc duntaxat pro parte nostra argumenta ex sacris literis firmissima depromemus.

1. *Is solus tanquam Mediator & Intercessor noster est invocandus, qui DEUS est & Homo, qui pro peccatis nostris suo merito satisfecit, & qui in sua natura justus est. Sancti non sunt tales. Ergo non sunt invocandi.*

Minor est in confesso. Constat enim solum JESUM Christum esse λύτρον pro peccatis nostris.

Johan. 17. 19. Nec ullum alium pro iis satisfeciſſe, aut nos ab eorum reatu liberaſſe. Rom. 5. 19. Per unius obedientiam juſti conſtituentur multi. Sic Rom. 3. 24, 25. Act. 20. 28. Coloſ. 1. 21, 22. Gal. 3. 13. Heb. 2. 14, 15. & 9. 14. & 10. 10. 14. 1. Pet. 1. 19. 1. Joh. 1. 7. & 2. 3. Apoc. 1. 5. Juſtos etiam eos non eſſe in ſua natura manifeſtum: Quia omnes naſcimur filii iræ. *Major* propoſitio probatur. Quia 1. Johan. 2. 1, 2. utrumq; uni & eidem tribuitur. Quod ſi quis, inquit Johannes, peccaverit, advocatum habemus apud Patrē, JESUM Chriſtum juſtum, qui factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Hîc non alteri tribuitur advocatio, quàm ſatisfactio. Quinimò nemo poteſt advocatus eſſe, niſi prius ἱλασμὸς fuerit, quia rogare pro peccatoribus, & non ſatisfacere pro peccatis ipſorum, fuiſſet poſtulare, ut DEUS de juſtitia ſua aliquid cōcederet contra naturā: quod ἄτοπον. De juſtitia, requiri eam in Mediatore non laboramus, quia hanc conditionem D. Johannes requirit ibidem in voce δικαιον. Eum autem verum DEUM & hominem eſſe, teſtatur Paulus 1. Tim. 2. 5.

2. *Solus* JESUS *Chriſtus eſt interceſſor noſter. Non igitur Sancti. Proinde non invocandi, tanquam interceſſores.*

Conſequentia pateſcit, quia ſic honor ſoli Chriſto debitus, ad alios transfertur, quod blaſphemū, Chriſtus item negatur ſufficiens eſſe advocatus. Si enim ſufficiens ſit, cur alii

ad

ad idem officium assumuntur? *Antecedens* probatur. *Primò*, testimoniis Scripturæ, 1. Tim. 2. 5. Unus Mediator (scilicet tàm intercessionis, eo enim loco de precibus agitur, quàm satisfactionis) DEI & hominum, homo JESUS Christus. Si unus, Ergo & solus. Ista enim duo æquipollent, Unum & Solum esse. Mediator, inquiunt illi, satisfactionis, nō intercessionis. Bellarm. Contr. 7. lib. 1. cap. 20. Apagesis ineptias. Quasi verò intercedere & satisfacere nō sint officia Sacerdotalis Christi muneris, quæ is nunquam deponet, aut quasi non utrumq; eidem cōpetat personę. Hoc enim priori syllogismo probatum. Hebr. 7. 25. Unde & servare potest prorsus eos, qui per ipsum accedunt ad DEUM, semper vivens, ut interpellet pro nobis. Et capite 9. 24. Christus ingressus est in cælum, ut appareat nunc in conspectu DEI pro nobis. Sic Rom. 8. 34. Augustinus libro 2. contra Epistolam Parmeniani, cap. 8. inquit: Non sunt multi Mediatores. Ambrosius libro de Isaac, cap. 8. Ipse Christus est os nostrum, per quod Patri loquimur: oculus noster, per quem Patrem videmus: dextra nostra per quam nos Patri offerimus. *Secundò*, Quia solus Christus est justus. Talis enim decebat nos Pontifex, pius, innocens impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cælis factus. Hebr. 7. 26. 1. Joh. 2. 2. 1. Pet. 3. 18. 1. Cor. 1. 30. *Tertiò*, Quia qui præter Christum accedit DEUM Patrem, illi nihil reliquum est in thro-

no DEI, præter iram & terrorem. Johan. 14. 6. Ego sum Via, Veritas, & Vita: nemo venit ad Patrem nisi per me. Augustinus Psal. 108 Oratio quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit peccatum. Idcirco Christus Joh. 16. 23, 24. Luc. 11. Matth. 6. se solum invocandum docet Bellar. tom. 1. contr. gen. 7. lib. 1. c 20. ait nos non invocare Sanctos ut fungantur vice Christi, aut ut Christum adjuvent, sed ut adjuvent nos, quò facilius à DEO per Christum impetremus. O blasphemiam. Quid hoc aliud est, quàm invocare Sanctos, ut Christum quoque nostri causâ adjuvent, contrà quàm dicitur Hebr. 7. 25, 26. & 9. 11, 12.

3. *In tota sacra Scriptura non exstat ullum mandatum de invocandis Sanctis, nec ulla promissio certos nos reddens de illorum exauditione. Sancti igitur invocandi nullo pacto sunt.*

Ratio consequentiæ est. Quia omnis invocatio Verbo & Voluntati Divinæ conformis, debet hæc duo habere: Mandatũ & Promissionem. Mandatum ideò, ut eo impellamur ad invocationem. Promissionem ideò, ut certi simus nos exaudiri ab eo, quem invocamus. Alioquin cur oraremus, nisi certò haberemus preces nostras non esse irritas? Ideò & Christum invocamus, quia is nos exaudire potest. Bell. contr. 7. lib. 1. cap. 20. Non requiri mandatum DEI ait, quandoquidem sola necessitas nos id facere cogat. Sed certè quod fit sine DEI man

dato

dato, est execrandum. Et quæ necessitas ista, quam fingit? Nulla. Antecedens ita verum est, ut nullus Pontificiorum illud ad hoc usq; tempus sacrarum literarum testimonio probare potuerit. Nititur aliquid Bellarminus, sed frustra.

4. *Si Sancti sunt invocandi, id fiet idcò, vel quia in ipsis debemus cultum λατρείας, vel quia δουλείας. Sed non debemus ipsis cultum λατρείας*, testibus ipsismet: hic enim soli DEO debetur. *Imò nec δουλείας. Primò*, Sic enim plus tribueretur hominib. quàm DEO. Plus enim est, esse alicujus servũ, quàm cultorem. *Secundò*, Quia nos sumus servi DEI, & conservi Sanctorum. Apoc. 19. 10. Nec debemus ullo pacto esse servi hominum, sive Vivorum, sive Mortuorum. 1. Cor. 7. 23. *Tertiò*, Servi debemus esse ejus, à quo devicti sumus, 2. Petr. 2. 19. Et cujus Voluntati semper obsequi debemus. At solius DEI voluntati obsequi debemus. Quartò, Quia δουλεία soli DEO debetur, 1. Tim. 1. 17. Gal. 4. 8. 1. Thess. 1. 9. *Proinde cùm cultus religiosus nullus debeatur Sanctis, nec invocatio eis ullo pacto competere potest.* Neminem enim invocamus, nisi quem religiosè colimus.

5. *Sancti ipsi non passi sunt se adorare*, Act. 25. 26. & 14. 15. (imò nec Angelus, Apoc. 19. 10. & 22. 9.) *Proinde Sancti adorandi & invocandi non sunt.*

Cur enim hoc ipsis tribuamus post mortem, quod ipsi vivêtes recusarunt? Aut quam

gratiam Pontificii promerebuntur, qui eo cultu eos honorant, quo se honorari nunquam voluerunt? Quinimò si nemo sibi munus advocati apud Principem sumit, certè nec apud DEUM sibi propria autoritate, ullus Sanctorum sumere potest: siquidem hoc DEUS ipsis non demandavit, Hebr. 5.4.

6. *Nullus hominum est adorandus. Ergo nec Sancti.*

Ratio consequentiæ est hæc: Quia homines sunt, etsi Sancti sint. *Antecedens* probatur, quia nullus hominum est DEUS. Soli autem DEO debetur adoratio. Apoc. 19.20. Gal 4.8. Matthæi 4.10. Luc. 4.8. Ut enim illis non est sacrificandum, Actor. 14.v.15. ita nec adorandi sunt. Adoratio siquidem venit ab Adoreo, optimi tritici genere, quod in sacrificiis Diis offerebatur, unde Adoratio dicebatur cultus soli DEO conveniens.

7. *In invocatione Sanctorum Christus non invocatur. Invocatio igitur Sanctorum est rejicienda.*

Consequentia cuivis est manifesta. *Antecedens* probatur. Invocatio fit ad eum, ad quem diriguntur preces ipsæ. At diriguntur ad Sanctos solos, non ad Christum. Ergo Sancti soli ab illis invocantur, non verò Christus. Hoc evadit manifestum, ex formulis precum, quas ad Sanctos dirigunt. Bellarm. tom. 1. contr. gen. 7 c. 17. has preces esse pias ait: Sancte Petre, miserere mei, Salva me, Aperi mihi aditum cæli. Et, Da mihi sanitatem corporis, da patien,

patientiam, da mihi fortitudinem. &c. Et, Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe. Ubi hîc vel ulla mentio Christi?

8. *Sancti ipsimet opus habent Mediatore, & Intercessore Christo. Igitur tanquam intercessores invocandi non sunt.*

Ratio consequentiæ est apud Augustinum libro 2. contra Parmenianum, capite 8. Qui, inquit, pro omnibus interpellat, & pro quo nullus, is verus est Mediator, & intercessor noster. Regerunt Sanctos esse intercessores mediatos. Bellarminus tom. 1. Controvers. 7. cap. 17. Sed quid illis opus cùm ad Christum immediatum intercessorem, pleno saltu accedere liceat. Est enim in cœlis ut interpellet pro nobis, Hebr. 7. v. 25. & quid opus est fieri per plura, quod per pauciora fieri potest?

9. *Is solus est invocandus, qui res hominum in his terris degentium, tàm in genere, quàm in specie novit. Sancti res hominum in hoc mundo degentium, nec in genere, nec in specie norunt, Ergo.*

Ratio majoris hæc est: Quia invocatio est oratio ad aliquem directa. Oratio autem, teste Damasceno, est τῶν πρεπόντων αἴτησις. τὰ πρέποντα verò quid aliud sunt, quàm res, personæ, & cæteræ circumstantiæ, quas qui ignorat cur invocaretur? *Minor* testimonio Scripturæ evincitur. Esaiæ 63. 16. Etiamsi Abraham nos ignoret, & Israel nos nõ cognoscat, tu tamen JEHOVA Pater noster es, vindici nostro à sæ-

culo nomen est tibi. 2 Regum 22. vers. 20. Prædicitur Josiæ Regi, fore ut congregetur ad Patres suos, & ponatur in sepulchro suo in pace, ne videant oculi ejus totum istud malum, quod DEUS inducturus esset super Israelem. Bellarminus tom. 1. Controvers. gener. 7. lib. 1. cap. 20. adducit quosdam modos, quibus Sancti cognoscunt ea, quæ hîc aguntur. Sed omnes illi modi inepti sunt, & Scripturæ repugnant.

10. *Solus ille invocandus, in quem fide justificante credimus. In Sanctos nullo pacto credimus. Ergo.*

Major est ad Roman. 10. v. 14. Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt. *Minor* negari non potest.

11. *Christus jubet nosmet ipsos pro nobis orare, promittitq; nos exauditum iri. Sancti igitur frustra invocantur.*

Antecedens est Matth. 7. vers. 7. Luc. 11. 9. 1. Johan. 5. vers. 14.

12. *DEUS nobis propicius est, & citiùs audit, quàm Sancti defuncti ullo pacto possint. Ergo frustra invocantur.*

Antecedens est Johan. 16. 23. Hebr. 4. 16.

13. *Quia plerique Sancti Pontificiorum, quos invocant, in rerum natura non fuerunt:* Catharina, Christophorus. *Et tota hæc Sanctorum invocatio profecta est ab Ethnicorum superstitione,* qui aras suis Diis exstruebant, & certa munera assignabant, ut scilicet hic mari, hic bello, hic paci præ-

præesset, &c. *Sanctorum igitur invocationem penitus ex Ecclesia eliminandam, & solum* DEUM *Patrem per* JESUM *Christum invocandum esse cum Scriptura concludimus.*

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

I. *Angelos invocandos esse, nullo pacto ex Scriptura probari potest.* Contra Bellarm. tomo. 1. Controvers. gener. 7. lib. 1. cap. 19.

II. *Nullius hominis est Sanctos canonizare,* contra mentitum dogma Bellarmini tom. 1. controvers. 7. lib. 1. capite 8. 9. *Ubi asseritur Pontificem & id facere posse, & in canonizando nequaquam errare.*

III. *Putidissimum est commentum Bellarmini* eodem tomo, controvers. & lib. cap. 10. *quo affirmat Sanctos non canonizatos privatim posse coli, non publicè.*

JESU Christo Immanueli, qui solus est Advocatus & Intercessor noster apud Patrem sit perennis gloria.

AMEN.

DOGMATIS

DE REALI COMMUNICATIONE DIVINARUM proprietatum in humanâ naturâ Christi

ANASKEYH THEOLOGICA.

Quam,

JEHOVA TER MAXIMO

CHEIRAGOGO,

Celeberrimo Viro Dn. BALTHASARE CROSNIEVICIO Lithuano Doctore Theologo AGONOTHETA,

M. JOANNES JUSTA ENGADINO-Rhetus ventilandam examinandamq; proposuit, ad diem 10. Aprilis in THEOLOGETERIO æstivo.

VIGILIUS MARTYR.

Præventus falsę opinionis errore humanus auditus ad veri rationem percipiendā durus & perdifficilis invenitur, quantiscunq; testibus urgeatur.

Anno cIↃ IↃ cII.

Nobilissimis amplissimisq; Viris,

Dn. Augustino, antiquo Volturenæ Vicario,
Dn. Joannis, Commissario Clavennensi,
Dn. Joannis Antonio, Traversiis, fratribus germanis, dominis ac fautoribus vnicè colendis.

OBservantiam meam, intimumque animi affectum erga vos, Amplissimi Viri, domini, & fautores unici, qui potiùs quàm hâc orthodoxæ fidei assertiúnculâ, prout Deus largitus est meâ minervâ elaboratâ obsignarem! Avus vester, Magnus ille Joannes Traversius, non tantùm Reipubl gubernatione, cujus clavum diutissimè & felicissimè tenuit, pelagus laudum suarum aperuit, sed etiam exorientis puri puti Euangelismi patrocinio easdem eximiè illuminavit. Pater vester & paternarum Virtutum omnium & sinceræ religionis hæres ex asse, ut ita dicam, exstitit. Quorum clarissimũ lumen vos novo fulgore subsequuti (benedicente nimirùm Jehovâ nepotibus & abnepotibus diligentium se) inter cæteras virtutes etiam veræ religionis radios spargitis. O beatam Rempub. cui Jehova ipse de pio & religioso Magistratu prospicit! En ergo Nobili vestro nomini sacras has studiorum meorum theologicorum fruges, sterili illas quidem & inculto solo editas, dignũ tamẽ vestro nomine argumentum cõtinentes. Conservate eas maturiorum proferendarum obsides, meorumq; erga vos sensuum & debitæ observantiæ testes. Deum ter Max qui vos ad honoris fastigium evexit, precor, ut in eodem quàm longissime clementer sospitet. Basileæ Cal. Aprilis, Anno æræ Christianæ 1602.

Amplitudinis vestræ observantiss. Cliens
Joannes Justa Engad.

DOGMATIS
DE REALI COMMUNICATIONE DIVINARUM PROPRIETATUM in humanâ naturâ Christi

A'NAΣKEYH'.

COmmunicare generatim quidem significat id quod est uni propriũ alteri commune facere: speciatim verò, cùm de Christo sermo est, duplex occurrit Communicatio, altera quæ fit in persona, altera in naturis.

2. Communicatio in persona rursus est duplex. Vel enim ante incarnationem facta est, estque quâ æternus pater in æterna filii generatione suam totam essentiam ei realiter communicavit, ita ut non minùs hic, quàm ille sit verus & æternus Deus. Joan. 5. vers. 26. Item 14. v. 10.

3. Vel post incarnationem, quâ personæ propter unionem personalem humanæ naturæ cũ divina, omnes divinæ & humanæ proprietates, actiones & passiones realiter sunt communicatæ, Hebr. 2. 16, 17. Sic idem Christus est verus Deus 1. Joan. 5. vers. 20. est verus homo: ejusdem Epist. cap. 4. vers. 2. est omnipræsens, Matth. 28. vers. 20. & non est omnipræsens. 26. vers. 11. Est ante Abrhamum. Joan. 8. v. 58. & natus est ex semine Davidis. Joan. 7. v. 42.

4. De

4. De hac Communicatione præclarè Theodoretus Dial. 2. cap. 16. De naturis si loquimur, inquit, attribuenda sunt utrique convenientia & sciendum quæ deitatis, quæ humanitatis sint propria. Si verò de persona verba facimus, communia facere debemus naturarum propria, atque hæc & illa applicare Christo Servatori: ac proinde ipsum vocare Deum & Hominem, filium Dei & filium hominis, &c.

5. Hujus veluti species quædâ est, quam vulgò proprietatum vel nominum Communicationem, item Enallagen, Modum mutuæ attributionis, &c. vocant. Estque Damasc. lib. 3. cap. 4. finitore, quâ alterutra natura alteri mutuò attribuit propria ob personæ identitatem & in se invicem conjunctionem. Secundùm hanc de Christo dicere possumus: Hic Deus noster in terris visus est, & conversatus est cum hominibus. Hic homo increatus est, impatibilis, incircumscriptus, &c.

6. De hac Vigilius Martyr lib. 2. contra Eutych. Propter hanc, inquit, Communionem, quam salvâ naturarum proprietate personæ unio præstat, & verbum cum carne, id est, filius hominis legitur descendisse de cælo, cùm solum verbum sine carne descenderit, & Deus legitur sepultus & in monumento tribus jacuisse diebus, cum sola caro sepulta est.

Hæc de Communicatione in Personâ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0507
DFG

7. Communicatio in naturis fit, vel quoad effecta. Sic multa omnipotentiæ & majestatis effecta carni Christi realiter communicata sunt, cujusmodi sunt, Ambulatio super aquis Matth. 14 vers. 25. Ascensio in Cælum, & Sessio ad dexteram Dei Marc. 16. v. 19. &c.

8. Vel quoad consensum & permissionem divinæ naturæ in passionibus humanis. Communicat, inquit Damasc. lib. 3. cap. 19. divina natura carni agenti: quapropter voluntatis divinæ beneplacito permittebatur pati & agere, quæ propria erant.

9. Vel denique quoad naturam & proprietates: sive illæ sint divinæ in humanâ naturâ, sive contrà humanæ in divinâ.

10. Non autem hîc cõtrovertitur de Communicatione sive proprietatum sive actionũ in personâ factâ: In confesso namq; est tam divinas, quàm humanas proprietates, actiones & passiones omnes, excepto peccato, & per æternam generationem, & per incarnationem filio realiter communicatas esse.

11. Nec de humanâ naturâ, An ei multa effecta divinitatis, qualia sunt, lux, gloria, immortalitas, &c. quæ humanam naturam non evertunt, sed perficiunt & exornant, sint communicata.

12. Nec litigatur de divinâ naturâ, An ei realiter communicatæ sint humanæ naturæ proprietates ac passiones. Concedunt enim nobis adversarii, has non suscipi à divinâ natura.

13. Quin

13. Quin neque de Communicatione proprietatum inter naturas disputatur, prout illa pro unione sumitur. Scimus enim sæpè patres ita locutos, carnem communicatam esse divinitati, id est, unitam: sed de illa altercamur, quæ transfusionem proprietatum unius naturæ in alteram significat.

14. Quæstio proin ab omni homonymiæ fumo & nebula libera hæc est: Utrum essentiales seu naturales (hæ namque in divinis eôdem redeunt) verbi proprietates reipsa humanæ à Christo assumtæ naturæ, in sese consideratæ, sint communicatæ, quales sunt Omnipræsentia, increata & infinita sapientia, &c. Negantem tribus rationibus tanquam Naxiis demonstrationibus, ab Incarnatione & statu tùm humiliationis, tùm glorificationis desumtis in præsenti tuebimur.

15. Etenim si neq; per Incarnationem, nec in humiliationis aut glorificationis statibus humanæ Christi naturæ communicatæ fuerint proprietates divinæ, tunc planè non esse communicatas palàm est.

16. Profitemur itaq; (ut rem aggrediar) Christum Mediatorem in una persona non tantùm esse unigenam Dei filium, id est, æternum ac verum Deum, juxta hæc oracula & sexcenta alia. Mich. 5. v. 2. Es. 9. v. 6. Ose. 1. v. 7. Prov. 8. v. 24. Joan. 1. v. 1. Rom. 9. v. 5. Coloss. 1. v. 17. sed & verum hominem. Genes. 3. vers. 15. 2. Sam. 7. vers. 12. Luc. 24. v. 39. Ioan. 5. v. 27.

Roman.8.v.3. 1.Timoth.2.v.5. Johan.4.v.2.

17. At Deus filius verus factus est homo non deitatis spoliatione vel mutatione, sed incarnatione, id est, humanæ naturæ assumtione, juxta hæc testimonia Joan.1.v.14.Philip.2.v.6.1.Timoth.3.v.6.Heb.2.v.14.

18. Porrò Incarnatio quatuor partibus ceu gradibus constat, Conceptione de S.S. Assumtione humanæ naturæ, Unione personali duarum naturarum & Nativitate.

19. Conceptio de S S. est actio S S. per quam Christi humanam naturam ex sanctificato sanguine beatæ Virginis Mariæ miraculosa operatione efformavit, juxta effata Matthæi 1.18,20.Luc. 1.v.35.Gal.4 v.4.

20. Assumtio humanæ naturæ est, quâ sermo naturam à S S. formatam & sanctificatam per gratiosam illam dispensationem assumere dignatus est. Esa.7.v.14. Matth.1.v.23. Phil.2. v.7.Hebr.2.v.16.

21. Nihilq; eorum quæ plantavit in naturâ nostra Deus sermo ἐφύτευσεν πλὴν ἁμαρτίας reliquit, sed omnia assumsit corpus, animam rationalem & eorum proprietates. Totum enim totus assumsit me: Et totus toti unitus est, ut toti salutem largiretur, ut præclarè loquitur Damascenus lib.3. cap.6. juxta hæc & similia. Rom.8.v.3. Heb.2. v.16.Item 4.v.15.Philip.2. vers.8.

22. Unio personalis duarum naturarum in Christo, est talis earum copulatio, secundùm

dùm quam duæ integræ plenæq; Christi naturæ inconfusè, inconvertibiliter, indivulsè & inseparabiliter coierunt in unitatem substantialem unius personæ, haudquaquam differentia naturarum propter unitatem personæ sublata, sed magis utriusq; naturę in unam concurrentis hypostasin servata, ut orthodoxè exponit Concilium Chalcedonense: juxta modò citata oracula, & multa alia, Luc. 1. v. 35. Rom. 1. v. 3, 4. Colos. 2. v. 19.

23. Denique, Nativitas, qua ex Virgine Maria, aliorum hominum more, Bethlehemi in lucem editus est. Luc. 2. vers. 7. Matth. 2. v. 5. Huc pertinet illud vetustissimi Tertul. lib. de Carne Christi: Peperit ex sua carne & non peperit, quæ non ex viri semine. Et virgo, quantum à viro: non Virgo, quantum à partu.

24. Ex hoc mysterio itaque sic argumentamur: Quarum naturarum altera est divina simplicissima, æterna, immensa, immutabilis, omniscia, omnipotens, &c: altera humana, ex humano sanguine singulari operatione SS. concepta, animata anima rationali, proinde composita, visibilis, temporalis, finita, mortalis, nó omnia sciens, nec omnia potens: Utraque verò ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, & ἀναλλοιώτως, καὶ ἀδιαιρέτως, & ἀδιαστάτως unita in una persona σωζομένων τῶν ἰδιοτήτων ἀμφοῖν: inter eas naturas profectò non fit realis Communicatio proprietatum.

Tales autem sunt divina & humana natura

Christi. Quare nequaquam inter eas realis est proprietatum Communicatio.

25. Deinde status exinanitionis Christi reali illi proprietatum Cõmunicationi ἀντιθέσει bellum indicit. Continet enim tùm actiones & passiones Christi, quas in sua humana natura nostri causa obiit, à nativitate sua usque ad sacræ cœnæ Institutionem, tùm magnam illam passionem in fine humiliationis.

26. Sic legimus infantem Christum Bethlehemi in præsepi jacuisse, Luc. 2. v. 16. octavo die circumcisum, vers. 21. intelligentiæ, ætatisque augmenta recepisse vers. 40. (in quem locum eleganter Vigilius libr. 5. contra Eutych. Quia ergò, inquit, verbi naturæ ista non conveniunt, carni ejus congruant necesse est, secundùm quam jurè dicitur confortatus, jurè sapientia impletus, jurè creviſſe, jurè SS. super se habere) annos 12. natum Hierosolymis à parentibus amissum, & biduo post in templo inter magistros inventum. Ibidem vers. 45, 46.

27. Legimus hostium furori soli mutatione cessisse Johan 7. vers. 1. item 11. vers. 53, 54. famem Matth. 4. vers. 2. sitim, fatigationem sensisse Johan. 4. vers. 6, 8. lachrymasse cap. 11. vers. 35. quædam ignorasse, Matth. 24. vers. 36. Marc. 13. vers. 32. tentationes diaboli expertum Matth. 4. vers. 1. contristatum esse, Johan. 12. vers. 27.

28. Jam extrema illa & magna passio omninò

nunò est duplex, altera externa, quam Christus pertulit in corpore suo in conspectu hominum. Sic ab hostibus comprehensum & vinctum legimus, Luc. 22. vers. 54. à ministris pontificum cæsum, illusum, conspututum, Matth. 26. vers. 63, 64. Marc. 14. vers. 65. crucifixum extra portam inter latrones, Johan. 19. vers. 18. Esaiæ 53. vers. 12.

29. Huc pertinet mors Christi, secundùm quam verè & localiter divulsa est anima à corpore Christi, salva personali duarum naturarum unione, Matth. 27. versic. 50. Johan. 19. vers. 30.

30. Sepultura, quâ corpus ejus in novo monumento positum fuit, Matth. 27. vers. 60. 1. Corinth. 15. vers. 4.

31. Corporis in sepulchro triduana detentio prædicta signo Jonæ, Matth. 12. v. 40. completa & descripta, Act. 2. v. 24.

32. Restat interna passio, quam in animo suo sustinuit Christus, cùm coram judicio Dei constitutus, sentiret in se effusam horribilem iram Dei, ob nostra peccata, quorum onus in se receperat, Matth. 26. v. 37. Item 27. vers. 46. Luc. 22. vers. 44.

33. Atque hæc interna passio in symbolo exprimitur per descensum ad inferos, qui æquipollentibus locutionibus prædictus fuit typo Davidis, Psal. 69. vers. 3. Item 116. vers. 3. Item 86. vers. 13.

34. Hinc ita colligimus: Secundùm quam

naturam Christus præsepi circumscriptus fuit, crevit & grandivit, localiter motus est, infirmitates humanas sensit, sine peccato tamẽ, in cruce pependit, mortuus, sepulchro inclusus & per triduum ibi detentus est: ei naturæ nequaquam realiter communicatæ sunt divinæ proprietates (quomodo enim eadem natura realiter erit in loco, motibus & passionibus humanis obnoxia, morti & sepulturę subjecta: eademq; sine loco, sine infirmitate, omniscia & quorundam ignara?)

At illa omnia Christo conveniunt juxta humanam naturam. Ergo.

35. Deniq; ab Exaltationis statu arguimus: siquidem confitemur & agnoscimus Christum corpore suo resurrexisse, Luc. 24. vers. 5. idem corpus quod ceciderat resurrexisse, versic. 39. in his terris visum & conversatum esse cum Apostolis per 40. dies, Actor. 1. vers. 3. conforme esse nostris corporibus resurgentibus, Philip. 3. vers. 21.

36. Confitemur & agnoscimus Christum corpore suo visibiliter è terra elevatum, & sursum receptum esse in cælum, Mar. 16. vers. 19. Act. 1. v. 9. Consedisse ad dextram Dei patris non ubique, sed in cælis, Hebr. 8. vers. 1. 4. Epheſ. 1. vers. 20.

37. Confitemur & agnoscimus Christum corpore suo venturum ad extremum judicium in nubibus cæli, Dan. 7. vers. 13. voce archangeli & tubâ Dei descensurum de cælo, 1. Thess.

1. Thess. 4. v. 16. sicut conspectus est proficisci in cælum, Actor. 1. vers. 11.

38. Unde iterum inferimus apodicticè sic: Nullum corpus, quod verè resurrexit, carne & ossibus præditum est, visibile, conforme nostris corporibus glorificatis, quod sursum & deorsum movetur: potest secundùm veritatem esse ubique. Præclarè namq; Damascen. lib. 4. c. 1. Ascensio ex terrâ in cælum, inquit, & iterum descensio & adventus, actiones sunt circumscripti corporis.

Atqui corpori Christi etiam glorificato ista omnia tribuuntur. Ergo.

39. Hæc cùm ita sint, ut sunt, verè asserimus & pronunciamus, dogma de reali Communicatione proprietatum in humanâ naturâ Christi falsum esse atq; erroneum.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

THESES
DE
LIBERTATE CHRISTIANA,

Quas
Licentiâ facultatis Theologicę, divinâ favente gratiâ
Præside
Viro doctissimo clarissimoque DN.
BALTHASARO CROSNIEVICIO Lithvano S S. Theologiæ Doctore.
Ad συνάξιν sacram publicam tam exercendi sui quàm veritatis illustrandæ caussâ
Proposuit, & defendendas suscepit
JOANNES STELLA MULHUSINUS L. A. M.
Ad diem 6. Maii horâ solitâ, in illustri & splendido Theologorum Acroaterio.

Anno CIↃ IↃ C II.

VIRIS PIETATE, DOCTRINA ET PRUDENTIA SINGULARI PRÆSTANTIBUS:

D. JOANNI JACOBO GRYNÆO SS. Theologiæ Doctori, Ecclesiæ Basilienſis Antiſtiti primario, & ſcripturæ divinitùs inſpiratæ ac hiſtoriarum in Alma Baſil. Acad. Profeſſori celeberrimo.

D. AMANDO POLANO à POLANSDORF SS. Theol. D. & in Academiâ Baſilienſi Profeſſori excellentiſſimo, Facultatis Theologicæ Decano digniſſimo.

D. SIMONI ANDREÆ GRYNÆO Reipubl. Mülhuſinæ Senatori præſtantiſſimo, Affini chariſſimo.

PRAECEPTORIBUS, MOECENATIBUS & Fautoribus ſummâ obſervantiâ & amore proſequendis, Gratiam & pacem à Deo Patre per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM.

Quoties animo mecum pervolvo Pauli Apoſtoli vaticinium, futurum nimirum, ut temporibus ultimis falſi fratres in Eccleſiam irrepant; *toties conſidero, quo jure quâve injuriâ hodiè quidam in externâ ſocietate Eccleſiæ verſantes nomen Chriſtiani ſibi arrogent, qui ore quidem Chriſtum confitentur in hominum gratiam, corde autem & factô ipſo eum ab-*

negant. Haud certè meliore jure, quàm ii qui Catholici nomine adeò delectantur, ut ex eo tanquam infallibili notâ Ecclesiæ suæ veritatem scilicet imperitis persuadeant, & ita eos in suum rete pertrahant. Ut igitur huic tam vanæ persuasioni, quâ Pseudochristiani laborant occurrerem, visum est mihi integrum de Christianâ Libertate locum communem, pro modulo datæ à Domino gratiæ, Thesibus paucis comprehensum ad publicam disquisitionem proponere, nominiq; vestro clarissimo & celeberrimo inscribere, tantùm ut aliquod gratitudinis meæ erga vos pro immensis in me & patriam dulcissimam collatis beneficiis Præceptoribus & Mœcenatibus dignis τεκμήριον exhiberem, ut qui lubens agnoscam me talibus & tantis referendis valdè imparem esse. Valete in Christo, neque ut hactenus, ita & in posterum vobis commendatum habete. Deus autem Pater spiritum sapientiæ & roboris magis magisque in vobis confirmet, ad divinæ suæ gratiæ gloriam, & Ecclesiæ ac Reipublicæ ædificationem. Amen. Perscriptum Basileæ è Musæo meo Anno à Messiâ in carnem exhibito 1602. 6. Calend. Maji.

V. Observantissimus, & in Christo addictissimus

Johannes Stella Mülhusinus.

DE

DE LIBERTATE CHRISTIANA,

Thesis 1.

DISPUTATIONEM methodo convenienti, Deo benedicente, exorsuri, illius meminisse iuvabit, quod Philosophus ille Aristoteles 3. Metaphys. scribit: Παντὸς δὲ κυρίως μὲν πρώτη ἡ ἐπιστήμη, καὶ ἐξ ἧς ἄρχηται: *in omni disciplina principalis cura primùm de nomine sit.* Proinde *Libertas* (Hebræis חפשה Levit. 19. 20. Græcis ἐλευθερία, 2. Corinth. 3. dicta) à liber deducitur, unde fit libertus, qui cùm esset servus, factus est liber. In sacris tamen literis unus idemque diverso respectu & servus & liber seu libertus dicitur. 1. Corinth. 7. 22.

2. *Christiana* est à Græco χριστὸς, quod Hebraicè sonat משיח id est, unctus oleo propriè, ut Reges & Sacerdotes in veteri Testamento jussu Dei oleo ad officium inaugurabantur. 1. Sam. 10. 1. & 16. 13. Exod. 29. 7.

3. Dicitur autem *Christianus* dupliciter, vel δοξαστικῶς vel ἀληθῶς: δοξαστικῶς quidem, qui nominetenus tantùm Christianus est: ἀληθῶς autem qui reipsa. Nomen Christiani κατ' ἀλήθειαν dupliciter etiam sumitur, *latè & strictè*: *Latè* quidem sumtum significat eum qui est Christi 2. Corinth. 10. 7. vel unctionis particeps, id est,

discipulus Christi, eique insertus communionem cum ipso habens per fidem. Actor. 11.21, 26. & 26.27, 28. Johan. 8.31. 1. Johan. 2.27. in qua perdurans veritatem, quæ in libertatem eum vindicat, cognoscit. Johan. 8.31, 32. Ut enim Deus Pater Filium suum unigenitum Christi titulo ornari voluit oleo lætitiæ, id est, Spiritu Sancto ad fungendum officio Regis & Sacerdotis in æternum Psal. 2.2. Jesa. 61. 1. Psal. 110.4. Actor. 10. 38. Sic eodem oleo credentes in Christum unguntur à Deo, etsi infra caput illud & primogenitum, ut sint reges & Sacerdotes Deo Patri. 2. Corinth. 1.21. Psal. 45.8. Johan. 3. 34. Apocal. 1.6. Et ita hoc nomen acceptum tàm in Veteris quàm in novi fœderis fideles competit. *Strictè* verò sumtum solis fidelibus Novi Testamenti tribuitur, ad differentiam veterum fidelium, qui communiter Judæi appellantur.

4. Hoc rursus dupliciter capitur, *cõmuniter & propriè : Communiter* ita appellantur omnes discipuli & fratres Christi ex Judæis & Gentibus collecti, qui inde ab incarnatione Christi ad consummationem usq; seculi vixerunt, vivunt & victuri sunt: *Propriè* verò ii tantùm, qui certo tempore Novi testamenti nimirum non multò post adscensionem Christi in cælum ita sunt appellati; inter quos primi fuerunt fideles Antiocheni. Actor. 11.26. Et reliqui deinceps, qui nomẽ Christi professi sunt. Act. 26.28. 1. Petri 4.16. in hodiernũ usq; diem.

5. Libertas Christiana aliâs etiam *Libertas spiritualis filiorum Dei* dicitur. *Spiritualis* quidem præcipuè ad differentiam corporalis liberationis à tyrannide & intolerabili dominatione Pharaonis, qua dissipatos olim Israëlitas ad cultum nominis sui Deus recolligere volebat. Ita quibus hodiè se in Deum esse profitetur, eos omnes jam ab exitiali potestate Diaboli asserit, quæ corporali illa adumbrata fuit. *Filiorum Dei* dicitur, eò quòd libertas hæc illorum propria est, unde filius & servus opponuntur invicem. Johan. 8.35. Galat.4.7.

6. Est autē *Libertas Christiana*, qua ii qui per fidem facti sunt filii Dei, per Christum à spirituali servitute sunt soluti. Gal.3.26.Luc.4.18. Gal.5.1. Rom.8.15.

7. Αἴτιον κύριον *caussa efficiens princeps* est Deus. Hos.13.14.Pater, Colos.1.12.Filius, Johan.8. 36. & Spiritus sanctus.2.Cor.3.17,18.

Caussa impellens εὐσπλαγχνία est intima misericordia Dei, qua motus omnes, quibus hoc jus daturus erat, ut filii Dei fierent. Johan. 1.12. libertate ista donat. Luc. 1.78. Προκαταρκτικὴ est Christi obedientia & meritum. 1.Petr.1.19. qui pro peccatis nostris passus opera Diaboli dissoluit.1.Johan.3.8. & exspoliata imperia ac potestates traduxit palàm triumphatis illis Colos.2.15. ut nos ad Deum adduceret. 1.Petr. 3.18. Et hinc emergit *caussa efficiens proxima*, victoria nimirum mundi, quam Christus ipse

nobis attulit. Johan.6.33.1.Corinth.15.57.

Instrumentalis causſa interna eſt fides per charitatem agens. Actor.26.18. Gal.5.6.*Externa* eſt annunciatio Euangelii, Actor.26.17,18.quod propterea miniſterium reconciliationis dicitur.2.Corinth.5.19.Sermo item veritatis. Epheſ. 1.13. Coloſſ.1.5. quæ nos in libertatem vindicat.Joh.8.32.

Conſervantes cauſſæ ſunt *pax* & *tranquillitas* animi, quæ & *mentibus* & *cordibus fidelium* præeſt. Jerem.23.6.Phil.4.7.Coloſſ.3.15. *Cordibus* quidem, ut in omnibus cupiant honeſtè converſari. Hebr.13.18.*mentibus* verò ut in doctrina fidei permaneant. 2.Corint.1.12.1.Timoth. 1.19.*Spes*, quam veluti anchoram tutam ac firmam habemus & penetrantem in ipſa cælorum adita. Hebr.6.19. ſub qua etiam exſpectamus liberationem gloriæ filiorum Dei. Rom. 8.21.24. *Charitas* denique mutua, qua alii aliis ſervimus,Gal.5.13.1.Pet.1.22.

8. *Finis ultimus & primarius* eſt ſanctificatio ſive celebratio nominis divini. Ezech.36.22. &c.Epheſ.1.14.Rom.15.6.1.Corinth.10.31. *Secundarius* eſt vita æterna. Rom.6.22. *Intermedius* eſt transformatio noſtri in imaginem gloriæ Dei.2.Corinth.3.18. Et triumphus noſter in Chriſto 2.Cor.2.14.

9. *Subjectum mediatum ſeu remotum* ſunt filii Dei.Rom.8.21. ſervis oppoſiti, Galat.4.7.coheives Sanctorum ac domeſtici Dei. Epheſ.2. 19. *Immediatum verò & primarium* eſt cor & con-

conscientia eorundem. 1. Johan. 3. 19, 20. 1. Corinth. 10. 25.

10. *Objectum* est conscientia formidolosa, ad quam sedandam & cum Deo pacificãdam, necesse est nos à rigore seu severitate Legis Moralis ad Euangelii promissiones, quæ nos ab illa liberant, recurrere. Rom. 6. 12. & 8. 2. 15.

11. *Forma* consistit in liberatione à servitute seu dimissione ex captivitate spirituali. Jes. 61. 1. sive ereptione ex potestate tenebrarum & translatione in regnum Filii Dei vivi. Coloss. 1. 13. in Hierusalem quæ sursum est liberam omnium nostrûm matrem. Gal. 4. 26.

12. *Effectus seu fructus* Libertatis Christianæ est vera sanctimonia vitæ & justitia. Rom. 6. 18, 19, 22. & 7. 6. 1. Pet. 4. 14, 15. Luc. 1. 74. quam imperfectam licet ac mutilam Deus Pater indulgentissimus acceptam & ratam habet Malach. 3. 17.

13. *Necessaria consequentia* sunt confidentia in Christo recumbens. Johan. 16. 33. Item παῤῥησία ingrediendi sacrarium cum vero corde. Hebr. 10. 19, 22. Ephes. 3. 12.

14. Est verò *Libertas Christiana* duplex, vel communis omnium fidelium in Veteri & Novo Testamento: *vel* propria fidelium in Novo Testamento. Illa rursus in duplici differentia est, nimirum libertas à rigore seu severitate Legis Moralis, à servitute peccati, & jugo traditionum humanarum.

15. Libertas à rigore seu severitate Legis

Moralis est *qua redditi sumus liberi per Euangelium à sententia Legis & ab oneribus Legis, quæ reos tenebat peccatores. August. quæst. Veter. & Novi Testam. q. 69.*

16. Estque duplex: nempe tum à rigidissima illa exactione perfectissimæ obedientiæ, tum à maledictione seu pœna ob violationem legis; cùm Christus sponsor pro nobis factus sit, & obedientiam illam loco nostro præsiterit, & maledictionem pœnamque pro nobis subierit & pertulerit. Galat. 3. 13. Phil. 2. 8. 1. Petr. 1. 2.

Consectarium.

Unde consequitur: Nobis etiam partam esse libertatem à potestate & tyrannide Diaboli, à condemnatione & morte æterna. Joh. 8. 36. Rom. 8. 1. 1. Thessal. 1. 10. Hebr. 2. 14, 15.

17. *Libertas à servitute peccati* est, per quam vindicati sumus à dominio peccati, ut ne peccatum nobis amplius dominetur, sed ut justificati & donati spiritu sancto citra coactionem & promta voluntate, & sponte potius quàm obligatione, justitiæ & Deo vivamus. Hebr. 10. 2. 2. Cor. 3. 17. Psal. 110. 3. Rom. 6. 14. 22. & 8. 2. 2. Pet. 2. 19. Gal. 5. 13.

Ελεγχοι.

I. Hinc gravissimè errant *Antinomi*, qui legem fidelibus supervacaneam & proin non proponendam esse contendunt, cùm potiùs per fidem illam stabiliant, servi facti obedientiæ ad justitiam. Rom. 3. 31. & 6. 18.

II. Errant

II. Errant & *Operistæ*, qui ut necessitatem operum ad salutem stabiliat fidelibus per seipsos in hac vita legi Dei satisfaciendum esse autumant, ac si Christus eam non plenè pro nobis præstitisset. *Contra Bellarm. lib. 3. de justificat. operum, cap. 2. &c.*

18. *Libertas à jugo traditionum humanarum* est, qua omnes fideles soluti sunt ab observatione humanarum adinventionum, ceremoniarum & superstitionum, quæ sub specie pietatis & religionis Ecclesiæ obtruduntur, vel imperiosè imponuntur. Hujusmodi erant olim traditiones Pharisæorum, quas fideles non morabantur. Matth. 15. 14. Gal. 1. 14.

19. *Gradus Libertatis Christianæ* sunt duo; Est enim illa *vel inchoata & imperfecta*, quò ad hanc vitam. Roman. 6. 22. & 8. 2. *vel consummata & perfecta* respectu alterius vitæ. Ephes. 1. 14. 1. Corinth. 15. v. 54. quæ prioris ἀναπλήρωμα seu complementum est. Luc. 21. 28. Roman. 8. v. 23. Ephes. 4. vers. 30.

Opponuntur I. *Privativè* servitus sub tyrannide Diaboli, dominio peccati & jugo traditionum humanarum, quibus tenētur omnes debitores legis filii iræ, contumaces à principe, cui potestas est aeris agitati. Johan. 8. v. 38. 1. Johan. 3. 8. Ephes. 2. vers. 2, 3.

II. *Ex adverso* tentationes & machinationes Diaboli, 2. Corint. 2. 10, 11. quibus tanquam ignitis telis fideles insectatur & ad malum sollicitat; sive id jam fiat ex infirmitate carnis,

Matth. 26. v. 41. cùm nimirum fidelis à propria cupiditate abstrahitur & inescatur, & ita ad peccandum inducitur. Jac. 1. v. 14, 15. sive à falsis fratribus, qui in Ecclesiam irrepunt ad explorandam libertatem, ut in servitutem adigant fideles. Gal. 2. 4. Verùm tentationes istæ tam graves non sunt quin à fidelibus superentur. Apocalyp. 2. vers. 10. Galat. 2. vers. 5. Non enim ob scelera illi affliguntur, sed ob justitiam ut Christiani. 1. Petr. 4. vers. 15, 16.

III. Libertati Christianæ repugnat *primùm in excessu* erronea Catabaptistarum opinio, qua angelicam & omnibus numeris absolutam & perfectam in hac vita sanctitatem sibi imaginantur. *Deinde in defectu* peccant omnes Epicurei, qui in impura cupiditate incedùt, & pro voluptate brutorum instar quotidianas delitias ducunt, servi facti corruptelæ. 2. Petr 2. vers. 10, 12, 13, 19. quorum Deus est venter & gloria cum confusione sui. Phil. 3. vers. 19. qui propterea non Christo, sed suo ventri serviunt, & per blandiloquentiam corda hominum minimè malorum seducunt. Rom. 16. vers. 18.

Adhuc de Libertate communi utriusq; Testamenti; restat nunc Libertas Novi Testamenti propria.

21. *Libertas Christiana Novi Testamenti* est facultas ejus quod cuiq; Christiano Novi Testamenti facere licet, nisi jure divino prohibeatur.

22. *Est*

22. *Est q; duplex*, libertas à legibus Mosis ceremonialibus & forensibus, & libertas in adiaphoris.

23. Libertas à legibus Mosis ceremonialibus & forensibus est, per quam Christiani ab illarum legum observatione sunt soluti, quatenus videlicet illæ tantùm ad περιτόμιον illud & politiam Mosaicam & pædagogiam veteris populi pertinuerunt. Daniel. 9. vers. 27. Actor. 15. vers. 10. 1. Corinth. 9. vers. 19. 2. Corinth. 3. vers. 13. Col. 2. vers. 14. 16. Hebr. 7. vers. 18 Id q; ob sequentes causas.

I. Ut hac forma cultus & politiæ populus Judaicus discerneretur ab aliis gentibus usq; ad adventum Messiæ, ubi & Judæorum & Gentium discretio sublata est. Actor. 15. v. 9. Ephes. 2. vers. 14, 15. Hebr. 9. vers. 10, 11. Mutato enim rerum statu, judicilia quoq; & politica præcepta mutari necesse fuit. Hebr. 7. vers. 12.

Consectaria.

I. Quare non pugnat cum charitate Christiana liberum aliquem esse Christiana libertate, qui civili servus sit contrà quam sentiunt Anabaptistæ, qui Magistratui Christiano gladium derogant: Nam interiore homine per Christi spiritum fideles regenerationis jure tanquam filii Dei liberi sunt, exteriore verò homine principatibus mundi subjecti, per charitatem ad cavendam offensionem. Mat.

thæi 17.vers.25,26,27. Rom.13.vers.1. 1.Pet. 2. vers.13,16.

II. Non sunt alligati Christiani ad ulllius gentis politiam, sed possunt uti in imperiis legibus politicis non pugnantibus cum naturali ratione ubicunq; vivunt, sicuti spatiis dierum dissimilibus utuntur Christiani Venetiis & in Saxonia. Contra κακοζηλίαν Monetarij, Struthionis & similium, qui contenderunt jus dicendum esse in foro non ex legibus Romanis, sed ex præscripto legum Mosaicarum.

II. Ut ceremoniæ illæ essent typi Messiæ & beneficiorum ejus. Gal.6. vers.15. Coloss.2. vers.17. Heb.9 vers.8. & sequentibus. Johan.1. vers.17. Hinc *Augustinus lib.19. contra Faustum Manichæum, cap.18. ait; quæ in promittente significatione sunt versata, ea rebus ipsis redditis & veritate in Christo exhibita transierunt.* Ergo quia Christus in carnem jam venit, *ceremonialia illa præcepta adeò evacuata sunt* (ut ait Thom. Aquinas prima parte secundæ summæ quæstione 104.articulo 3.) *ut non solùm sint mortua, sed etiã mortifera observantibus ea, maximè hoc tempore post Euangelium divulgatum. Siquidem eorum observatio præjudicat fidei veritati, secundùm quam confitemur illa præcepta jam esse completa.* Contra κακοζηλίαν non tantùm Pontificum Romanorum, qui quosdam ritus similes Mosaicis in Ecclesiam invexerunt, sed etiam aliorum fanaticorum, quales fuerunt Ebion & Cerinthus, qui observationem Leviticarum cere-

mo-

moniarum dixerunt Christianis necessariam esse.

24. *Libertas in adiaphoris est*, per quam Christiani sunt liberi in usu vel abstinentia rerum adiaphorarum seu mediarum, Roman. 14. 3. 1. Corinth. 9. vers. 5, 19. 1. Corinth. 6. vers. 12. Res adiaphoras voco, quæ à Deo nec præceptæ nec vetitæ sunt; sed ab hominibus traditæ & institutæ. 1. Corinth. 14. vers. 40. ideò homines nec justos, nec injustos faciunt, & Deo nec charos nec odiosos reddunt. 1. Corinth. 8. vers. 8. Servari tamen vel omitti possunt bona conscientia vigore Libertatis Christianæ, qui post gloriam Dei partim in ædificatione proximi ceu fine propinquo, partim in modo iis utendi consistit. Et hoc est, *quod B. Athanasius alibi memoriæ proditum reliquit; utiles sunt ceremoniæ, sed cum cognitione veritatis & mediocritate. Item Epiphanius in disputatione contra Encratistas, probandæ sunt, inquit, traditiones factæ aut ad coërcendam carnem propter disciplinam rudium, aut propter politicum ordinem, ut populus sobrius intersit sacris.* Sicut Josaphat & Rex Ninive jejunia indixerunt, ut Christiani hodie celebrant Natalem Christi, Pascha, diem Pentecostes, & similia.

25. *Finis* ergò inter ædificationis & charitatis terminos cernitur, ut ne quis offendiculo sit fratri infirmo, sed ut in rebus mediis ejus conscientiam attemperet. Roman. 14. vers. 15, 19. & 15. vers. 2. Marc. 9. vers. 42. 1. Corinth. 8.

verſ.9. & 10. verſ.25. 1.Corinth.11. verſ.20. 2.Corinth.11. verſ.12.Roman.14.verſ.20,21. 1.Corinth.8.13. Ita Paulus voluit circumcidi Timotheum tantùm ut lucrifaceret Judæos illius loci, Actor.16.3.2. Ut Phariſæorum ſectæ & contumacium auſteritati reſiſtat, Matth.15. verſ.14.Gal 2.verſ.3,4,5.

26. Ad *finem* autem hunc pervenies, ſi probè tenueris modum eas obſervandi, qui in his tribus ferè conſiſtit. *Primùm* liberum rerum uſum non niſi iis eſſe licitum, qui hujus Libertatis gnari de ipſarum uſu conceſſo minimè hęſitant.Roman.14.14. Alioquin enim peccarent, qui ejus inſcii ſunt. 1. Quia legem charitatis violarent, verſ.15. 2. Quia tales jam condemnati ſunt, cùm non ex fide id faciant, verſ.24. *Deinde*, ſi diligenter obſervatâ circumſtantiarum ratione, Roman.14.20. 1.Cor.8.13. in earum pugna & contrarietate res minoris momenti iis quæ ſunt majoris momenti, pauciores pluribus prudenter poſthabeas. Rom. 14.v.21. Si *denique* uſum rerum mediarum in reformatis Eccleſiis receptum & approbatum non facilè mutare tentes.

Ἔλεγχοι.

I. Graviter ergò peccant hypocritæ, qui in abſtinentia Libertatis, nulla proximi ſalutis habita ratione, ſuæ incolumitati aut quieti conſulunt.Galat.2.11.& ſequentibus.

II. Graviùs peccant, qui hac Libertate freti, ea vel ad ſatiandum & explendum libi-

dinem

dinem Gal.5.13. vel importuno & intempestivo ejus usu proximum offendunt, & ita fratrem infirmum despiciunt & contemnunt. 1.Cor.6.12.Rom.14.3,10.

III. Omnium gravissimè peccant, qui vel rerum adiaphorarum usum absolutè necessarium esse contendunt, vel res adiaphoras esse censent, quæ tales non sunt.

27. *Prius* falsa opinione nititur: *Primò meriti*, quasi earum rerum observatio mereatur remissionem peccatorũ, cùm quidquid commendationis habent, totum id obtineãt obedientiæ debitæ, & proin non mercenariæ (Luc.17.10.) intuitu, quam solam etiam Deus respicit, ut testatur ipse per Prophetam Jer.7. 22. *Secundò cultus*, quasi Deus iis vellet coli, contra expressum dictum Matt.15. Frustrà me colunt mandatis hominum. Item Ezech.20. In præceptis meis ambulate, non patrum vestrorum. Dominus quippe fideliter nos & ad plenum instituit, qualiter sit colendus per Euangelii prædicationem, quod iccircò Lex Libertatis perfecta dicitur Jac.1.25. Ut non immeritò Paulus Apostolus Coloss. cap.1. & inprimis 2. sub finem omnes ἐθελοθρησκείας seu fictitios cultus, qui homines sibiipsis comminiscuntur vel ab aliis accipiunt, prohibet. Hujusmodi autem hodiè sunt Papicolarum ἐκκνολαπτεία, Missæ celebratio, adoratio Dei panacei, & similia. *Tertiò perfectionis*, quasi earum observatio nos perfectos redderet, perinde ac si ope-

ra illarum traditionum meliora essent & magis placentia Deo, quàm ea quæ Decalogus præcepit: Hac persuasione prætulerunt Monachatum gubernationi Ecclesiasticæ, politicæ & conjugio. *Quartò necessitatis*, quasi necessarium esset eas observare propter conscientiam, ac læderetur conscientia, nisi observarentur, cùm tamen nullæ leges obligent conscientias hominum præter leges Dei, & Apostolus ipse studiosè caveat, ne in hoc casu conscientiæ judicium præferat ædificationi proximi. Rom. 14. 13. Unde idem nullo modo patitur fidelium conscientias in hominum servitutem redigi, Gal. 5. 1. & manifestiùs ad Col. 2. dum inquit: Nemo vos judicet in cibo aut potu, id est, nemo obliget ac damnet conscientiam vestram propter hos ritus. Item in Actis 15. 10. Petrus vehementer objurgat eos, qui ceremoniis Mosaicis onerare gentes volebant. Ita hodierni Romanenses Psychotyrannidem exercent in miserâ plebeculam, & omnes qui traditiones à sui ordinis & sectæ hominibus introductas præcisè non observant, anathemate ceu fulmine bruto feriũt. Episcopi enim illorum, quia præsunt ut videantur augere studia pietatis, cumulant traditiones, ut fecerũt Gregorius I. Innocẽtius, & multi Pontifices, qui dixerũt reum esse æternæ iræ Dei, si quis non servet traditiones ab Episcopis conditas. *Bellarm. lib. 2. de Sacram. in genere cap. 31. & 32. aliquid contra nos obtinere conatur, sed in vanum laborat,*

rat, quia pro more suo non nisi captionibus sophisticis utitur.

28. *Posterius* erratum consistit in δεισιδαιμονίᾳ superstitione, & impietate. *Superstitiosæ* enim res sunt, quarum observatio itidem conjuncta est cum falsa opinione meriti, cultus, perfectionis & necessitatis. In harum numero sunt auricularis confessionis vertente anno prætermissio, certæ formæ jejuniorum, manus consecrato die sanctulis admotio honesto operi, votivæ peregrinationis omissa persolutio, idoli sine honore pręteritio, discrimina ciborum, ordines diversi Monachatus. Has & similes superstitiones Paulus studiosè cavendas præcipit, Gal. 4. 9, 10. *Impiæ* sunt, quæ apertè pugnant cum mandatis divinis, cujusmodi sunt multæ traditiones Pontificiæ, ut abusus Cœnæ Domini, Missa, Invocatio mortuorum, cultus imaginum, lex de cœlibatu, dies festi sanctis dedicati, imagines religionis causa factæ, ut serviant ad religionis usum, sive ut adorentur, sive ut res sacræ per illas repræsententur.

ΕΠΙΣΑΓΜΑ.

Quæritur: *Præstétne res adiaphoras planè omittere potiùs, quàm offendere proximum.* Resp. *Præstat eas omittere.* 1. Cor. 8. 13.

Παύτοτε δόξα Θεῷ, οἰκονομοῦντι πολόν.

DE DISCRIMINE LIBRORUM CANONICORUM & APOCRYPHORUM

THESES THEOLOGICÆ

Ab

AMANDO POLANO A POLANSDORF S. THEOLOGIAE D. & in vetusta Academia Basilienſi Profeſſore ordinario propoſitæ,

Ut de iis diſputatio publica, DOMINO JESU favente inſtitueretur die 26. Auguſti,

Reſpondente

M. JOHANNE STECKIO BASILIENSI.

Anno CIↃ IↃ CII.

Pietate eximia, virtute excellenti, prudentia singulari præstantissimis Viris,

Dn. Bernhardo, Hieronymo, Theodoro, Johanni Rodolpho, Samueli, & Danieli, Burckhardis Fratribus conjunctissimis, civibus Basilienſibus primariis

Amandus Polanus à Polansdorf Gratiam & pacem à Deo precatur.

Quum religionis Christianæ autor Jesus Christus *ipse, doctrinam quam annunciabat ad Scripturarum Sacrarum Canonem examinari jusserit, Johan. 5. vers. 39. dicens*; Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere; & illæ sunt quæ testantur de me: *Quumque sapientia vera ad salutem animarum sempiternam necessaria perfectè in sacris literis contineatur, Paulo Apostolo teste 2. Timoth. 3. vers. 14, 15.* At tu maneto in iis quæ didicisti & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris: Teque à puero sacras literas novisse, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem quæ per fidem est in Christo Jesu: *Unde* B. Athanasius *epistolâ ad Jovinianum Imperatorem, paginâ trecentesimâ nonagesimâ octavâ tomo primo editionis Commelinianæ ait*; ἡ μὲν γὰρ ἀληθὴς καὶ ὑγιὴς εἰς τὸν κύριον πίστις, φανερὰ πᾶσιν καθέστηκεν ἐκ τῶν θείων γραφῶν γινωσκομένη τε καὶ συναγινωσκομένη, *hoc est*, Vera enim & pia in Christum fides, manifesta omnibus existit ex sacris literis cognita & persuasa: *operæ-*

pretium duxi me facturum, si thesibus aliquot declararem, qui nam libri verè & propriè Sacræ Scripturæ nomine intelligantur, ac proinde verè Canonici sint, ad quos etiam hodie omnia de religione dogmata examinari dijudicarique debent. Vobis autem, Viri prudentissimi, theses has inscribere visum fuit, ut publicè testatum facerem, eximia vestra pietate factum, ut parentum vestrorum, jam in DOMINO *quiescentium, legatum ad pios usus, provehendis Theologicarum disputationum, in quibus veritas cælestis ad gloriam* CHRISTI *& Ecclesiæ ædificationem asseritur, exercitiis destinaretur. Precor autem* DOMINUM JESUM, *verum Deum & hominem, toto pectore, ut in vos universos & singulos, vestrosque liberos & familias affatim è cælo omne genus benedictionum suarum effundat. Perscriptum Basileæ, Anno DIs Ce MorI, die 10. Augusti, qui Laurentii Romanæ Ecclesiæ Diaconi martyrio est insignis.*

DE DISCRIMINE LIBRORUM CANONICORUM ET Apocryphorum

Thesis I.

SACRA Scriptura dicitur dupliciter, *propriè & impropriè.*

2. *Propriè quidem*, quæ κατ' ἀλήθειαν, hoc est, secundùm veritatem, seu verè est sacra, & ita συνωνύμως, hoc est, univocè appellatur.

3. *Impropriè verò*, quæ κατὰ δόξαν, id est, secundùm opinionem humanam est sacra & divina, secundùm veritatem autem non est, ac proinde sa-

de sacra ὁμωνύμως, id est, æquivocè nominatur.

4. *Propriè, verè, & univocè sacra* est omnis illa Scriptura, quæ θεόπνευστος, id est, divinitus inspirata, & à Deo per Prophetas & Apostolos Ecclesiæ est tradita atque commendata.

5. Contineturque illis libris, qui non æquivocè, sed univocè canonici vocantur: & sunt certissima atque infallibilis regula fidei & veritatis: quorum autoritas, ad roborandā dogmata Ecclesiastica, quæ in controversiam veniunt, est idonea.

6. Suntque hi in Veteri Testamento; Pentateuchus seu quinque libri Mosis; Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri & Deuteronomium: Triteuchus, nempe tres libri sequentes, Josua, Judicum, & Ruth (sic enim appellantur hi tres libri ab Athanasio in Epistola ad Marcellinū de interpretatione Psalmor. tomo primo, pag. septingētes. quadragesi. Editionis Commelinianę) Samuelis duo libri, qui etiam primus & secundus Regum dicūtur: Regum duo libri, qui in vulgata versione tertius & quartus Regum sunt: Chronicorum seu Paralipoménon libri duo: Ezræ unus, Nehemiæ unus, Estheræ unus: Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum: Jesaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, Hoseas, Joël, Amos, Obadja, Jonas, Micheas, Nahum, Chabalchuk, Sophonias, Chaggæus, Zacharias, Malachias.

7. In Novo autē Testamento omnes sunt

verè & univocè sacri, divini & Canonici, nullo excepto.

8. Alii omnes, qui extra hos sunt, etsi plerique sint utiles & digni lectu, maximè Baruch, Sapientia Salomonis, Syracidæ liber seu Ecclesiasticus, libri etiam Machabæorũ, propter pietatis & virtutum documenta & exempla: tamen non sunt propriè, verè, & univocè sacri, divini & canonici, licèt secundùm opinionem & præsumtionem humanam interdum impropriè, & æquivocè à Patribus nonnullis, communi opinione ex humana infirmitate abreptis, sacri, divini, & Canonici dicantur, idque tantum ob morum præcepta & exempla quædam: Et sunt hi; Tobiæ liber unus, Judith, Baruch, Adjectiones ad Danielem, Adjectiones ad librum Estheræ, Ezræ liber tertius & quartus, Oratio Manassis, Machabæorum libri tres, liber Sapientiæ, & Ecclesiasticus seu liber Jesu Syrach.

9. Hi libri vocantur Apocryphi Græca voce, id est, occulti, propterea quòd Ecclesiæ nõ fuerunt traditi cum certa Spiritus Dei testificatione, ut in capsa Ecclesiæ conderentur ἀπόκρυφα, & palàm ex authentico illorum canone Ecclesia doceretur: sed velut humana scripta tantùm intra privatos parietes volentibus legere permissi sunt. Quanquam non malè quis statuerit, ἀπόκρυφον dici, ὃ ἀπέστιν ἀπὸ τῆς κρύπτης ἁγίας, quicquid abest à sancta illa crypta, armario, reconditorio, thesauro & bibliotheca librorum

brorum divinitus traditorum Ecclesiæ: sic ut ἀπόκρυφον sit παῦν τὸ μὴ ἐν διαθήκῃσι, quicquid non est in Canone divini federis penes Ecclesiam depositum jussu & autoritate Dei. Unde sunt ἄξιοι ἀποκρυφῆς, digni qui abscondantur magis, quàm qui legantur, ut Athanasius censet in Synopsi Sacræ Scripturæ, pag. centes. trigesi. quarta, tom. secun. Edit. Commelin. Et non sunt idonei, ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.

10. Ideo MELITO Sardensis Ecclesiæ Antistes, qui scripsit ad Imperatorem M. Aurelium Antoninum Philosophum cognominatum, pro fide & religione Christiana, enumerans verè Canonicos libros veteris Testamenti, hos prętermittit, in epistola ad Onesimum, quam recitat Eusebius historiæ Ecclesiasticæ libro quarto, capite vigesimo sexto, his verbis.

MELITO ONESIMO FRATRI SALUTEM.

Quoniam quidem frequenter me rogasti, pro studio quod habeas erga Verbum Dei, ut excerpam tibi testimonia ex Lege & Prophetis de Salvatore, & de fide nostra, simulq; indicem, qui sit ordo vel numerus veteris Testamenti voluminum: postulata libenter implevi; sciens, quòd sit in te discendi studium, vel quanta fidei devotio, & ut vitæ æternæ desiderio nihil præponas. Scias ergo perrexisse me usque ad Orientis locum, ubi prædicationis nostræ cœpit exordium, & ubi gesta sunt illa omnia, quæ legũtur scri-

pta, ibiq; diligenter de omnibus exploraſſe, quæ eſſent veteris Teſtamenti volumina. Ibi igitur, quæ cum omni inveſtigatione comperi, hæc ſunt: Moyſis libri quinque: Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Tum deinde Jeſu Nave, Judicũ, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Pſalmi David, Solomonis proverbia, quæ & Sapientia, Eccleſiaſtes, Cantica canticorum, Job: Prophetæ autem, Jeſaias, Hieremias. duodecim Prophetarum liber unus, Daniel, Ezechiel, Ezdras. Ex his ergo ἐκλογὰς tibi, id eſt, excerpta teſtimonia in ſex libris digeſta tranſmiſi.

11. Porrò per *Sapientiam* cujus meminit, non intelligit librum illũ pſeudepigraphum, quem Hieronymus inter Apocrypha ponit: ſed ipſa Solomonis proverbia nominat Sapientiam, ut Ruffinus interpres Euſebii indicat. Nam cùm nominaſſet Solomonis proverbia, de illis addit, *quæ & Sapientia*; ſic ut pronomen relativum, *quæ*, oſtendat, non aliam Sapientiam à Melitone intelligi quàm Proverbia.

12. Canon verus & genuinus, jam tempore Apoſtolorum ſtabilitus & confirmatus fuit, ſicut teſtatur Auguſtinus tomo ſexto, libro undecimo contra Fauſtum Manichæum, cap. quinto, ubi ait: *Diſtincta eſt à poſteriorum libris excellentia Canonicæ autoritatis veteris & novi Teſtamenti: quæ Apoſtolorum confirmata temporibus per ſucceßiones Epiſcoporum propagationes Eccleſiarum, tanquam in ſede quadam ſublimiter conſtituta*

stituta est, cui serviat omnis fidelis & pius intellectus.

13. Unde etiam B. ATHANASIUS, qui circa tempora Concilii Niceni primi floruit, canonem scripturarum divinarum suo tempore certum etiam ostendit.

Sic enim ait in Synopsi sacræ Scripturæ:

Omnis nostra, qui Christiani sumus, Scriptura, divinitus inspirata est. Libros habet non infinitos, sed finitos ac certo canone comprehensos. Postea enumerat libros canonicos, recitatis simul initiis singulorum: tandem hæc ibidem subjicit. *Sunt itaq; canonici Veteris Instrumenti libri viginti duo, literis Hebraicis numero pares. Totidem enim apud Hebræos sunt literarum elementa. Præter istos autem sunt adhuc alii veteris instrumenti libri non Canonici, qui Catechumenis tantùm leguntur.*

Sapientia Salomonis, cujus exordium est: Diligite justitiam qui judicatis terram.

Sapientia Jesu filii Syrach, cujus initium est: Omnis sapientia à Domino est, & cum ipso est in seculum.

Esther (id est, Adjectiones ad librum Esthe-ræ, ut patet ex sequenti initio, quod capitum Apocryphorum est) *cujus initium est: Anno secundo regnante Artaxerxe magno, una die mensis Nisan, somnium vidit Mardochæus filius Jairi, filii Semei, filii Kisæi, ex tribu Benjamin. Judith, cujus principium est: Anno duodecimo regni Nabuchodonosor, qui in Assyria regnavit, in Ninive civitate magna, in diebus Arphaxad, qui Medis imperavit in Ecbatanis.*

Tobit, cujus exordium est: Liber sermonum Tobit, filii Tobiel, filii Annaniel, filii Aduel, filii Gabael, ex semine Asiel, de tribu Nephtalim: qui in captivitate fuit in diebus Ennemassari regis Assyriorum. Isti sunt libri Veteris Instrumenti non canonici. Quidam verò ex veteribus apud Hebræos pro canonicis reputari dixerunt, librum Esther & historiam Ruth, quam cum historiis Judicum uno libro comprehendi: Esther verò (hîc per Esther intelligit capita Hebræa, quæ absq; ulla dubitatione canonica sunt) *ad aliud quoddam volumen canonicum pertinere: atq; ita numerum duorum & viginti canonicorum librorum apud illos compleri volunt.*

Eadem sententia Athanasii patet ex epistola ejus trigesima nona festali, quę exstat tomo secundo pag. quadragesimo quartâ editionis Cōmelinianæ. Nam postquam Canonicos libros enumeravit, sic subjicit: *Hi sunt fontes salutares, ex quibus sitiens haurire possit eloquia: In his solis pietatis schola beatè annunciatur. Nemo his addat, neq; hinc auferat quicquam. De his cùm Christus Dominus os Sadducæis obturaret loquitur: Erratis nescientes scripturas. Ad hæc Christus Judæos exhortatur: Scrutamini scripturas, quia hæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Sed majoris evidentiæ causa adjiciam & hoc necessariò; scitens, quòd etiam alii libri sint extra hos enumeratos, qui non quidem canonem constituunt: sed proposita sunt à patribus legenda eis, qui primùm accedunt & simpliciter edoceri volunt sermonem pietatis: Sapientia Salomonis, & Sapientia Syrach, & Esther,* (intelligit hîc Athanasius

nasius adjectiones ad librum Estheræ, ut patet ex suprà dictis) & *Judith*, & *Tobias*, & *doctrina quæ vocatur Apostolorum & Pastor*. Ex his Athanasii testimoniis manifestum est, librum Tobiæ, Judithæ, Sapientiæ Solomonis, Syracidæ, &c. à verè canonicis esse discernendos.

14. Cum Athanasio sensit totà Christiana Ecclesia, cujus judicium exponit CONCILIUM LAODICENUM, quod quidem Provinciale fuit, sed confirmatum est in sexta synodo generali, Trullana dicta, ut tomo primo Conciliorum Coloniæ editorum Anno 1567. videre est. Concilii illius canon quinquagesimus nonus hic est, ex secunda editione: *Non oportet ab idiotis Psalmos compositos & vulgares, in Ecclesiis dici, neq; libros qui sunt extra canonem legere, nisi solos canonicos Novi & Veteris Testamenti. Quæ autem oporteat legi, & in autoritatem recipi hæc sunt: Genesis mundi, Exodus Ægypti, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesu Nave, Judicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Esdræ liber primus & secundus, liber Psalmorum 150. Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica canticorum, Job, Hester, Duodecim Prophetæ, id est, Oseas, Amos, Joël, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Item Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Novi autem Testamenti, Euangelia quatuor, secundùm Matthæum, secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Johannem, Actus Apostolorum, Epistolæ Catholicæ septem, Jacobi una, Petri duæ, prima & se-*

cunda: Johannis tres, prima, secunda, & tertia; Judæ una. Epistolæ Pauli Apostoli numero quatuordecim; ad Romanos, ad Corinthios prima & secunda, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses prima & secũda; ad Timotheum prima & secunda, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos.

15. Cęterùm Apocalypsis Johannis omittitur, non quòd à canone excludatur, sed quòd Synodus censuerit, ob difficultatem nõ posse populo legi: Concilio enim propositum fuit ostendere, qui libri in Ecclesia publicè è suggesto legi debeant; ut occasio condendi illius canonis manifestè ostendit. Jam cùm soli libri canonici jubeantur legi, in eorum autem recensione liber Tobiæ, Judith, Sapientia Solomonis, Ecclesiasticus, libri Machabæorum omittantur; manifestum est hos omissos non fuisse agnitos à concilio Laodiceno pro canonicis.

16. Concilio huic suffragatur HIERONYMUS, & quod suo tempore Ecclesiæ Christianæ judicium de libris canonicis fuerit, ostendit primùm in prologo Galeato his verbis: *Hic prologus Scripturarum quasi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest: ut scire valeamus quicquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum: Igitur Sapientia quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Jesu filii Syrach liber, & Judith, & Tobias, & Pastor, nõ sunt in canone. Machabæorum primũ librum Hebrai-*

Hebraicum reperi: secundus Græcus est: quod ex ipsa quoq; phrasi probari potest. Et præfatione in libros Solomonis:

Fertur & panaretos Jesu filii Syrach liber, & alius pseudepigraphus qui Sapientia Salomonis inscribitur. Quorum priorem Hebraicum reperi: non Ecclesiasticum ut apud Latinos, sed Parabolas prænotatum, cui juncti erant Ecclesiastes, & Canticum canticorum, ut similitudinem Solomonis, non solùm librorum numero, sed etiam materiam genere coæquaret. Secundus apud Hebræos nusquam est, quin & ipse stylus Græcam eloquentiam redolet: nonnulli scriptorum veterum hunc esse Judæi Philonis affirmant. Sicut ergo Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit: sic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.

17. Sunt, qui hoc testimonium Hieronymi eludere conentur; quasi Hieronymus non de Christianorum, sed de Judæorum canone sit locutus: at verba Hieronymi hanc elusionem apertè elidunt. Nam ait Hieronymus; *Judith, Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit: sic & hæc duo volumina legat,* &c. Loquitur ergo de canone Ecclesiæ Christianæ, non autem Synagogæ Judaicæ.

18. Subscribit RUFFINUS Aquilejensis Presbyter, qui Expositione in Symbolum Apostolorum ab aliis Cypriano adscripta, aper-

rè libros canonicos, qui fidei nostræ firmamenta sunt, distinguit à non Canonicis, sectione trigesimâ quintâ, & trigesimâ sextâ, sequentibus verbis:

Quæ sint Novi & Veteris instrumenti volumina, quæ secundum majorum traditionem per ipsum Spiritum Sanctum inspirata creduntur, & Ecclesiis Christi tradita, competens videtur in hoc loco evidenti numero, sicut ex patrum monumentis accepimus, designare. Itaq; Veteris Instrumenti primò omnium Moysi quinq; libri sunt traditi, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: post hos Jesus Nave, Judicum simul cum Ruth: quatuor post hæc regnorum libri, quos Hebræi duos numerant, Paralipoménon qui dierum dicitur liber, & Esdræ libri duo, qui apud illos singuli computantur, & Hester: Prophetarum verò Esaias, Hieremias, Ezechiel, & Daniel, præterea duodecim prophetarum liber unus: Job quoq; & Psalmi David singuli sunt libri: Salomonis verò tres Ecclesiis traditi, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica canticorum. In his concluserunt librorum numerum Veteris Testamenti. Novi verò quatuor Evangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis: Actus Apostolorum quos descripsit Lucas: Pauli Apostoli epistolæ quatuordecim: Petri Apostoli epistolæ duæ: Jacobi fratris Domini & Apostoli una: Judæ una: Johannis tres: Apocalypsis Johannis. Hæc sunt quæ Patres intra canonem concluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quod & alii libri sunt, qui non canonici, sed ecclesiastici à majoribus sunt appellati: ut est Sapientia

Salo-

Salomonis, & alia Sapientia filii Syrach, qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur, quo vocabulo non autor libelli, sed scripturæ qualitas cognominata est. Ejusdem ordinis est libellus Tobiæ, & Judith, & Machabæorum libri. In Novo verò Testamento libellus qui dicitur pastoralis sive Hermetis, qui appellatur duæ viæ, vel judicium Petri, quæ omnia legi quidem in ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras verò scripturas Apocryphas nominarunt, quas in ecclesiis legi noluerunt. Hæc nobis à Patribus, ut dixi tradita, opportunum visum est hoc in loco designare, ad instructionem eorum, qui prima sibi Ecclesiæ ac fidei elementa suscipiunt, ut sciant ex quibus sibi fontibus verbi Dei haurienda sint pocula.

19. EPIPHANIUS postquam in libro de mensuris ac ponderibus enumerasset libros Veteris Testamẽti Canonicos, quos non alios agnoscit quàm qui sunt in Bibliis Hebraicis; hæc subnectit de libro Sapientiæ Solomonis & Syracidæ: καὶ αὗται χρήσιμοι μὲν εἰσὶ, καὶ ὠφέλιμοι ἀλλ' εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρονται, διὸ δὲ ἐν τῷ ἀαρὼν ἀνετέθησαν, τοῦτε ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ, hoc est, *Utiles hi libri quidem sunt & commodi, sed in numerum dictorum* (scilicet librorum canonicorum) *non referuntur.* Sequentia vitiosè excusa sunt in editione Hervagiana paginâ quinquagesimâ tricesimâ quartâ, unde hunc locum citavimus: pro, διὸ οὐδὲ ἐν τῷ ἀαρὼν ἀνετέθησαν, οὔτε ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ, hoc est, *quapropter neq; in Aa-*

ron repositi sunt, neq; in fœderis seu Testamenti arca. Id enim requirit manifestissimè contextus: quia præcedit, quòd libri de quibus agit in numerum canonicorum non referantur: Unde sequitur, non fuisse repositos in Aron, id est, in arca seu capsa Ecclesiastica (sic enim Hebræi & Syri appellant) in qua fuerunt omnia canonica scripta Hebraicè. Estq; Aron aliud ab arca fœderis, in qua nihil erat omnino nisi tabulæ Legis. 1. Repum 8. v. 9.

20. ORIGENES catalogum librorum sacrorum texit, quem recitat Eusebius historiæ Ecclesiasticæ Græcæ, excusæ Parisiis Regiis typis à Roberto Stephano, Anno 1544. lib. sexto, capite vigesimoquinto.

Τὸμ μέν τοιγε πρῶτον ἐξηγούμενος ψαλμὸν, ἔχειν πεποίηται τὴ τῶν ἱερῶν γραφῶν τῆς παλαιᾶς διαθήκης καταλόγω, ὥδέ πως γράφων κατὰ λέξιν. Οὐκ ἀγνοητέον δ' εἶναι τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους, ὡς ἑβραῖοι παραδιδόασιν, δύο καὶ εἴκοσιν, ὅσα ὁ ἀριθμὸς τῶν παρ' αὐτοῖς στοιχείων ἐστίν. εἶτα μετά τινα ἐπιφέρει λέγων. εἰσὶ δὲ αἱ εἰκοσιδύο βίβλοι καθ' ἑβραίους αὗται. ἡ παρ' ἡμῖν γένεσις ὀνομαζομένη, παρ' ἑβραίοις ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς βίβλου βρησὶθ, ὅπερ ἔστιν ἐν ἀρχῇ. ἔξοδος, ἔλλε σμὼθ, ὅπερ ἔστι ταῦτα τὰ ὀνόματα. Λευϊτικὸν εἰκρὰ, καὶ ἐκάλεσεν. Ἀριθμοὶ, ἀμμισπαρὶμ, ἢ πικαδὶμ, δευτερονόμιον, ἔλλε ἀδδεβαρίμ. Οὗτοι αἱ λόγοι. Ἰησοῦς υἱὸς ναυῆ. Ἰωσοὺε βὲν νοῦν. κριταὶ, ῥοὺθ, παρ' αὐτοῖς ἓν ἔνι σωφετίμ. βασιλειῶν πρώτη δευτέρα, παρ' αὐτοῖς

αὐτοῖς ἓν σαμυὴλ, θεόκλητος. βασιλειῶν τρίτη τετάρτη, ἓν ἔνι ὀναμμέλεχ Δαυὶδ, ὅπέρ ἐστι, βασιλεία Δαβὶδ. παραλειπομένων πρῶτον δεύτερον, ἓν ἔνι δι-βρὴ ἁϊαμὶν ὅπέρ ἐστι λόγοι ἡμερῶν. ἔσδραι πρῶτος καὶ δεύτερος, ἓν ἔνι ἐζρᾶ, ὅ ἐστι βοηθός. βίβλος ψαλμῶν, σέφερ θιλλίμ. Σολομῶντος παοιμίαι, μισλὼθ. ἐκκλησιαστὴς, κωελὲθ. ἆσμα ἀσμάτων, οὐ γὰρ ὡς ὑπολαμβάνουσί τινες ἄσματα ἀσμάτων, σὶρ ἀσσιρὶμ. ὑσαΐας, ἰεσαΐα. ἱερεμίας συν θρήνοις καὶ τῇ ἐπιστολῇ, ἓν ἔνι ἱρμιά. Δανιὴλ, Δανιήλ. Ἰεζεκιὴλ, Ἰεεζκήλ, Ἰὼβ, Ἰώβ, Ἐσθὴρ, Ἐσθήρ. Ἔξω δὲ τούτων ἐστὶ τὰ μακκαβαϊκὰ, ἅπερ ἐπιγέγραπται σαρβὴθ σαρβανὲ ἔλ. Ταῦτα μὲν οὖν ἐν τῷ προειρημένῳ τίθησι συγγράμματι. hoc est, (omissis Hebraicis nominibus, perperam Græcè adductis plerunque.) Exponens sanè primum Psalmum, designat etiam ipse qui sit canon Veteris Testamenti, hoc modo scribens: Non est ignorandum, inquit, viginti & duos esse libros in canone Veteris Testamenti, sicut Hebręi tradunt, secundùm numerum scilicet elementorum quæ apud ipsos habentur. Et paulò post addit: Hi sunt autem viginti & duo libri: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesu Nave, Judicum, Ruth, Regnorum primus & secundus, unus liber est apud illos, quem nominant Samuel. Item tertius & quartus unus est apud ipsos, quem appellant Regnum David, & Paralipoménon primus & secundus in uno habentur, quem dicunt Sermones dierum. Es-

dras primus & secundus in uno est: Item liber Psalmorum, Salomonis Proverbia; & alius, Ecclesiastes, & tertius ejusdem Canticum canticorum. Sed & duodecim Prophetarum liber unus est, Esaias Propheta, Jeremias cum Threnis & epistolâ, Daniel, Ezechiel, Job, Esther. Machabæorum verò libri extra hos sunt. Hæc igitur volumina in prædicto ponit Syngrammate.

21. GREGORIUS NAZIANZENUS in carminibus.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΓΝΗΣΙΩΝ ΒΙΒΛΙΩΝ
τῆς θεοπνεύστου γραφῆς.

Θείοις ἐν λογίοισιν ἀεὶ γλώσσῃ τε νόῳ τε
Στρωφᾶσθ'. ἢ γὰρ ἔδωκε θεὸς καμάτων τὸ δ' ἄεθλον,
καί τι κρυπτὸν ἰδεῖν ὀλίγον φάος. ἢ τὸ δ' ἄριστον,
Νύττεσθαι καθαροῖο θεοῦ μεγάλῃσιν ἐφετμαῖς.
Ἡ τρίτατον, χθονίων ἀπάγει φρένα ταῖς δὲ μερίμναις.
Ὄφρα δὲ μὴ ξείνῃσι νόον κλέπτοιο βίβλοισι.
Πολλαὶ γὰρ τελέθουσι παρέγγραπτοι κακότητες,
Δέχνυσο τοῦτον ἐμεῖο τὸν ἔγκριτον ὦ φίλ' ἀριθμόν.
Ἱστορικαὶ μὲν ἔασι βίβλοι δυοκαίδεκα πᾶσαι,
Τῆς ἀρχαιοτέρης ἑβραϊκῆς σοφίης
Πρωτίστη, γένεσις: εἶτ' ἔξοδος. Λευιτικόν τε
Ἔπειτ' ἀριθμοί. Εἶτα δ' ἄυτερος νόμος.
Ἔπειτ' Ἰησοῦς, καὶ κριταί, ῥοὺθ, ὀγδόη.
Ἡ δ' ἐννάτη δεκάτη τε βίβλοι, πράξεις βασιλείων,
καὶ παραλειπόμεναι, ἔσχατον Ἔσδραν ἔχεις.
Αἱ δὲ στιχηραὶ πέντε, ὧν πρῶτος γ' Ἰῶβ.

Ἔπειτα

Ἔπειτα Δαυίδ. Εἶτα τρεῖς Σολομώντειαι.
Ἐκκλησιαστὴς, ᾆσμα καὶ παροιμίαι.
Καὶ πένθ' ὁμοίως πνεύματος προφητικοῦ.
Μίαν μέν εἰσιν εἰς γραφὴν οἱ δώδεκα.
Ὠσέε, Καμὼς καὶ Μιχαίας ὁ τρίτος.
Ἔπειτ' Ἰωήλ. Εἶτ' Ἰωνᾶς. Ἀβδίας.
Ναούμ τε, Ἀββακούμ τε, καὶ Σοφονίας.
Ἀγγαῖος, εἶτα Ζαχαρίας, Μαλαχίας.
Μία μὲν οἶδε. Δευτέρα δ' Ἡσαΐας
Ἔπειθ' ὁ κληθεὶς Ἱερεμίας ἐκ βρέφους
Εἶτ' Ἰεζεκιὴλ, καὶ Δανϊήλου χάρις.
Ἀρχαίους μὲν ἔθηκα δύο καὶ εἴκοσι βίβλους,
Τοῖς τῶν ἑβραίων γραμμασιν ἀντιθέτους
Ἤδη δ' ἀριθμεῖ καὶ νέου μυστηρίου.
Ματθαῖος μὲν ἔγραψεν ἑβραίοις θαύματα χριστοῦ.
Μαρκὸς δ' Ἰταλίῃ. Λουκᾶς ἀχαϊάδι.
Πᾶσι δ' Ἰωάννης κήρυξ μέγας, οὐρανοφοίτης.
Ἔπειτα πράξεις τῶν σοφῶν ἀποστόλων.
Δέκα δὲ Παύλου, τέσσαρές τ' ἐπιστολαί.
Ἑπτὰ δὲ καθολικαί. ὧν Ἰακώβου μία,
Δύω δὲ Πέτρου, τρεῖς δ' Ἰωάννου πάλιν.
Ἰούδα δ' ὄστιν ἑβδόμη. πάσας ἔχεις.
Εἴτι δὲ τούτων ἐκτὸς, οὐκ ἐν γνησίαις.

ID EST,

DE LEGITIMIS LIBRIS DIVINITUS INSPIRATAE SCRIPTURAE.

Divinis in oraculis semper, linguâq; menteq;

Volutamini: vel enim dedit Deus laborũ hoc certamẽ,
Et aliquod videre cælatum lumen: vel hoc optimum
Pungi puri Dei magnis præceptis:
Aut tertium, terrestrium abducit mentem his curis.
Ut autem non externis mentem surripiare libris,
Multæ enim exsistunt interscriptæ malitiæ,
Suscipe hunc mei adjudicatum, ô amice, numerum.
Historici quidem sunt libri duodecim omnes,
Antiquioris Hebraicæ sapientiæ.
Primus Geneseos, deinde Exodus, Leviticumq́,
Deinde Numeri, deinde secunda lex.
Deinde Iesus & Judices, Ruth octavus.
At nonus decimusq́ liber, Gesta Regum,
Et prætermissa, ultimum Esdran habes.
At carmine quinq́, quorum primum quidem Job,
Deinde David, deinde tres Solomonis,
Ecclesiastes, Cantus & Proverbia.
Et quinq́ simpliciter spiritus Prophetici.
Unam quidem sunt in scripturam, duodecim:
Oseæ, Amos, & Micheas tertius,
Deinde Ioel, deinde Jonas, Abdias,
Naumq́, Abacucq́ & Sophonias,
Aggæus, deinde Zacharias, Malachias,
Unus quidem hi, secundus autem Jesaias,
Deinde vocatus Jeremias ab infanti,
Deinde Ezechiel & Danielis gratia.
Antiquos quidem posui, duos & viginti libros
Hebræorum scripturis oppositos.
Jam verò enumero & novi mysterii.
Matthæus quidem scripsit Hebræis miracula Christi,
Marcus autem Italiæ, Lucas Achaidi,

Omnibus

Omnibus autem Johannes præco magnus cælivagus,
Deinde gesta sapientum Apostolorum.
Decem autem Pauli quatuorq; epistolæ.
Septem autem catholicæ, quarum Jacobi una,
Duæ autem Petri, tres autem Johannis rursus,
Judæ autem est septima: omnes habes.
Si quid autem hæc extra sit, non inter legitimas.

Eosdem libros Veteris & Novi Testamenti verè divinitus inspiratos enumerat in libro Cygneorum carminum, in poëmate Jambico ad Seleucum, de recta educatione: omissis illis quos inter Apocryphos recensemus.

22. JOHANNES DAMASCENUS ORTHODOXAE fidei libro quarto, capite decimo octavo: editionis HenricPetrinæ, Anni 1559. pag. trecentes. quadrages. octavâ.

Ἰστέον δὲ ὡς εἴκοσι καὶ δύο βίβλοι εἰσὶ τῆς παλαιᾶς διαθήκης κατὰ τὰ στοιχεῖα τῆς ἑβραΐδος φωνῆς. εἰκοσιδύο γὰρ στοιχεῖα ἔχουσιν, ἐξ ὧν πέντε διπλοῦνται, ὡς γίνεσθαι αὐτὰ εἴκοσι ἑπτά. Διπλοῦν γὰρ ἐστὶ τὸ Χὰφ, καὶ τὸ Μὲμ, καὶ τὸ Νοῦν, καὶ τὸ Πὲ, καὶ τὸ Σαδί: διὸ καὶ αἱ βίβλοι κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον εἰκοσιδύο μὲν ἀριθμοῦνται, εἴκοσι ἑπτὰ δὲ εὑρίσκονται, διὰ τὸ πέντε ἐξ αὐτῶν διπλοῦσθαι. Συνάπτεται γὰρ ἡ Ῥοὺθ τοῖς Κριταῖς, καὶ ἀριθμεῖται παρ' Ἑβραίοις μία βίβλος. ἡ πρώτη καὶ ἡ δευτέρα τῶν Βασιλειῶν, μία βίβλος. ἡ τρίτη καὶ ἡ τετάρτη τῶν Βασιλειῶν μία βίβλος. ἡ πρώτη καὶ ἡ δευτέρα τῶν Παραλειπομένων μία βίβλος. ἡ πρώτη καὶ ἡ δευτέρα τοῦ Ἐσδρὰ, μία βίβλος. οὕτως οὖν σύγκεινται αἱ βίβλοι, ἐν πεντατεύχοις τέταρσι. καὶ μέ-

νουσιν ἄλλαι δύο, ὡς εἶη τὰς ἐνδιαθέτους βίβλους, οὕτως. πέντε νομικὰς, Γένεσιν, Ἔξοδον, Λευιτικὸν, Ἀριθμοὺς, Δευτερονόμιον. Αὕτη πρώτη πεντάτευχος, καὶ ἡ νομοθεσία. Εἶτα ἄλλη πεντάτευχος, τὰ καλούμενα γραφεῖα, παρά τισι δὲ ἁγιόγραφα. ἅτινά ἐστιν οὕτως. Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυῆ, Κριταὶ, μετὰ τῆς Ῥοὺθ. Βασιλειῶν πρώτη μετὰ τῆς δευτέρας, βίβλος μία. ἡ τρίτη μετὰ τῆς τετάρτης, βίβλος μία. καὶ αἱ δύο τῶν Παραλειπομένων, βίβλος μία. αὕτη δευτέρα πεντάτευχος. τρίτη πεντάτευχος, αἱ στιχήρεις βίβλοι τοῦ Ἰὼβ, τὸ Ψαλτήριον, Παροιμίαι Σολομῶντος, Ἐκκλησιαστὴς τοῦ αὐτοῦ, τὰ ἄσματα τῶν ἀσμάτων τοῦ αὐτοῦ. τετάρτη πεντάτευχος ἡ προφητική. τὸ δοδεκαπρόφητον βίβλος μία, Ἡσαΐας, Ἱερεμίας, Ἰεζεκιὴλ, Δανιὴλ. Εἶτα τοῦ Ἐσδρὰ αἱ δύο, εἰς μίαν συναπτόμεναι βίβλον, καὶ ἡ Ἐσθήρ. ἡ δὲ Πανάρετος, τουτέστιν ἡ σοφία τοῦ Σολομῶντος, καὶ ἡ σοφία τοῦ Ἰησοῦ, ἣν ὁ πατὴρ μὲν ὁ Σιρὰχ ἐξέθετο ἑβραΐστὶ, ἑλληνιστὶ δὲ ἡρμήνευσεν ὁ τούτου μὲν ἔγγονος Ἰησοῦς, τοῦ δὲ Σιρὰχ υἱὸς, ἐνάρετοι μὲν καὶ καλαὶ, ἀλλ' οὐκ ἀριθμοῦνται, οὐ δὲ ἔκειντο ἐν τῇ κιβωτῷ. τῆς δὲ νέας διαθήκης εὐαγγελία τέσσαρα, τὸ κατὰ Ματθαῖον, τὸ κατὰ Μάρκον, τὸ κατὰ Λουκᾶν, τὸ κατὰ Ἰωάννην. Πράξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διὰ Λουκᾶ τοῦ εὐαγγελιστοῦ. Καθολικαὶ ἐπιστολαὶ ἑπτὰ, Ἰακὼβ μία, Πέτρου δύο, Ἰωάννου τρεῖς, Ἰούδα μία. Παύλου Ἀποστόλου ἐπιστολαὶ δεκατέσσαρες. Ἀποκάλυψις Ἰωάννου εὐαγγελιστοῦ: κανόνες τῶν ἁγίων ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος.

Hoc est.

Et scire operæprecium est, quòd duo & viginti sunt

sunt libri veteris Testamenti, secundùm elementa Hebraicæ vocis: duo enim & viginti habent elementa. Ex quibus quinq; duplantur, ut ipsa fiant septem supra viginti. Nam duplex est CAPH, & Mem, & Nun, & Pe, & Tzade. Et ideo libri qui secundùm hunc modum duo & viginti numerantur, septē & viginti comperiuntur, propterea quòd quinque ex ipsis duplantur. Connectitur enim Ruth Judicibus, & numeratur apud Hebræos unus liber. Primus autem & secundus Regnorum unus liber: & tertius & quartus, unus liber. Primus & secundus Paralipoménon, unus liber. Primus & secundus Esdræ, unus liber. Sic igitur continentur libri in quatuor pentateuchis, id est, quinariis voluminum, & supersunt alii duo: ut sint dispositi libri hoc pacto. Quinque legales: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: prima pentateuchus, quæ & legis positio. Deinde alia pentateuchus, quæ & scripturæ & hagiographa, id est, sanctorum scripta dicuntur; quæ sunt hoc modo: Jesus Nave, Judices cum Ruth, Regnorum primus & secundus, liber unus; & tertius & quartus, liber unus; & duo Paralipoménon, liber unus: hæc secunda pentateuchus. Tertia pentateuchus versu facti libri, Job, Psalterium, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes ejus, & Cantica Canticorum. Quarta pentateuchus prophetica; 12. Prophetarum liber unus, Esaias, Hieremias, Ezechiel, & Daniel. Deinde Esdræ duo in unum connectuntur librum, & Esther. Qui autem omnium virtutum doctrinâ referti sunt, id est, Sapientia Salomonis, & Sapientia Jesu, quam pater Syrach composuit Hebraicè, Græcè interpreta-

tus est nepos Iesu, & filius Syrach; studiosi quidem hi libri, pulchriq; & honesti, sed non numerantur in propheticis libris, neq; ponebantur in arca: Novi verò Testamenti sunt Euangelia quatuor; secundùm Matthæum, secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Iohannem: Actus Apostolorum Lucæ Euangelistæ. Catholicæ epistolæ septem, Iacobi una, Petri duæ, Iohannis tres, & Judæ una. Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim. Apocalypsis Iohannis Euangelistæ. Canones sanctorum Apostolorum per Clementem.

NICOLAUS LYRANUS in Glossa sua ait: *Postquam auxiliante Deo scripsi super libros Sacræ Scripturæ Canonicos, incipiendo à principio Geneseos & procedendo usq; ad finem Apocalypseos; ejusdem confisus auxilio, super alios intendo scribere, qui non sunt de Canone, scilicet liber Sapientiæ, Ecclesiasticus, Iudith, Tobias, libri Machabæorum, &c.*

23. HUGO DE S. CHARO, Cardinalis, in prologo postillæ supra librum Iosuæ.

Nota versus de omnibus libris veteris Testamenti.

Quinq; libros Moysi: Iosuæ, Iudicum, Samuelis:
Et Malachim: tres præcipuos: bis sexq; Prophetas:
Hebræus reliquis censet præcellere libris.
Quinq; vocat legem: reliquos vult esse Prophetas.
Post hagiographa sunt, Daniel, David, Hester, & Esdras,
Iob, Paralipoménon, & tres libri Salomonis.
Lex vetus his libris, perfectè tota tenetur.
Restant Apocrypha: Iesus, Sapientia, Pastor.

Et Mac

Et Machabæorum libri, Judith, atque Tobias.
Hi quia sunt dubii sub canone non numerantur.
Sed quia vera canunt Ecclesia suscipit illos.

24. Porrò huic distinctioni librorum canonicorum, à non canonicis, licet à quibusdam appellatis impropriè & æquivocè canonicis, sacris, & divinis; sophisticè opponitur à Papistis canon quadragesimus septimus Concilii Carthaginensis tertii, in quo Tobias, Judith, Machabæorum libri duo, Sapientia Salomonis, & Ecclesiasticus inter canonicas scripturas referuntur. Nam canon iste quadrag. sept. est adulterinus, quia cõscriptus eo tempore quo Bonifacius Roman. Episcopus fuit, ut ex sequentibus verbis liquet: at hoc Concilium celebratum est circa tempora Siricii Papæ, ut titulus habet, & canon 48. Quapropter vi veritatis victus Laurentius Surius, Monachus Carthusianus, qui tomos Conciliorum digessit & edidit, canoni huic quadragesimo septimo notam istam apponit: *Licet istud capitulum 47. in præsenti exemplari, tanquam aliquod hujus concilii capitulum habeatur, in aliis tamen certis conciliorum libris, dicitur esse septimi Carthaginensis Concilii, XXIV. capitulum; celebratum post consulatum Honorii duodecimum, & Theodosii octavum, quorum annus currit sub Bonifacio Papa.* Ex hac confessione Surii, & actis concilii Carthaginensis tertii liquet, canonem hunc Carthaginensi tertio falsò adscribi. Et tamen non pudet Papistas hoc tempore, canonem mentitum &

supposititicium ad probandum allegare. Tum etiamsi daretur, hunc canonem esse Carthaginensis tertii genuinum : tamen non esset idoneus ad probandum. Quia si libri illi de quibus ambigitur, tempore Apostolorum nō fuerunt canonici, non potuerunt à concilio sive Laodiceno, sive Carthaginensi, sive Trullano, sive Tridentino canonici reddi. Libros enim non canonicos, Ecclesia non potest facere canonicos : quia quam ipsamet non habet autoritatem canonicam & divinam, aliis dare non potest. Cæterùm de singulis libris Apocryphis distinctè agamus.

25. *De adjectionibus ad librum Estheræ.*

Septem capita quæ in Vulgata editione Bibliorum libro Estherę adduntur, supra ea quę sunt in Hebræo, non sunt verè divina & canonica, sed adulterina atque aliena.

RATIONES.

I. Quia non sunt in canone verè divino.

II. Quia non cohærent, non aptè connexa sunt, addititia illa capita cum iis quæ sunt in Hebræo.

III. Quia pugnant capita illa addititia cū aliis partibus hujus libri, totumque librum suspectum reddunt : ut inductio locorum pugnantium ostendit. *Primò* dicitur cap. 11. vers. 2. Mardochæus anno secundo Artaxerxis fuisse vir magnus, & administer in aula regis : in Hebræo nihil de Artaxerxe, nihil de Mardochæi dignitate ; nam latebat obscurus, cùm

Esther

Esther pupilla abducta est. *Secundò* cap. 11. 3. dicitur, Mardochæum fuisse de numero captivorum, quos Nabuchodonosor cum Jechonia deportavit. Hoc non dicitur in canone: nō enim Mardochæus ipse, sed Kis abavus ipsius Jechoniæ tempore fuit deportatus. Esther 2. vers. 5. *Tertiò*: In adjectionibus istis maritus Estheræ dicitur fuisse Artaxerxes nempe Longimanus: at historia Hebrea dicit fuisse Assuerum, id est, Xerxem. *Quartò*, Hamanem fuisse Agagæum in vera historia legitur; erant autem Agagæi genere Amalechitæ: at illæ Apocryphæ accessiones vocant eundem Macedonem. Papani nos verò doceant, quemadmodum qui Agagæus est, Macedo esse possit? *Quintò*, cap. 12. vers. 5. dicitur, Regem dedisse Mardochæo ad ministerium aulicum evecto, ante Hamanis maleficia, donaria ob detectam conjurationem Bigthanis & Tereschi: at cap. 6. vers. 3. dicitur, non fuisse ei collatum quicquam usque ad eum diem quo suspensus est Haman. *Sextò*, cap. 15. narratur, Regem vehemente ira intuitum esse Estheram, eamque deliquium animi passam: at contrarium dicitur cap. 5. vers 2. nempe Estheram visam à Rege obtinuisse gratiam in oculis ejus. *Septimò*, caput decimum sextum continet literas Regis Artaxerxis, argumento plurimùm discedentes ab illis literis, quarum summam recitat vera historia cap. 8. vers. 11. & sequentibus: & à rescriptorum Persicorum forma dissidentes,

quæ reſcripta nunquam mutari licuiſſe, libri Danielis & Ezdræ, quin etiam ipſius Eſtheræ, aliquot locis evincunt. Quapropter Hieronymus monuit in Præfatione in librum Eſtheræ, quòd *eum editio vulgata, lacinoſis hinc inde verborum ſimbus trahat, addens ea quæ ex tempore dici poterant & audiri: ſicut ſolitum eſt ſcholaribus diſciplinis, ſumto themate, excogitare, quibus verbis uti potuit, qui injuriam paſſus eſt, vel qui injuriam fecit.*

26. *De libro Baruchi.*

Liber Baruchi non eſt verè canonicus.

RATIONES.

I. Quia non invenitur in Hebræis codicibus.

II. Quia & ab Hieronymo, quia nullam eſſe Jeremiæ partem putavit, ſine omni controverſia prætermiſſus eſt. Sic enim ille in præfatione in Jeremiam apertè ſcribit: *Librum autem Baruch notarii ejus, qui apud Hebræos nec legitur, nec habetur, prætermiſimus: pro his omnibus maledicta ab æmulis præſtolantes.*

III. Quia de tempore captivitatis Babylonicæ aliter loquitur, quàm Scriptura canonica. Ait enim cap. 6. verſ. 2. in epiſtola quam Jeremiæ adſcribit: Judæos manſuros in Babylonia uſque ad generationes ſeptem. Atqui vocabulum generationis pro decade annorum vel duobus luſtris in toto Veteri Teſtamento nuſquam accipitur; imò nec in novo.

IV. Quia apparet ex phraſi ſtatim initio Græcè

Græcè scriptum hunc librum. At si vel Baruchi, vel Jeremiæ esset, non fuisset ab illis Græcè scriptus, quia tum Græca lingua adhuc penitus ignota Judæis erat, nec Græcæ linguæ tum temporis in Babylonia usus erat.

V. Quia etiam ab Augustino in enumeratione librorum sacrorũ est prætermissus, imò & à Damasceno; quin etiam ab Innocentio primo Roman. Pontifice, epistolâ ad Exuperium, quæ exstat tomo primo Conciliorum; imò & à Concilio Carthaginẽsi, canone quadragesimo septimo.

27. *De adjectionibus ad Danielem.*

Adjectiones Theodotianæ ad Danielem non sunt verè Canonicæ.

RATIONES.

I. Quia illarum nullam esse autoritatem Hieronymus ipse testatur, præfatione & commentariis in Danielem: idem Hieronymus vocat fabulas historiam Susannæ & Draconis.

II. Quia continent res ab historica fide alienas: nempe Judęos Babylone habuisse conventus juridicos apud Joachimum, elegisse item annuos magistratus qui populum gubernarent, penes eos fuisse jurisdictionem meri imperii, hoc est, cognitionem dictionemque juris capitalem, etiam puerum qui magistratus gerendi legitimam potestatem nunquam acceperat, revocasse populum in judicium, novamque instituisse cognitionem

criminis, examen per eum factum, denique plus ab eo, & libertate majore procuratum in civitate regia Babyloniorum, quàm apud Judæos unquam in repub. & regione sua licuerit genti ipsorum: Talia certè non concedunturvictis, apud victores captivis & exsulantibus.

III. Quia continent pugnantia, cum verè canonicis capitibus Danielis: nam Daniel cap. 13. dicitur fuisse puer sub initium regni Cyri, cùm tamen abductus fuerit in captivitatem cum Jehojakimo, ut est cap. 1. Et Ezechiel eum, ut se seniorem, videtur conjungere cum Noacho & Jobo. Eodem cap. 13 narratur Danielis nomen innotuisse ex falsorũ testium qui Susannam accusaverant, convictione: at è cap. 1. & sequentibus constat longè alia ratione illud innotuisse. Quæ cap. 14 dicuntur de Daniele, misso in lacum leonum, pugnãt cum iis, quæ dicuntur cap. 6.

IV. Quia stylus ipse indicat historiam Susannæ à Græculo quodam confictam: nam utitur paronomasiis & allusionibus verborum χίνω & χίζειν: πρίνω & πρίζειν: cujusmodi allusio non potuit fieri à Daniele; siquidem Hebraicâ usus est linguâ, quæ allusiones illas, in nominibus arborum istarum non habet.

V. Quia ipsi LXX. interpretes fideliùs aentes, quàm Theodotio in hoc argumento, scripserunt non Danielis Prophetæ esse, qui it de tribu Judæ, sed Danielis alterius, filii

Habdæ

Habdæ sacerdotis historiam esse, scriptam ab Habacuc filio Jesu, de tribu Levi, prout Eusebius & Apollinarius apud Hieronymum præfatione in commentarium Danielis referunt. Tum agnoscunt omnes, non esse de Hebræo canone, qui solus verè divinus est: postremò ne ipse quidem Theodotio affirmat eas adjectiones divinitus canonicas scripturas esse. *Augustinus* tomo tertio, libro secundo de Mirabilibus Sacræ Scripturæ, cap. trigesimo secundo ait: *De lacu verò iterum & Abacuc translato, in Belis & Draconis fabula idcirco in hoc ordine non ponitur, quòd in autoritate divinæ Scripturæ non habetur.* Ante ipsum *Hieronymus* præfatione in Danielem sic scripsit: *Daniel apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis Draconisq; fabulas: quas nos, quia in toto orbe dispersæ sunt, veru antepositò, easq; jugulante subjecimus, &c.*

28. *De libro Tobiæ.*

Liber Tobiæ non est propriè divinus & canonicus.

RATIONES.

I. Quia secum ipse pugnat: nam cap. 3. dicitur Sara habitasse in Rages civitate Medorum; at cap. 9. dicitur Tobias junior cùm perveniisset ad locum illum in quo Sara habitabat, misisse Angelum ad Gabelem in Rages.

II. Quia continet res Scripturis verè canonicis non conformes, & superstitionem Judaicam redolentes: veluti quòd Raphael suf-

fimento cordis & hepatis expiſce ſumti docet dæmones fugari cap. 6. verſ. 9. At Paulus univerſam hominis Chriſtiani πανοπλίαν deſcribens Epheſ. 6. verſ. 11. & ſeq. nullos tales ſuffitus fieri jubet: nec ullus alius prophetarum & Apoſtolorum.

III. Quia continet res cũ Scripturis propriè Canonicis pugnantes: veluti, quòd Raphaelem Angelum mentientem introducit; nam iſte Raphael ſe eſſe Hazariam & filium Hananiæ mentitur cap. 5. verſ. 15. quod boni Angeli nunquam faciunt. Item hierarchiam ſeptem Angelorum ſtatuit cap. 12. verſ. 15. & enunciat, qualia Paulus doctor Gentium conſtitutus, quamvis in tertium cælum raptus eſſet, noluit proferre. 2. Corinth. 12. verſ. 2. Præterea cap. 12. verſic. 15. arrogat ſibi & aliis ſex creatis Angelis quòd referant preces ſanctorum, quod officium ſolius Chriſti eſt: aut certè Magicum eſt & Thalmudicum profectum à Judæis, qui diem Solis Raphaëli, diem Lunę Gabrieli, diem Martis Sammaëli, diem Mercurii Michaëli, diem Jovis Tzidkieli, diem Veneris Hanaëli, diem Sabbathi Kepharjeli tribuunt, atque totius gubernationis divinæ adminiſtros primos conſtituunt.

IV. Quia narratio de Sara filia Reguelis, ſpoliata ſeptem viris ab Aſchmadæo dæmonio, eſt ex portentoſis Judęorum fabulis profecta, qui Aſchmadai Syra voce appellãt principem dęmoniorum, quo nomine in Scripturis

ris Canonicis nusquam vocatur.

5. Nulla ejus fit mentio in canonibus qui Apostolici dicuntur, in quibus canone octogesimo quarto libri sacri enumerantur.

29. *De libro Judithæ.*

Liber Judithæ non est univocè divinus & canonicus.

RATIONES.

I. Quia continet historiam, quæ omnino ficta videtur, quum pugnet cum veritate historiæ. Nam cap. 5. dicitur contigisse post reversionem populi à Babylonica captivitate, & æquatum solo templum Jerosolymitanum, quod in textu Græco additur, & tamen dicitur cap. 1. eo tempore Nabuchodonosor Rex Assyriorum pugnasse contra Arphaxadum Regem Medorum, qui ædificaverat Ecbatana: quæ nullo modo cohærent. Nam quo tempore populus Judaicus rediit à captivitate, eversa erat Monarchia Assyriorum: & nō Nabuchodonosor, sed Cyrus ac Darius Assyriis, Persis, & Medis imperabat.

II. Quia esse concinnatum à Judæo quodam superstitionum amatore apparet, ex cap. 8. vers. 6. ubi dicitur, Juditham *jejunasse omnibus diebus viduitatis suæ, præterquam pridie sabbathorum & sabbathis, & pridie noviluniorum & festis, hilariúsq; domus Israëlis.* Nam sancti quidem erant sabbathorum dies, & neomeniæ solennitatesq; hilares ex Lege; sed proximè antecedentes dies cum illis feriari Judaicum est:

quemadmodum Judæi etiamnum pridie dierum festorum toto tempore pomeridiano feriantur, tanquam si Deus hoc nomine in ære ipsorum futurus esset. Fr. Jun.

III. Quia pugnat cum libris verè canonicis: nam cap. 9. v. 2, 3. à Juditha factum Simeonis, qui adjutore fratre Levi Sichemitas fraude trucidavit, & civitatem eorum deprædatus est, ut commemoratur Genes. 34. amplissimis laudibus effertur, quod à Spiritu Sancto damnatur, Genes. 34. v. 30. & apertiùs cap. 49. vers. 5.

IV. Quia approbat impietatē Deo exosam: nam c. 9. v. 12, 13, 18. petit Juditha mendaciis à Deo benedici, & ad ea se comparat, tāquam si mendacia officiosa (ut Augustinus vocat) accepta essent Domino: &, cap. 10. 11, 12. commemorantur complura Judithæ mendacia.

V. Quia vocibus ex fabulis Gentilium petitis utitur, cap. 16. v. 8. nempe Titanum & Gigantum, quales non solet Spiritus S. in libris authenticis adhibere.

VI. Quia nulla fit libri hujus mentio ne quidem in canonibus Apostolicis.

30. *De libro Sapientiæ Solomonis.*

Liber Sapientię Solomonis inscriptus, non est verè divinus & canonicus.

RATIONES.

I. Quia est ψευδεπίγραφος, ut Hieronymus testatur, præfatione in librum Solomonis: *Fertur & panaretos Jesu Syrach liber, & alius* ψευδεπί-

Πανάρετος, *qui Sapientia Solomonis inscribitur.* Johannes Driedo Papista de dog. Eccles. lib. 1. Philoni Judæo adscribit: sententiam Driedonis probat Jacobus Pamelius Papista Annotat. ad librum Cypriani de Mortalitate.

II. Quia non est traditus à Deo Ecclesiæ Israëliticæ, quæ fidissima fuit libraria & custos Scripturarum divinarum.

III. Quia à veteri Ecclesia non est agnitus pro canonico: ut patet ex Synopsi Sacræ Scripturæ Athanasiana, ex canone 59. Concilii Laodiceni, ex Augustini libro de Prædestinatione Sanctorum, cap. dec. quarto, ubi refert, testimonium è libro Sapientiæ positum, fratres respuisse, *tanquam non de libro Canonico adhibitum*: nec Augustinus ibi asserit librum esse Canonicum, etsi eum omnibus tractatoribus anteponendum censet: item ex Damasceni libro 4. de orthodoxa fide, capite decimooctavo.

31. *De libro Ecclesiastici seu Jesu Syrach.*

Liber Ecclesiasticus non est univocè divinus & canonicus.

RATIONES.

I. Quia continet manifestos errores, pugnantes cum libris verè divinis & canonicis. Nam cap. 46. v. ult. ait: Samuelem (nempe verum) post mortem prophetasse. At Deus non vult mortuos consuli, aut à mortuis disci veritatem, ut patet ex Deuteron. 18. 11. Jes. 8. v. 19. Luc. 16. v. 30. Tum si statueretur animas

defunctorum redire; multi inde errores orirentur: dæmones enim formas humanas induere possent, & dicere à mortuis se resurrexisse, & proinde multa falsa dogmata spargere, idq; ad seducendum & perdendum homines, ut in simili propè argumento pronunciat Athanasius, Quæst. undec. Adhæc nullius sancti nedum Prophetę anima artibus diabolicis potest revocari: ut de hoc ipso Samuele agens docet Tertullianus lib. de anima cap. quinquages. sept. Augustinus etiam, quamvis dissimulato Ecclesiastici nomine hunc locum refellit, Quæstion. ex veteri Test. cap. vigesi. sept. Hic igitur error non est ferendus.

Cap. 48. v. 10. dicit ipsummet Eliam Thesbitem iterum venturum suo tempore, ad sedandum iratum judicium Domini furore cõjunctum, ut convertat cor patris ad filium, & constituat tribus Iacobi. Atqui hoc satis arguit insciti am autoris libri, cæcutientis in promissionibus de regno Christi. Nos enim testimonio Christi Servatoris nostri scimus, alterum Eliam, qui venturus erat, Iohannem Baptistam esse.

II. Quia nec à veteri Ecclesia agnitus fuit pro canonico. Sic enim ait Hieronymus in prologo Galeato: *Ut scire valeamus, quicquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Jesu filii Syrach liber, & Judith, & Tobias, & Pastor non sunt in canone.* Nulla etiam fit ejus mentio in canonibus Apostolicis. III. Quia

III. Quia libri autor petit veniam haberi sibi in illis in quibus videtur sapientiæ imaginem sequens deficere in verborum compositione: at verò divinorum & canonicorum librorum autores tali petitione opus non habent, quia Spiritus S. per illos loquens, nec veniâ opus habet, nec imaginem sapientiæ sequitur, nec deficit in verborũ compositione.

IV. Quia liber est humano judicio, humanoq; labore & multis vigiliis congestus, ut fatetur autor ipse, cùm ait: *Bonum & necessarium putavi & ipse addere aliquam diligentiam & laborem interpretandi librum istum, & multa vigiliâ abstuli doctrinam in spacio temporis, ad illa quæ ad finem ducunt:* At libri verè divini & canonici, nec humano judicio scripti sunt, nec humano labore & multis vigiliis collecti, sed immediatè à Spiritu S. inspirati.

V. Quia libri autor fatetur se magna ex parte interpretem seu translatorem agere, qui ex Hebræa lingua in Græcam convertat: At libri verè divini & canonici, à Spiritu S. immediatè inspirati sunt, ita ut habentur, Hebræi Hebraicè, Græci Græcè, non ex aliis linguis demum translati.

32. *Liber Ecclesiastici non est Solomonis.*

RATIO.

Quia est Iesu Syracidæ, ut testatur autoris prologus, qui in Bibliis Sixti V. jussu editis pro verè divino & canonico habetur: cum quo prologo quomodo Bellarminus suam

sententiam conciliare possit, viderit. Esse librum Syracidæ testatur etiam Epiphanius in hæresi Anomæorum, ut allegat ipsemet Bellarminus.

33. *De libris Machabæorum.*

Libri Machabæorum non sunt verè divini & canonici.

RATIONES.

I. Quia libri secundi autor laudat præpositerum zelum & superstitiosum factum Iudæ Machabæi, qui pro mortuis & quidem sacrilegio obligatis & anathemate pollutis, sacrificium offerri jussit. 2 Machabæor. 12.

II. Quia ejusdem libri autor, petit capite ultimo, veniam, si exiliter & tenuiter scripsit: 2. Mach. 15. v. 39. At libri verè divini non sunt exiliter & tenuiter scripti, nec tali deprecatione opus habent.

III. Quia liber secundus partim centonem habet ex variis scriptis consarcinatum, partim epitomen scriptoris de veritate incerti, sicut fatetur se ex quinq; Iasonis Cyrenæi voluminibus librum totum magno labore, sudore & vigiliis contexuisse: At libri verè divini & canonici non sunt à Spiritu S. ex profano aliquo scriptore contracti: Spiritus S. non agit epitomarium ex libris Ethnicorum.

IV. Quia libro secundo non convenit cum verè divinis & canonicis. Nam cap. 1. dicitur Judæos in Persidem abductos: & certũ est ex libris verè canonicis non in Persidem, sed in Babylo-

Babyloniam abductos. Capite secundo recitatur Jeremiam abscondisse tabernaculum, & arcam federis in quadam spelunca mõtis Nebo, & dixisse locum illum fore occultum, donec Deus iterũ congregaret populum suum: at hæc non consentiunt cum cap. 52. Jeremiæ. Capite decimo quarto commendatur factum Rezaiæ, qui seipsum occidit, quòd fecerit generosè, & viriliter: At hoc pugnat cum decalogi præcepto, Non occides, nimirùm, nec te ipsum, nec alium.

V. Quia Liber Machab. secundus pugnat cum primo libro Machab. Capite 4. Iudas legitur purgasse templum, anno CXLVIII. id est, uno anno ante obitum Antiochi, qui obiit anno CXLIX. ut dicitur 1. Mach. cap. 6. At id repugnat libro secundo cap. 10. ubi habetur Judam purgasse templum biennio post mortem Antiochi. Præterea lib. 1. cap. 6. dicitur, Antiochus Illustris mortuus in Babylonia in lecto suo, præ dolore animi, quia non successerint ei negotia sicut optaverat: At lib. 2. cap. 1. dicitur obrutus lapidibus ac divisus in membra in templo Nanneæ; Et rursum li. 2. cap. 9. dicitur mortuus tum dolore interno viscerum, tum quia de curru in itinere ceciderit. Monstrum fuisse oportet cui tam multæ mortes vix eripere vitam potuerunt. Denique libro primo cap. 9. Judas dicitur occisus à Bacchidis exercitu, anno cẽtesimo quinquagesimo tertio: at libro 2. cap. 1. dicitur scri-

pſiſſe epiſtolá anno cẽteſimo octogeſ. octavo, quod ſi eſſet verũ, anno trigeſ. ſexto poſt mortem ſuam eá ſcripſiſſet. Iſtę ſecundi & primi libri antilogiæ tam certæ ſunt & manifeſtæ, ut nulla poſſint probabili defenſione conciliari. Hæc igitur omnia, cùm tam malè inter ſe cohæreant, manifeſta indicia falſitatis præbent.

VI. Quia liber ſecundus ſecum ipſe pugnat: velut cap. 1. v. 13. & ſeq. pugnat cum capite 9. verſ. 1. Item de morte Antiochi Epiphanis.

VII. Quia manifeſtas fabulas continet: quales ſunt quæ recitantur capite 1. in fabuloſa epiſtola, quâ commemorantur miracula fictitia.

VIII. Quia vetus Eccleſia libros Machabæorum nominatim è numero verè & univocè canonicorum excluſit: ut oſtendunt teſtimonia Hieronymi & Epiphanii ſuprà recitata. Quibus & hæc addantur. AUGUSTINUS libro decimo octavo de civitate DEI, cap. trigeſ. ſexto ſic ſcribit: *Quorum ſupputatio temporum non in Scripturis Sanctis, quæ Canonicæ appellantur; ſed in aliis invenitur, in quibus ſunt & Machabæorum libri; quos non Iudæi, ſed Eccleſia, pro canonicis habet, propter quorundam martyrum paſſiones vehementes atq; mirabiles.* Ita primùm hos libros Sanctas & Canonicas Scripturas eſſe negat: tum pro canonicis haberi ab Eccleſia ſcribit propter exempla quorundam martyrum. Idem Auguſtinus contra Gaudentium libro ſecundo,

secundo, cap. vigesimo tertio ait: *Machabæorum scriptura recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur, maximè propter illos Machabæos.* Siccine Augustino loquendum fuit, si hos libros verè & propriè canonicos esse existimavit, *Non inutiliter receptos esse si sobriè legantur & audiantur* (non propter se, aut divinam autoritatem, sed) *propter illos Machabæos?* GREGORIUS ille MAGNUS, qui ducentis post Augustinum annis vixit, & Pontifex Romanus fuit, ipse suis verbis libros Machabæorum non esse Canonicos, apertè declaravit. Sic enim clarè & disertè scribit lib. 19. in Iobum, cap. 16. *De qua re non inordinatè agimus, si ex libris licet non Canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis, testimonium proferamus:* tum ex secundo Machabæorum Eleazari mortem narrat. Sic Bellarminus & alii Jesuitæ à Pontifice Romano dissentiunt.

IX. Quia libri Machabæorum à Prophetis nec scripti nec approbati sunt. Nam antè quàm hi libri scripti sunt, multis annis Judæi nullum Prophetam habuerunt.

X. Quoniam autorem librorum istorum in quodam vaticinio Danielis falsum esse Cajetanus Cardinalis affirmare non dubitavit in cap. 24. Matt. Spiritus autem sanctus nunquam falli solet in Scriptura interpretanda.

DE PATRIBUS EORUM'QUE SCRIPTIS.

COROLLAR. I.

EX Patrum, qui post Apostolos & Euangelistas in Ecclesia vixerunt, veluti Justini Martyris, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini & cæterorum scriptis, dogmata religionis Christianæ non exstruimus, nec ex iis tanquam ex principio, religionis dogmata confirmanda censemus: quia sacræ literæ possunt sapientem reddere hominem Dei ad salutem quæ est per fidem in Christum Jesum: eædemque utiles sunt ad doctrinam, redargutionem, correctionem & institutionem in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus, ut Paulus testatur 2. Timoth. 3. vers. 14, 15, 16.

II. Citamus verò illa, maximè cùm controversa capita religionis adversus Papistas tractamus, non nostrâ causâ; sufficiunt enim nobis divinitus inspiratæ Scripturæ ad omnem instructionem veritatis: sed propter Papistas: idque ad hos fines: ut nimirum si nostram sententiam ex nostris verbis non capiunt, capiant & intelligant ex Patrum verbis: deinde ut ostendamus, nos à Patribus & orthodoxæ veteris Ecclesiæ consensu non discessisse, ut nos falsò accusant Papani; sed eandem

eandem doctrinam ex Scriptura Sacra nos tueri, quam Patres ex eadem tradiderunt: tertiò, ut Papistæ refutentur per Patres, quos ipsi sibi judices constituerunt; quemadmodum olim Patres, Justinus martyr, Athenagoras, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Theodoretus de curatione Græcarũ affectionum, Ambrosius, Augustinus, & alii refutarũt Ethnicos adhibitis testimoniis Sybillarum, Poëtarum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum gentilium, non quòd eos pro principio religionis divinæ agnoscerent, sed quia Ethnici, contra quos disputabant, multum suis scriptoribus tribuebãt. Quemadmodum igitur Patres usi sunt testimoniis gentilium adversus Ethnicos: ita nos producimus testimonia Patrum adversus Papistas.

III. Patres veteres melioris notę non cõsentiunt cum Papanis, sed cum Reformatis.

DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO
sit gloria in omne ævum.
AMEN.

THESES
DE
MEDIATORE
QUAS
D. O. M. A.
PRÆSIDE
Reverendo & clarissimo Viro
Dn. AMANDO POLANO
A' POLANSDORF SS. Theologiæ Doctore, Professore, Decano, Præceptore suo æternùm colendo publici exercitii causa proposuit

M. HALOINUS GOTHOFREDUS
ULTRAIECTINUS Belga

Ad Diem 9. Decembris.

In auditorio Theologorum.

Anno clɔ lɔ cii.

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO

Dn. JOANNI JACOBO GRYNAE O SS. Theol. Doctori ac Professori, & Ecclesiæ Basiliensis Antistiti, præceptori suo æternùm colendo

εὐπράττειν.

PArcus sacrarum cultor & infrequens
(Proh) literarum dum cupit Eutyches
Peculiari præcavere
Nestorii *medio Charybdin,*
Scyllæ tremendo gurgite mergitur
Non absque justo judicio Dei,
Peccata peccatis severè
Mortiferis vaga punientis.
Phantasma Cerdo *pro solido sibi*
Effinxit olim corpore ludicrum:
Semen Valentinus *Mariæ*
Aëreum fabricavit audax.
Divinitatis jus rapit Arius
CHRISTO *protervus: Specificam negat*
Formam creatori ruinæ
Laodices positus minister.
Multis voluntas una, operatio
Ac una multis perplacet impiè:

Perpeßiones non dolores
Attribuunt animæq; multi.
Impoſtor hæc, ſed perfidus ultimi
Per prava ſicut organa ſeculi
Procudit olim: ſic diebus
Hiſce facit valido apparatu.
Quapropter almi Nate Dei patris
Servos fideles inſtrue robore;
Harum ut locuſtarum ſuperbæ
Agmina diſſiciant potenter.
GRYNAEE *pugnæ principium meæ*
His cum locuſtis reſpice reſpice;
GRYNAEE, *cui defuncta bello*
Arma DEUS *dedit amovere.*

Diſcipulus addictiſſimus
M. HALOINUS GOTHOFREDUS Ultrajectinus.

THE-

THESIS I.

CVM homo impulsore diabolo se & omnem suam posteritatem per divinæ legis transgressionem à Deo alienâsset *a*, necesse fuit ex Adæ lumbis prodire verum hominem *b* ab omni peccato prorsus immunē *c*, qui inter Deum & homines se mediatorem interponeret, humanumq; genus Deo, pro ut ejus justitia postulabat, reconciliaret. a *Genes.* 2. *v.* 17. b *Rom.* 5. *v.* 12. *& seqq.* c. *Hebr.* 7. *v.* 26.

2. Verùm cum Mediator deberet I. legem divinam perfectissimè præstare *a* II. pœnam sufficientem pro totius mundi peccatis subire *b* III. pœnæ non succumbere, sed prævalere *c* IV. beneficia merito suo parta credentibus applicare *d* V. credentes ad perfectā omnium restitutionē servare *e* VI. Corpori suo per fidem insertos in æternum vivificare *f*: deplorata res fuisset futura *g*, nisi secunda SS. Trinitatis persona *h* in plenitudine temporis *i* ex semine *k* virginis Mariæ *l* (cooperantibus patre *m* & Spiritu Sancto) *n* veram naturam *o*, vera anima *p*, veroque corpore *q* constantem in unitatem suæ personæ assumsisset, *r* eique, quod in redemtionis negotio peragendo ei deerat, suppleviſſet.

a *Hebr.* 7. *vers.* 26. b 2. *Corinth.* 5. *vers.* 21. c

Matth. 5. *verſ.* 26. d *Johan.* 10. *verſ.* 28. e *Epheſ.* 4. *verſ.* 8, 9, 10. f *Johan.* 15. *verſ.* 4. g *Pſalm.* 30. *verſ.* 3. *Deuteron.* 4. *v.* 24. h 1. *Johan.* 1. *v.* 14. i *Gal.* 4. *verſ.* 4. k *Hebr.* 2. *verſ.* 16. l *Luc.* 1. *v.* 31, 34. m *Hebr.* 10. *verſ.* 5. n *Matth.* 1. *v.* 20. o *Johan.* 1. *verſ.* 14. p *Matth.* 26. *verſ.* 38. & 27. *v.* 50. q *Hebr.* 10. *v.* 5. r *Coloſſ.* 2. *verſ.* 9.

3. Itaq; in mediatore duo nobis ſunt conſideranda I. ejus perſona II. ejus officium.

4. Perſona Mediatoris, eſt Mediatoris ſubſtantia, conſtans divina & humana natura *a* per unionem hypoſtaticam, id eſt, perſonalem arctiſſimè & indiſſolubiliter conjunctis *b*. a *Roman.* 1. *v.* 3, 4. b *Joh.* 1. *v.* 14. *Col.* 2. *verſ.* 9.

5. Divina natura in hac perſona eſt ſecunda S.S. Trinitatis perſona *a*, à prima perſona, quæ pater eſt, ab æterno per intellectus divini reflexionem in ſe genita *b* & cum ea tertiam perſonam, quæ Spiritus Sanctus eſt per actum voluntatis divinæ in ſe ipſam reflexæ, ab æterno ſpirans *c*. a *Ioh.* 1. *v.* 1. b *Pſal.* 2. *v.* 7. c *Ioh.* 15. *v.* 26.

6. Humana natura in hac perſona eſt eſſentia noſtræ eſſentię ita ſimilis, ut ſecundùm hãc nobis excepto ſolo peccato ſimilem Scriptura Mediatorem noſtrum faciat *a*.
a *Hebr.* 4. *verſ.* 15.

7. Unio harum naturarum eſt extraordinaria, & hypoſtatica, id eſt, perſonalis appellatur. Qua appellatione ſignificatur, unionem

nem hanc nihil aliud esse, quàm hypostaseōs communicationem, aut rerum duarum in unam hypostasin conjunctionem. Natura si quidem divina naturæ humanę, quæ quidem est individuum, cùm operationes, quæ certissimum singularitatis argumentum sunt *a*, ei competant, sed nō tamen persona, eo quod propriâ subsistentia sit destituta, suam hypostasin, seu subsistentiam communicavit, ita ut nunc eadem sit tum τῷ λόγῳ, tum naturæ divinæ hypostasis. a *Arist.1.Metaph.2.*

8. Hinc duo manant I. ut proprietates unius naturæ rectè de tota persona etiam ab altera natura in concreto denominata non tantùm verbaliter: sed etiam realiter eâ loquendi formâ, quam veteres ἰδιωμάτων κοινωνίαν vocârunt, dicantur *a* II. ut tanta sit nunc in humana natura gratiarum eminentiæ & habitualium perfectio, quanta in rem creatam potest cadere *b*. a *1.Cor.2.v.8.Actor.20. v.28.Ioh.3.v.13.& 6.v.62.* b *Ephes.1.v.20,21,22.*

9. Officium mediatoris est functio, quam ipse de voluntate patris *a* ad æternam salutem *b* electis recuperandam & restituendam sponte suscepit, volensq; peregit *c* verbo operante quod verbi est, & carne exsequente, quod carnis est *d*. a *Heb.5.v.5.Ioh.3. v.17.* b *Iohan.11.v.51.* c *Ioh.10.v.18.Phil.2.v.8.* d *Leo ad Flau.c.4.*

10. Estque triplex; Propheticum *a*, Sacerdotale *b*, & Regium *c*. a *Deut.18.v.15,*

18. b *Psal.*110.*v.*4. c *Psal.*2.*v.*6.*&* 45.*v.*2.

11. Propheticum officium est, secundùm quod æternum patris consilium de redimendo humano genere ex peccato & morte planè pleneque cum externâ prædicatione, tum internâ illuminatione nobis revelavit *a*.

a *Isa.*55.*v.*4.*Iob.*5.*v.*25.*Hebr.*1.*v.*1.

12. Sacerdotale officium est, secundùm quod cælesti patri pro nobis tum per accuratissimam legis impletionem *a*, tum per externam *b* & internam passionem *c* pleniss imè satisfecit *d*, ac etiamnum hodie intercedit *e*. a *Ioh.*17.*v.*19.*Rom.*8.*v.*2.*Matth.*3.*v.*15. b *Matth.*26.*v.*27.*Marc.*14.*&* 15.*Luc.*22.*&* 23.*Ioh.*18.*&* 19. c *Apoc.*19.*v.*15.*Ies.*53.*v.*10.*Matth.* 27.*v.*46.*Psal.*69.*v.*3.*&* 116.*v.*3. d *Roman.*3.*v.*24. *Ioh.*17.*v.*19.*Actor.*20.*v.*28. e 1.*Ioh.*1.*v.*1.

13. Regium officium est, secundùm quod abolitio tenebrarum regno *a* regnum redemtione partum potenter tuetur ac conservat. *b*. a *Coloss.*3.*v.*13.*Psalm.*2.*v.*9. *Luc.*19.*vers.*27. b *Matth.*28. *vers.*18.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

DE

De

INTERPRETATIONE SCRIPTURÆ SACRÆ

Quæstiones aliquot theſibus explicatæ,

Quas

AMANDUS POLANUS A' POLANSDORF S. THEOlogiæ in vetuſta Academia Baſilienſi Profeſſor ordinarius propoſuit

Ut de iis Chriſtiana συζήτησις, CHRISTO benedicente, ad diem 20. Januarii inſtitueretur

Defendentis partibus defungente

JOHANNE RÛSTIO BERNENSI.

Anno cIↃ IↃ CIII.

NOBILITATE ET VIRTUte florentissimo

Dn. JOHANNI CATHARINO
A CATHARO

AMANDUS POLANUS
à POLANSDORF
S. P. D.

ANte menses aliquot transierunt hac apostatæ duo, Romam, quæ nunc omnium hæresium & scelerum est epitome, contendentes: qui postquam auditorium Theologicum ingressi lectionem Theologicam à me tum habitam audivissent, cœtu dimisso me secuti sunt & Sinoniis gestibus compellantes, & inter alia de interpretatione Scripturæ Sacræ & judice controversiarum in religione quæstiones moverunt, atque apostasiam ad Papatum impudenter suadere ausi sunt. Respondi illis tum quod gratia Christi suggessit, & infelicem illorum à Christo ad Antichristum translatum miseratus, ut Antichristianismo nuncium remitterent hortatus sum. Peraslque illarum quæstionum hoc triduo elapso breviter delineavi & his thesibus complexus sum, ut de illis συζητησις Christiana institueretur ad formanda iuventutis studiosæ judicia. Mira dispensatione divina fit in religione contradictio, vt post contradictionem firmius sit dogma veritatis. Pro hoc quoque gratias agamus Deo, qui per hæreticorum contradictionem efficit clariorem fidelibus veritatem. Etenim (ut verbis Chrysostomi homil. 33 in Acta utar) non solæ afflictiones, sed etiam tentationes clariores nos reddunt. Si enim nullus esset deceptor veritatem invadens, non foret vehemens & fervidus veritatis amator. Mens (inquit Cyrillus Alexandrinus lib. 3. de de Trinit.) magis acuitur, quũ ei se

ei se adversarius opponit: atque (*ut ait Augustinus de Civit. Dei lib. 16. cap. 2.*) ut fides defendi possit, multa & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs & instantiùs prædicantur: & ab adversario mota quæstio, discendi existit occasio.

Cæterùm theses hasce ad te, Nobilissime Domine Catharine, strenæ nomine mitto, optans tibi, ut & viro ornatissimo Dn. Nathani Voito Phoro tuo, ut annum hunc vobis felicem Dominus Jesus esse jubeat. Vale quàm prosperrimè. Basileæ Calend. Januar. Anno epochæ Christianæ 1603.

De interpretatione Sacræ Scripturæ quæstiones aliquot.

THESIS PRIMA.

QUÆRITUR, *Unde petenda sit Sacræ Scripturæ interpretatio?*

RESP. Ex ipsamet Sacra Scriptura, quæ seipsam interpretatur: ut sequentia argumenta evincunt.

2. PRIMUM; Si Scriptura Sacra non est scripta humano ingenio, sed ex inspiratione Spiritus Sancti, tum sequitur eam non debere exponi ex proprio ingenio, sed secundùm dictamen Spiritus Sancti non certè extra Scripturam, ne Enthusiastarum error confirmetur, sed ex Scriptura in qua Spiritus Sanctus loquitur. Verum est antecedens ex 2. Tim. 3. vers. 15. & 2. Petr. 1. v. 20, 21. Verum ergo est & consequens.

3. SECUNDUM; Si Sacra Scriptura potest

præstare homini sapientiam ad salutem, tum quoq; seipsam interpretatur. Antecedens est verum, teste Apostolo Paulo, qui 2. Timot. 3. 15. ait, quòd *Sacræ literæ possint σοφίσαι*, hoc est, *sapientiam præstare*, ut habet Glossarium vetus, &c. & Davide Psal. 19. v. 8. & Psal. 119. v. 98. & v. 104. & 130. Ergo & consequens verum est.

4. Connexæ enunciationis veritas manifesta est ex definitione.

Nam si interpretatio Scripturę est explicatio sapientiæ illius salvificæ quæ in Scriptura patefacta est: tum certè sequitur, si Sacra Scriptura potest sapientiam præstare homini ad salutem, eam quoque seipsam interpretari, ex ea interpretationem sumendam.

5. Consectaria sunt: I. Illum sapientem esse ad salutem, qui præditus est cognitione veri sensus Scripturæ divinæ; quum sensus Scripturæ sit ipsa Scriptura: Sicut Hieronymus ait contra Luciferianos: *Non in legendo, sed in intelligendo Scripturæ consistunt*: & in cap. primum ad Galatas: *Ne putemus in verbis Scripturarum esse Euangelium sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in radice rationis.*

II. *Sacram Scripturam non sinere hominem aliquid insipientiæ pati. Qui enim novit Scripturas, ut scire oportet, non potest unquam circumveniri, &c. Et deducet te sapientia quæ est ex illis ad fidem quæ est in Christo Jesu*: ait Oecumenius in Commentariis ad hunc locum.

6. TER-

6. TERTIUM; Si Scriptura divinitus inspirata est utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in justitia; ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus: tum eadem docet omnium quæ in ipsa traduntur verum sensum. Verum est quod antecedit, teste Apostolo. Verum est ergo & quod consequitur.

7. Veritas connexi inde patet: quia perfectio hominis Dei non potest esse sine Scripturarum intelligentia.

8. QUARTUM; Si Scriptura Sacra lux est, ipsa igitur illustrat si quæ obscura in illa occurrunt, ipsa mentē illuminat ad intelligenda arcana cælestia. Prius verum est, ut sequentia loca evincunt. Psalm. 19. *Præceptum Jehovæ purum, illustrans oculos.* & psalm. 119 v. 105. *Lucerna pedi meo verbum tuum est, & lux itineri meo.* & vers. 130. *Ingressus sermonum tuorum illuminat, intelligentiam conferens parvulo.* Proverb. 6. v. 23. *Lucerna præceptum est & doctrina lux.* 2. Pet. 1. 19. *Habemus firmissimum sermonem Propheticum: cui rectè facitis, quòd attendatis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco,* &c. Verum igitur est & posterius.

9. Connexum certum est: Nam si *Vetus testamentum lux est, quid putamus, novum, ubi tanta reserata sunt? Velut enim si quis nihil aliud scientibus quàm terram, aperiret cælum, & quæ in eo sunt omnia conspicienda proponeret: tanta est utriusque*

instrumenti differentia, ut loquitur Chrysostomus in 2. Tim. 3. homiliâ octavâ.

Assumtum etiam verum est Papistarũ confessione: nam loca allegata de Scripturis Sacris agere, fatetur Bellarminus lib. tert. de Verbo Dei, cap. secundo, sect. quinta.

10. QUINTUM; Si Prophetæ & Apostoli aliique Doctores Ecclesiastici orthodoxi, Scripturam per Scripturam sunt interpretati: tum sequitur interpretationem Scripturæ ex ipsamet sumendam esse. Antecedens verum est: Ergo & consequens.

11. Antecedens probari potest inductione exemplorum. Nehem. 8. v. 9. dicitur de Ezra & Sacerdotibus aliis: *Legebant librum illum, Legem Dei explanatè: & exponendo sensum dabant intelligentiam per Scripturam ipsam.* Vaticinium ex Psalm. 132. vers. 11. *Juravit Jehova Davidi veritatem, à qua non avertet se, dicens; De fructu ventris tui ponam in solio tuo:* interpretatur *Petrus* Actor. 2. v. 30. ex collatione cum Psalm. 110. vers. 34. *Athanasius* in Passionem & crucem Domini, pag. septingesimo octogesimo secundâ tomi primi Edit. Commelin. interpretatur textum Historiæ Euangelicæ ex Pauli epistolis: *Quod nunc recitatum est verbum, Euangelicum quidem est, sed tamen evidentiæ claritudinisq; gratiâ defugiendum est ad sanctos & ab iis intellectus hujus rei excipiendus. Verisimilius enim eos, rerum Euangelicarum magis, quàm nos conscios & peritos esse. Sed ne circa omnes oberrantes moram injiciamus nostro sermoni,*

moni, sufficiet in præsentia vel unus magister Apostolus ad vos plenè de omni negotio instruendos. Scribit enim Hebræis beatus Paulus, &c.

Ambrosius libro primo de fide ad Gratianum Augustum, capite septimo, loca Scripturæ ab Arianis allata interpretatur ex Paulo & addit: *Quem igitur meliorem interpretem quærimus Scripturarum, quàm illum doctorem Gentium, vas electionis, electum de persecutoribus, &c.* Plura exempla non addam, quia sunt innumera.

12. SEXTUM; Si unusquisque est optimus interpres suorum verborum, tum etiam Spiritus Sanctus in Scriptura loquens erit optimus sui ipsius interpres in eadem Scriptura. Antecedens certum est. Ergo & consequens.

13. SEPTIMUM; Si Prophetæ sunt interpretes Legis Mosaicæ, & Novum Testamentum est interpretatio Veteris, & si historia Evangelica explicatur in Epistolis Apostolorum & omnia in Scriptura se mutuo confirmant: tum sequitur interpretationem Scripturæ ex ipsa Scriptura hauriendam. Quæ antecedunt omnia vera sunt: Ergo quod sequitur.

Athanasius Disputat. contra Arium in Concil. Niceno pag. centes. decimâ tertiâ tom. primo docet: *Scripturam Veteris Testamenti, Novi Testamenti Scripturam, & hanc vicissim illam confirmare.*

14. OCTAVUM; Patres orthodoxi ipsimet statuunt, non aliunde Scripturæ inter-

pretationem sumendam, quàm ex ipsa Scriptura : Clemens Papa I. Epistolâ quintâ ad suos discipulos, quemadmodum citatur Distinct. tricesimo sept. cap. *Relatum*, ait : *Lex Dei cùm legitur, non secundùm propriam ingenii intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis divinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte præsumsit; sed fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus adulteretis, alienum & extraneum debetis quærere, aut quoquo modo ipsum Scripturarum autoritate confirmare, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis.* Et mox subjicit; *Ex divinis Scripturis integram & firmam regulam veritatis suscipi.*

Irenæus Martyr libro tertio adversus hæreses, cap. duodecimo: *Ostensiones quæ sunt in Scripturis, non possunt ostendi, nisi ex ipsis Scripturis.* Et libro quarto, capite sexagesimo tertio : *Secundùm Scripturas expositio legitima & diligens & sine periculo*, &c. Et libro secundo, cap. quadragesimo septimo: *Omnis Scriptura à Deo nobis data consonans nobis invenietur, & parabolæ his quæ manifestè dicta sunt consonabunt, & manifestè dicta absolvent parabolas.*

Basilius libro de Baptismo, cap. 4. *Obediamus Domino dicenti, Scrutemini Scripturas: & imitemur Apostolos, qui ab ipso Domino dictorum ipsius declarationem petebant, & eorum quæ ab ipso dicta sunt veritatem ac salubritatem ex illis quæ alibi dicta sunt discamus.* Et in Asceticis 267. τὰ ἀμφιβολα καὶ ἐπικεκρυμμένως εἰρημένα δικαίως ἐν τοῖ τόποις τῆς θεοπνεύ-

πνεῦστε γραφῆς, ὑπὸ τῶν ἐν ἄλλοις τόποις ὁμολογουμένων σαφηνίζεται, hoc est, *Quæ ambiguè & quæ obscurè videntur dici in quibusdam locis Sacræ Scripturæ, ab iis quæ in aliis locis aperta ac perspicua sunt explicantur.*

Chrysostomus in Genesin homil. 13. *Sacra Scriptura seipsam exponit & neminem errare sinit.*

Augustinus tomo tertio, libro secundo de doctrina Christiana, cap. nono: *In his quæ apertè in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moresq; vivendi.* Et lib. tertio de doctrina Christiana, capite vigesimo octavo: *Per Scripturas divinas multò tutiùs ambulatur: quas verbis translatis occupatas cùm scrutari volumus, aut hoc inde exeat, quod non habeat controversiam: aut si habet, ex eâdem Scriptura ubicunq; invētis aut adhibitis ejus testibus terminetur.* Et tom. septimo, libro de Unitate Ecclesiæ, cap. quinto: *Quæq; aperta & manifesta deligamus: Quæ si in sanctis Scripturis non invenirentur, nullo modo esset unde aperirentur clausa & illustrarentur obscura.*

Plura testimonia non addo: quum hęc tam manifestè doceant, Scripturam per seipsam exponendam.

15. Quum asseramus, Scripturam explicandam per Scripturā; QUAERITUR etiam, *An Scriptura Sacra modum interpretandi tradat?* RESP. Etsi Scriptura non tradat præcepta Grammatica, Rhetorica & Logica, quæ ἀνάλυσιν dirigant: tamen exemplis interpretationum docet modum interpretandi: quemad-

modum docetur de re aliqua regulis vel exemplis.

16. Id nõn eſt difficile oſtendere. Nam cùm interpretationis partes duæ ſint: indicatio genuinæ ſententiæ & accommodatio ad uſum; utriuſque modum Scriptura monſtrat per exempla.

17. Quod ad indicationem genuinæ ſententiæ attinet, oſtendit Scriptura eſſe declarandum orationis cujuſque propoſitum ſeu ſcopum, thema item quod tractatur, &c. Ut Paulus in his verbis, *In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes terræ*, dicit eſſe promiſſionem Roman. 4. 20. Luc. 2. 29. oratio Angeli Gabrielis, vid. *Ave gratioſa*, &c. dicitur eſſe *ſalutatio*, non autem invocatio Mariæ, nec gratiarum actio. 2. Sam. 7. David orationem Prophetæ Nathanis repetens, bis oſtendit ejus propoſitum eſſe *promiſſionem* verſ. 25. *Nunc ergo Jehova Deus, verbum illud quod promiſiſti ſervo tuo & familiæ ejus, præſta in ſeculum.* & verſ. 28. *Quapropter nunc Domine Jehovi, tu Deus ille es, & verba tua ſunt veritas: quum promiſeris ſervo tuo bonum iſtud.* Paulus Rom. 10. verſ. 8. interpretatur ex Deuteron. 30. verſ. 14. verba hæc, *Propinquum eſt tibi verbum*, &c. hoc eſſe verbum illud fidei quod Apoſtoli prædicaverunt. Matth. 5. Dominus oſtendit modum interpretandi legem Dei. cap. 13. oſtendit modum interpretandi parabolas. cap. 15. interpretatur hanc doctrinam: *Non quod ingreditur in os pollut hominem, ſed quod egredi-*

egreditur ex ore, hoc polluit hominem. Cap. 16. ostendit hanc admonitionē suam: *Cavete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum*, non esse intelligendam de fermento panis, sed de fermento doctrinæ. Paulus Hebr. 7. verba illa Psalmi 110. *Tu es Sacerdos in æternum*, &c. docet de eo dicta, qui ad aliam tribum pertinebat quàm Leviticam. His exemplis ostenditur, diligenter esse animadvertendum de quo themate agatur. Exempla interpretationis in quibus & sensus verus & usus simul ostendūtur sunt plurima; inter quæ explicatio Decalogi Matth. 5. Et loci Geneseos, *Credidit Abraham Deo & imputatum est illi ad justitiam*, Rom. 4. vers. 18. & sequentib. Verborum Dei ad Abrahamum, *Certè benedicens benedicam tibi*, &c. Hebr. 6. vers. 13. & sequentib. Et verborum Psal. 110. *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*, Hebr. 7.

18. Præterea quæritur; *An non Scriptura Sacra debeat intelligi secundùm interpretationem & sensum Ecclesiæ?* RESP. Debet, sed illius Ecclesiæ quam Christus ipse immediatè docuit, quam Spiritus Sanctus certò in omnem veritatem duxit. *Qui sunt Ecclesia illa?* Moses, Josua, Samuel, David, Salomon, Jesaias, Jeremias & cæteri Prophetæ: & cum illis Petrus, Paulus, Matthæus, Johannes, Jacobus & alii Apostoli & Euangelistæ, quorum plerorumque scripta ideo posteris tradita.

19. *Et hîc aperitur modus intelligendi illud Au-*

gustini: Euangelio non crederem, nisi me moveret Ecclesiæ autoritas. Ibidem enim Ecclesiam sumit pro primitiva congregatione fidelium, eorum qui Christum viderunt, audierunt & testes ejus exstiterunt. ut verbis utar Johannis Gersonis de vita spirituali animæ, lect. 2.

20. Vicissim quæritur, *An nõ interpretatio Scripturæ sit quærenda in sanctis Patribus?* RESP. Est; sed nõ in quibusvis, verùm in illis q in Scripturæ interpretatione nõ errarunt & errare non potuerunt, hoc est, in Prophetis & Apostolis, in quibus alii posteriores illis patres Scripturæ sensum indagarunt: quemadmodum Athanasius Concione in Passionem & crucem Domini post historiam Euangelicam de crucifixione Christi ait: *Quod autem nunc recitatum est verbum, Euangelicum est quidem, sed tamen evidentiæ claritudinisq; gratiâ defugiendum est ad sanctos, & ab iis intellectus hujus rei excipiendus. Veri enim similius, eos rerum Euangelicarum magis, quàm nos conscios & peritos esse. Sed ne circa omnes oberrantes moram injiciamus nostro sermoni, sufficiet in præsentia vel unus Magister Apostolus ad vos plenè de omni negotio instruendos. Scribit enim Hebræis beatus Paulus*, &c. Quibus verbis ostendit Athanasius, non ad quorumvis patrum interpretationem defugiendum esse, sed illorum qui rerum Euangelicarum erant magis conscii & periti, iique sunt Apostoli & Euangelistæ. In illis patribus quæramus Scripturæ intellectum, in quibus beatus Athanasius ipse quæsivit.

21. QUAE-

21. QUAERITUR adhuc: *An non sit illa vera Scripturæ interpretatio & sententia, quam Universitas, Antiquitas & Consensio commendat?* RESP. Est; sed vera Universitas, Antiquitas & Consensio. Illa enim Scripturæ interpretatio & sententia est vera quam commendat *Universitas*, hoc est, quam universi Prophetæ & Apostoli tradiderũt & quã universa Ecclesia, Prophetarum & Apostolorum libris fideliter inhærens, firmiter tenet: *Antiquitas*, hoc est, quæ inde à principio viguit ante invectas hæreses: *Consensio*, hoc est, in qua omnium Prophetarum & Apostolorum harmonia pulcerrima suavissimaque cernitur. Præstantiorem Universitatem, Antiquitatem & Consensionem quis dabit? Ecclesia siquidem Prophetarum & Apostolorum est absq; omni dubio Universalis & antiquissima & secũ maximè cõsentiens.

COROLLARIA.

I.

SCriptura Sacra est clarior omniũ Patrum qui post Apostolos fuerunt commentariis. Nam primò à Scriptura ut à Sole clarissimo patres lucem scriptis suis mutuati sunt. Deinde Scripturam clariorem esse scriptis suis Patres ingenuè cõfessi sunt. *Irenæus Martyr* libro secundo adversus hæreses, capite ultimo sic ait: *Sed ne putemur fugere illam quæ ex Scripturis Dominicis est probationem, ipsis Scripturis multò manifestiùs & clariùs hoc ipsum prædicantibus, his tamen qui non prave intendunt eis,*

&c. B. Athanasius tomo primo, Dei incarnatione verbi Dei, pag. octogesimâ primâ ait: *Si literas sacras evolvas, illisq; legitimè mente insistas, omnia ad exactum, plenius & liquidiùs, quàm à me dici potuêre, deprehendes. Illæ enim per viros, rerum cælestium peritos, à Deo ipso enunciatæ, conscriptæ sunt.*

II. Petrus Lombardus, Durandus, Holcotus, Bricotus & similes Quodlibetarii heroës non sunt in Patribus numerandi.

III. Papa Romanus cum suo Concilio non potest esse judex in controversiis religionis inter nos & Papistas intercedentibus: propter sequentes rationes. 1. Quia est litigantium pars altera; nulla igitur æquitas patitur, ut ipse in propria causa judex sedeat. 2. Quia est hostis noster infensissimus & capitalis, qui nos non argumentis convincere, sed gladiis confodere, sed laqueis gulas frangere, sed fumo & flammis necare, sed bello injustissimo persequi studio habet. Hostes autem non possunt esse testes & judices. Sic Athanasius magnus asseclas Eusebii ut hostes legitimè exceptione detrectabat, ut refert Simeon Metaphrastes in vita ejus. 3. Quia est apostata & autor apostasiæ à fide & religione Christiana. 4. Quia ipse ultrò se ingerit & per vim obtrudit ut sit judex; ac proinde meritò est suspectus.

DOMINO JESU CHRISTO JUDICI vivorum & mortuorum sit gloria in omnem æternitatem AMEN.

THE-

THESES THEOLOGICÆ

DE

LIBERO ARBITRIO

QUAS

Deo auxiliante

Sub

PRÆSIDIO

Reverendi & celeberrimi Viri

Dn. AMANDI POLANI

A' POLANSDORF

SS. Theologiæ Doctoris, Professoris ordinarii, ac pro tempore Facultatis Theolog. Decani spectabilis, Præceptoris sui reverenter colendi

AD

Publicam συζήτησιν proposuit

ANDREAS KNUTHIUS

VESALIUS C.

In Auditorio Theologorum Æstivo.

Ad diem 12. Maji.

Anno CIↃ IↃCIII.

Amplißimis, Conſultißimis, Patritiâq; dignitate nobiliſſimis Viris,

D. EBERHARDO HAESS.
I. V. D.
D. THEODORO THER HEYDEN,

Inclytæ VESALIENSIUM Reipub. Senatoribus digniſſimis:

NEC NON

Reverendis & Doctißimis Viris,

D. JODOCO WILICHIO,
D. HENRICO COPIO,

Eccleſiæ eorundem Miniſtris Vigilantißimis, Dominis fautoribus ac amicis ſuis plurimùm honorandis,

Poſitiones haſce theologicas gratitudinis atque obſervantiæ ergò

offert, conſecratq;

ANDREAS KNUTHIUS
Reſp.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0598
DFG

THESES DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO.

I.

DE libero hominis arbitrio acturi, ut vitetur omnis ambiguitas, pauca de utriusque vocis etymo præmittemus.

2. Ac primò Libertas pro immunitate obligationis accipitur: & sic servituti opponitur.

3. Secundò usurpatur pro interno voluntatis principio & affectione, id est, facultate eligendi aut repudiandi objectum, vel actionem ab intellectu monstratam, suo ac proprio motu, sine coactione.

4. Et in hac significatione Liberum potest reddi ἑκούσιον, id est, spontaneum, cui contrarium ἀκούσιον, id est, involuntarium & coactum: non autem ἀναγκαῖον, id est necessarium. Potest enim ἑκούσιον consistere cum ἀναγκαίῳ, sed non cum ἀκουσίῳ.

5. Arbitrium Latinis tum pro sententia, tum pro velle alicujus, tum deniq; pro jure, facultate & potestate accipitur.

6. Etsi verò Arbitrium propriè ad intellectum videtur pertinere: in hoc tamen negotio voluntatis actum denotat, id est, electionem seu προαίρεσιν, quę est velut definitivæ vo-

luntatis sententia & ultimum decretum.

7. Græci, dum utrumq; vocabulum unicâ voce exprimere voluerunt, nimiùm significanter, ne dicam arroganter, nominârunt αὐτεξούσιον.

8. Arbitrium est semper in omnibus Liberum à vi & coactione; non autem à necessitate, vel necessariâ Naturæ & eventuum determinatione. Ideo quæ liberè volumus vel nolumus, ea ex necessitate volumus. 1. Ex necessitate divini decreti. 2. Ex necessitate formæ adventitiæ ipsius voluntatis, ut sanctitatis, corruptionis, utriusque.

9. Hæc tamen necessitas divini decreti nō aufert vim ipsi insitam, non tollit judicium mentis; sed potiùs conservat & fovet, objecta intellectui subjiciens, atq; iis voluntatem alliciens aut inclinans, ut quod illud vult eligat. Coactio verò tollit judicium, aut impedit electionem spontaneam, quia est impulsio ab externo principio.

10. Natura etiam Arbitrii in homine est, quòd sit Liberum, non respectu objecti, boni vel mali, quasi æquè bonum vel malum eligere & agere possit: sed respectu causæ efficientis, quod omni coactione remotâ, spontaneo motu feratur ad id, quod acceptat vel rejicit.

11. His expeditis, ita commodè definiri posse statuimus Libertatē voluntatis (quam Theologi Liberum Arbit. vocant) Quòd sit potestas voluntatis, quâ ex interno quodam prin-

principio, eoq; suo, citra coactionem, expetit aut repudiat, quæ intellectus expetenda aut repudianda proponit.

12. Estq; aliud confirmatum in bono, idque vel naturaliter, ut in Deo, vel gratuitò, ut in Angelis & hominibus renatis glorificatis: aliud in malo obduratum, ut est in malis Angelis & hominibus damnatis: aliud indifferens, ut in hominibus tam renatis quàm corruptis.

13. Quæ hactenus dicta sunt de Libero Arbitrio, applicanda veniunt ad conditionem hominis quadruplicem, quæ in quatuor status distribui solet.

14. In primo statu videlicet innocentiæ Adamum hanc libertatem habuisse, evincitur duabus hisce rationibus; Prima, quia conditus erat ad imaginem Dei: Imaginis autem pars est voluntas libera. 2. Honore & gloria coronârat eum Deus: quis autem honor & gloria esse potest, ubi libertas desit?

15. In statu corruptionis diversimodè se habet Liberum Arbitrium, pro Actionum, circa quas versatur, diversitate.

16. Eæ triplices sunt, Naturales, Humanæ & Spirituales.

17. In naturalibus Actionibus, ut sunt edere, dormire, deambulare, &c. homo Liberum habet Arbitrium, easq; perficere potest, sine speciali gratiâ.

18. In actionibus Humanis, sive civilibus

& moralibus, Ethnici quidem sine speciali gratia Spiritus Sancti potuerunt exercere virtutes incompletas, perfectas verò neutiquam. Nam completum principium virtutis, est Dei dilectio: verus autem & ultimus finis est Dei gloria & salus æterna.

19. Respectu hujus principii potioris & ultimi finis, fuerunt revera omnes Ethnicorum virtutes peccata, nec virtutes solidæ, sed earum potius simulachra, ut & hodie eorum, qui speciali Spiritus Sancti gratiâ non reguntur. Ideo August. appellat virtutes Ethnicorum splendida peccata: Quia plerunq; faciebant propter vanam gloriam; semper autem sine fide: quicquid autem fit sine fide, peccatum est, *Rom.*14.23.*Hebr.*11.6.

20. In actionibus spiritualibus, quæ concernunt regnum tenebrarum, usq; adeo liberum arbitrium in homine non periit, ut per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant.

21. Verùm in spiritualibus, quæ regnum Dei concernunt, nihil potest suis viribus, nisi peccare: idque necessariò, quia aliter non potest: nihilominus tamen liberè, non enim voluntatis jura violantur. 1.*Cor.*2.14.*Ephes.*2.2,3.& 4.18.*Coloss.*2.13.*Joh.*8.3.*Phil.*2.14.

22. In hominibus ergo corruptis & Liberum est Arbitrium & Servum: Liberum quatenus à coactione immune: Servum, quatenus à peccato victum, cupiditatibus vincentibus

tibus subditum est. *Matth.7.18.& 12.34.*

23. Estque propter servitutem miserabile quidem, sed propter libertatem inexcusabile.

24. Quæ de miseria corrupti hominis diximus, non Deo aut naturæ conditæ ascribimus, sed peccato, cui per primum hominem aditus patefactus est. *Rom.5.12.*

25. Sequitur tertius hominis status, regenerationis videlicet.

26. Quod ad primum principium & momentum conversionis attinet, statuimus voluntatem hominis nullam habere naturalem potentiam post lapsum, sed merè passivam esse. Eodem tamen momento, quo conversionem Deus in homine operatur, vulteā etiam, sed Deo hominis voluntatem immutante, ut gratiam illam desideret atq; expetat. *Philip.2. vers.12,13,14.*

27. In primâ ergo gratiâ, habet homo potentiam quandam ad bonum, sed materiæ duntaxat, atq; passivam, quam remotam vocant. In secundâ autem gratiâ in actum redigitur illa potentia, & ex remota fit propinqua beneficio ipsius gratiæ divinæ nos prævenientis: tum demum Spiritui Sancto operanti cooperamur, ac ejus συνέργοι sumus.

28. Concupiscentia, primiqúe pravi motus in regeneratis adhuc residui, *a* peccata sunt, eaque mortalia, si naturam rei & actionum ipsarū spectes, licet pro hujusmodi propter Christum non imputentur. a *Rom.7.*

18. & 15. & 7. & 24. *Eph.* 4. 22. 1. *Joh.* 3. 4. Concupiscentia igitur regnum & reatum amisit, naturam & malitiam non exuit.

29. Summum Concupiscentiæ tabernaculum in mente residet. *Rom.* 12. 2. *Ephes.* 4. 23.

30. In statu glorificationis Arbitrium hominum beatorum Liberum tantùm erit ad bonum, ut non nisi bonum ampliùs velle vel eligere possint: Tum namque perfecta erit regeneratio, 1. *Joh.* 3. 2.

31. Hominum verò damnatorum Arbitrium tantùm erit ad malum in æternum, quia sine spe resipiscentiæ & veniæ perpetuò in regno Satanæ detinebuntur. *Matthæi* 25. *vers.* 46. *Marci* 9. *vers.* 43.

FINIS.

PESTI-

PESTILENTISSIMAE
Doctrinæ Papisticæ

DE IVSTITIA OPERUM Elenchus

Quem

D. O. M. A.

Sub

PRAESIDIO

Reverendi nec non Clarissimi Viri

Dn. AMANDI POLANI
A POLANSDORF

SS. Theologiæ Doctoris, Professoris, Decani, Præceptoris sui æternùm colendi ad publicam disputationem in celeberrima Basiliensi Academia proposuit

M. HALOINUS GOTHOFREDUS
ULTRAIECTINIUS
BELGA.

Ad 16. Junii horâ locoq; solitis.

Anno cIↃ IↃ CIII.

Reverendis viris

Dn. D. AMANDO POLANO A POLANSDORF

SS. Theologiæ Professori excellentissimo, & Facultatis Theologicæ pro tempore Decano spectabili

Dn. M. HENRICO JUSTO

Ecclesiæ Basiliensis Pastori fidelissimo

εὐπράττειν.

QVod sit salutis justificatio
Columna nostræ nemo negaverit,
Cui gutta synceri pudoris
Naufragio superest peracto.
Idcirco nullo tempore non erit
Verbi ministris cura fidelibus,
Ut integrè rectéq; cuncti
Articulum hunc teneant fideles:
Nôrintq; Christum Justitiam suam,
Nôrintq; solâ justificarier
Fide fidelem, ne studentes
Justitiam propriam probare
Vivant inanes Justitiæ Dei,
Ac inde sævo fulmine luridum

Ipsos

Ipsos ad orcum mittat ille,
Qui proprio minimè pepercit
Nato, salutem quo daret omnibus,
Nato, salutem qui tulit omnibus,
Doloribus mortis solutis,
A quibus haut poterat teneri,
Idcirco vobis offero quas Theses
Vultu velitis, obsecro, contui
Sereniori, quo videtis
Erigier timidos athlethas.

V.R. Addictissimus

M. HALOINUS GOTHOFREDUS
Belga.

THESES THEOLOGICAE *de Justificationis Forma.*

I.

PHARISAEI ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam studentes constituere, justitiæ Dei non fuerunt subjecti. Rom. 10. v. 3. Simili modo agitur hodie cum Pontificiis. Nam de eorum sententia, id per quod homo coram Deo justificatur, id est, justitiæ testimonium consequitur, est justitia quæ dono Dei subjectivè & realiter in ipso est homine. Bell. lib. 1. de justif. cap. 18. & lib. 2. cap. 2. Quòd teste Bellarmin. lib. 1. de justif. cap. 8. §. 11. ipsissima fuit Pharisæorum hæresis, & apertius lib. 3. cap. 16. §. 15. ubi docet justitiam nostram nihil aliud esse nisi charitatem, & in eo abundantiorem esse justitiâ Pharisæorum, quòd Pharisæi tantùm amicos dilexerint, non etiam inimicos. Nos hanc hæresin cùm ex Epist. ad Rom. tum ex Epist. ad Gal. plenè solideque στὸ Θεῷ refutabimus.

2. Cùm in Epist. ad Rom. à versu 17. cap. 1. usque ad v. 20. cap. 3. demonstrâsset, tum Gentes tum Judæos ad unum omnes in se & naturâ sua esse & impietatis & injustitiæ reos, ac proinde damnationi obnoxios: cõtinuò subjungit nullam carnem ex operibus legis justificatum

ficatum iri, id est, in nullo homine talem tantamq; vitæ sanctitatem & integritatem reperiri, quæ justitię testimonium apud Dei thronum mereatur.

3. Verùm quia Deus ab omni æternitate pro benevolo voluntatis suæ affectu è corrupta naturæ humanæ massa aliquos ad laudem glorioſæ suæ gratiæ in Christo, ut sancti & inculpati essent, elegerat Ephes. 1. v. 4, 5, 6. mox subjicit esse quandam justitiam, manifestatam quidem absque lege, legis tamen & Prophetarum testimonio comprobatam Rom. 3. v. 21. & hanc justitiam, esse eam, cujus beneficio omnes credentes, hoc est, ii, qui eam vera fide amplectuntur v. 22. justificationem, sed gratuitam à Deo consequuntur. v. 24.

4. Cùm enim apud Deum nulla posset commorari iniquitas Psal. 5. v. 5. Filium suum nobis præstituit, ut esset placamentum in suo sanguine Rom. 3. v. 25. quo, non violatâ justitiâ justificaret eum, qui est ex fide Jesu v. 26. hoc est justum in Christo constitueret eum, qui Christum vera fide amplectitur.

5. Voluit siquidem Deus fide salvandis hominibus misericordiam suam demonstrare, eoq́ue & omnem gloriandi materiam ipsis præcidere, quod certè per legem operum fieri non potuisset, sed optimè poterat per legem fidei v. 27. Nam ei qui operatur merces non imputatur ex gratia, sed ex debito. Roman. 4. v. 4. Ei autem qui non operatur, sed credit in

eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam. v. 5.

6. Et nequis putaret duntaxat de istis operibus, quæ ii, qui spiritu Dei nondum regenerati sunt, ipsum loqui, ut putat Bell. lib. 1. de justif. cap. 16. §. 7. & cap. 19. §. 11. & cap. 24. §. 2. 2 & lib. 4. cap. 18. §. 27. pro exemplo adducit Abrahamũ, docetq; ipsum per nulla opera, solam verò fidem esse à Deo justificatum. Sic enim cap. 4. v 2 Si Abrahamus justificatus est ex operibus, habet quod glorietur: At non habet quod glorietur apud Deũ. E. &c. Quid enim dicit Scriptura? credidit Abrahamus Deo & imputatum est illi ad justitiam. Gen. 15. §. 6. Rom. 4. §. 3. Gal. 3. §. 6. Jac. 2. §. 23.

7. Quòd autem Apostolus loquatur de Abrahamo jam renato & regenerato fatetur ipse Bell. lib. 1. de Justif. cap. 19. §. 19. Eoque ita sese torquet, ut cùm duas responsiones, quarum altera nihil faciebat ad rem, altera autem expressè erat contra Apostolum, proposuisset, vis veritatis hanc vocem ipsi extorserit, Abrahamum esse justificatum ex fide, ex qua verè procedũt bona opera. Quod verum; sed contra ipsum; sed pro nobis.

8. Etsi enim opera è numero causarum justificationis arcemus; justificationis tamen effecta esse non negamus.

9. Atque hæc breviter ex Epist. ad Romanos. Veniamus ad Epistolam scriptam ad Galatas. Nos inquit cap. 2. Apostolus naturâ Judæi

dæi & non ex Gentibus peccatores vers. 15. *Scientes hominem non justificari ex operibus legis; sed per fidem Jesu; etiam nos in Christum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Propterea quòd non justificabitur ex operibus legis ulla caro.* v. 16.

10. Nec potest hîc dici, excludi duntaxat opera solis liberi arbitrii viribus facta, vel è sola legis cognitione præsumta. Sic enim v. 19 & 20. de se jam renato Apostolus: *Ego per legem legi mortuus sum, ut Deo viverem. Vivo autem non amplius ego: sed vivit in me Christus, & vitam, quam nunc in carne vivo, vivo per fidem illam Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Certè si fides est justificationis duntaxat initium Bellarm. lib. 1. de Justif. cap. 13. & 17. & 20. & lib. 1. de Pontifice Rom. cap. 10. §. 36. Si per opera justificamur & vivimus, cur nulla fit operum mentio: tota autem vita soli fidei adscribitur?

11. Hoc etenim nequaquam videtur fuisse faciendum: sed faciendum fuit, quia si per legem est justitia, Christus sit sine caussa mortuus v. 21. cùm in hunc mundum venerit, ut servaret id quod perierat. Matth. 18. §. 11. Luc. 19. vers. 10. servaret inquam, Deo Patri pro eo plenissimè satisfaciendo, tum per accuratissimam legis impletionem, Johan. 17. vers. 19. tum per externam & internam horrendorum cruciatuum perpessionem, Matth. 26. & 27. Hæc etenim frustrà Christus subiit, si per

legem, hoc est, legis impletionem à nobis quoquo modo factam coram Dei tribunali subsistimus.

12. Propterea ridiculus est Bellarminus, qui lib. 1. de Justif. cap. 19. §. 21. & 22, 23, 24. contendit, hoc argumentum dirigi ab Apostolo solùm contra eos, qui justificationem tribuebant operibus sine fide & gratia factis. Nam Christum frustra esse mortuum hi pro absurdo non reputant, cùm existiment, suis viribus se posse impetrare id, quod per Christi mortem nobis conferri dicimus, ut fatetur ipse Bellarm. cit. cap. §. 22. Itaque nisi velimus dicere Apostolum adversario suo objeciisse absurdum, quod minimè putabat absurdum adversarius, dicendum est eum, cum quo disputat Apostolus, non excluisse Christi gratiam, sed ea conjunxisse legis opera.

13. Quod nequaquam negari potest, si cap. 3. inspiciatur vers. 3. *Adeo*, inquit, *amentes estis, ut cum spiritu inceperitis, nunc carne perficimini?* Quasi dicat, Stulte scitis, qui ad fidem in justificationis negotio putatis addenda legis opera. Nam si hoc putatis, quæcunque passi estis, frustra estis passi, vers. 4. Quotquot enim sub operibus legis sunt, hoc est, opera sua divini judicii trutinâ examinari posse putant, sub exsecratione sunt vers. 10. eoque quicunque sub exsecratione non sunt, id Christi obtinuerunt beneficio, versu 13.

COROL-

COROLLARIUM.

Imputationem justitiæ Christi qui negat, totam nostram salutem evertit. Nam salus datur nobis aut propter justitiam nostram, aut propter justitiam alienam: Si prius. E. Pontificiorum dogma stabilitur: Si posterius; ea vel erit Christi; vel alterius: Si Christi, ea aut in ipso, ut in subjecto subsistit, aut extra ipsum; si in ipso, ut in subjecto, convenimus, si extra ipsum, ubi ergo? Sin verò alterius est, quàm Christi, ex inferis rediit, vel Osiander, vel novus hæreticus.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

THESES THEOLOGICAE
DE
REGENERATIONE
hominis

Quas
Adjuvante Sacrosancta Trinunitate,
Sub Praesidio
REVERENDI ATQUE CLARISSIMI VIRI
DN. AMANDI POLANI A' POLANSDORF S.S. THEOLOGIAE
Doctoris, in inclyta Basileensium Academia Professoris Ordinarii, ac pro tempore Decani Theologicae facultatis dignissimi, Praeceptoris sui perpetuo colendi
Ad 11. diem Mensis Augusti,
Loco solito ac horis consuetis publicè discutiendas proposuit
M. PETRUS CHRISTIANUS MÜLHUSINUS.

Anno M D CIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0614
DFG

VIRIS VIRTUTE, PRUDENTIA, AUCTORITATE, ERUditione ac pietate præstantissimis

Dn. JOHANNI KLÖTZLIO
Dn. RODOLPHO EHRSAM
Reipublicæ Mülhusinæ Consulibus Amplissimis, affinibus suis plurimùm colendis.

Dn. JOAN. GEORGIO ZICHLIO Archigrammateo dignissimo.

Dn. DAVIDI ZVINGERO
Dn. M. BASILIO LUCIO.
Dn. JOHANNI LINDIO
Dn. JACOBO MARTINO
Ecclesiæ Mülhusinæ Pastoribus fidelissimis, ac Verbi Dei præconibus vigilantissimis.

Fautoribus ac Mecænatibus omni observantiæ genere sibi perpetuò colendis gratiam ac pacem Christi precatur

QVàm verum sit, quod Gentium ille Apostolus 1 Cor. 2. 14. dicit, Ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ· μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστιν, καὶ οὐ δύναται γνῶναι, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται, etiam in hoc de REGENERATIONE nostra negotio manifestissimè elucet, siquidem non tantùm inferioris coram hoc mundo sortis homines, sed etiam sapientes hujus mundi, an homo regenerari possit dubitent, & quid Regeneratio nostra sit nesciant, ut id ex colloquio Christi cum Nicodemo Ioan. 3. ha-

bito clarissimè liquet. Huic quin etiam rei testimonium perhibet beatissimus ille Martyr Cyprianus Epist. suarum Lib. sec. Epist. sec. his verbis. *Ego cùm in tenebris atque in nocte cæca jacerem, cumque in salo sæculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuò posset, utq; in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat exponeret, corporis licet manente compage hominem animo ac mente mutaret.* Quæ cùm ita sint, agnoscamus quã atra rubigine mẽs nostra infecta, quantaq; caligine obfuscata sit, nisi Deus oculos ejus aperiat; & cum Cypriano dicamus, Dei est, inquam Dei est, omne quod possum⁹, inde vivimus inde pollemus. Agamusq; tũ pro hoc tũ pro aliis innumeris beneficiis, clementissimo Patri gratias ex toto corde, eumque oremus, ut nos regenerare pergat, donec tandem in altera vita perfectè regenerati fuerimus. Cęterùm cur has Theses ad publicam disputationem à me propositas, Nomini vestro, Viri Prudentiss. Reverendi & Clarissimi inscribam, inter alias causas non minima est, quod de Patriæ meæ Repub. tum Politica tum Ecclesiastica haud vulgariter benè meriti sitis: faxit Deus, ut in pace & tranquillitate, utrunque regimen ad gloriam divinæ majestatis & Ecclesiæ salutem diu administrare queatis.

Valete.

E. V. ex toto animo subjectiss. & addictiss.
Petr. Chr. P. M.

THE-

THESES THEOLOGICAE DE REGENERATIONE Hominis.

I.

CVM homini in his terris degenti, in quo per infeliciſſimum primorum parentum noſtrorum lapſum, nobiliſſima Dei imago miſerè ac turpiter corrupta atque labefactata eſt, maximè curandum ſit, quomodo in regnum Dei introire idq; videre poſſit, is verò niſi regenitus ſit, in illud introire nequeat. Joan. 3. 3. & 5. de *Regeneratione* aliquid, his Theſibus breviter proponere mihi viſum eſt.

2. Dicitur Græcis Παλιγγενεσία Tit. 3. 5. Matthæi 19. 28. Latinis verò *Regeneratio* à regenerando, hoc eſt, rurſum generando, non quidem quòd homines naturali propagatione renaſcantur (inconveniens enim foret arbitrari, nos quò ad hanc vitam ſæpiùs naſci. Johan. 3. v. 4, 5.) ſed quòd credentes, in Chriſto per gratiam ſpiritualiter regenerentur. Hæc quoque Ανακαίνωσις τῦ νοὸς, Renovatio mentis, Rom. 12. 2. καὶ Ἁγιασμὸς Πνεύματος, Sanctificatio Spiritus. 1. Pet. 1. 2. appellatur.

3. Sumitur autem nomen *Sanctificationis* noſtræ dupliciter. Primum *latè* pro tota noſtra ſalvatione ſeu beatificatione: quando nimirum ita ſanctificamur, ut quemadmodum

imputatâ nobis Christi justitiâ, plenè coram Deo justi, non in nobis, sed in ipso, cui per fidem uniti sumus, censemur. Roman. 5. 19. ita quoque imputatâ nobis ipsius perfectissimâ sanctitate plenè sancti, ac proinde Patri accepti, non in nobis, sed in Christo censeamur. 1. Cor. 1. 2. & 30. Secundò *strictè* pro altero illo beneficio, quod Electi vocati à Deo consequuntur, quando scilicet istius purissimæ, quæ in carne Christi est, sanctitatis vis & energia, Spiritu sancto id in nobis operante, in nos usque ita promanat, ut ipsi in nobis sanctificemur, hoc est, ab inquinamentis hujus mundi segregati, spiritu & corpore Deo serviamus. Ezech. 11. 19, 20. & 36. 25, 26. Ephes. 5. 26.

4. Est verò *Regeneratio* beneficium Dei, ex multa Patris misericordia in Christo nobis collatum 1. Pet. 1. 3. per quod nostra corrupta natura ad imaginem Dei 2. Petr. 1. 4. virtute Spiritus sancti, Tit. 3. 5. renovatur.

5. Hujus *Causa Efficiens principalis* est Deus. Joan. 1. 13. & quidem Deus Pater. Rom. 8. v. 11. Coloss. 2. 12, 13. ac Filius mediatè. Ephes. 5. 26. Tit. 2. 14. & Spiritus sanctus immediatè corda nostra renovando, hoc beneficium nobis conferens. Joan. 3. 5. 1. Cor. 6. 11.

6. *Causa* illius *impulsiva* duplex est; προηγουμένη quam internam, & προκαταρκτικὴ quam externam vocant. Hęc est intercessio, satisfactio, meritum & oblatio Christi semel facta. Roman.

man.6.11.Col.2.11.Hebr.10.10. Illa verò est gratuita Dei misericordia ac benevolentia, quâ suis Electis vocatis hoc salutis medium confert. 1.Pet.1.3 Eph.2.4,5.

7. Hinc quàm graviter errent manifestissimè apparet, non tantùm *Pelagiani*, qui hominem post lapsum singulari Dei auxilio vi liberi arbitrii sui regenerari posse affirmant: sed etiam *Pontificii*, qui hominem ante *Regenerationem* aliquid boni per se agere asserunt, sicq; bonis suis operibus non minimam Regenerationis nostræ partem attribuunt.

8. Verùm & *causa instrumentalis* duplex reperitur, *Interna* & *Externa*. Hæc, est prædicatio sermonis Dei vivi manentis in æternum. 1.Petr.1.23. per hanc enim Electi fiunt puri. Joan.15.v.3.& sanctificantur. Joan.17.17. Illa verò, est Fides in Christum; per hanc enim purgantur ac renovãtur corda nostra. Act.15. 9. ac Remissionem peccatorum & sortem inter sanctos accipimus. Act.26.18.

9. His non immeritò adjungitur Sacramentum Baptismi, in quo Dei gratiâ Electi, non tantùm *externè* per aquam abluuntur & purgantur, sed etiam *internè* mediante verbo per sanguinem Christi virtute Spiritus sancti emundantur, regenerantur ac sanctificantur. Hebr.9.14.1.Pet.3.21.Tit.3.5. In Sacramentis enim eadem res & substantia quæ in Verbo, Christus nimirum cum suis beneficiis à fidelibus percipitur, & quidem etiam spirituali-

ter, nō autem ex opere operato, ut perperàm *Papistæ* somniant, neq; ex opere operante, sed fide viva in Christum.

10. *Materia in qua* seu *subjectum* propriū Regenerationis, sunt omnes singuli & soli Electi, per Verbum Dei ad æternam vitam efficaciter vocati; nam cùm soli Electi credant, Joan. 10. 26, 27. Act. 13. 48. ac per fidem justificentur. Rom. 3. 28. sequitur etiam solos Electos regenerari, siquidem Regeneratio gratuitam nostram justificationem coram Deo individuo nexu comitatur Roman. 8. vers. 30. 2. Thess. 2. 13. Seu ut Scriptura loqui solet, est Cor sive Animus hominis Electi, Deut. 10. 16. & 30. 6. Jerem. 4. 4. Joël. 2. 13. Rom. 12. 2. 1. Pet. 3. 4. Act. 2. 37.

11. Hinćq; concludimus: I. Regenerationem non omnium esse, quemadmodum nec fides omnium est, 2. Thess. 3. 2. II. Omnes regeneratos esse quoque per fidem justificatos, efficaciter vocatos, ac à mundi jactis fundamentis Electos. Matth. 25. vers. 34. III. Nullis regeneratis quantumvis peccati vires, dum hanc vitam vivunt, in corpore suo experiantur, de sua salute dubitandum esse, cùm perire nequeant. 1. Joan. 3. 9. quemadmodum nec ipsorum Electio irrita fieri. Matth. 24. 24. nec vocatio inefficax reddi 2. Tim. 1. 9. nec fides ab ipsis penitus amitti potest. Rom. 8. 38, 39. Accedit huc, quòd Spiritus sanctus in cordibus ipsorum testatur, ipsos filios Dei esse. Rom. 8. 16.

12. *Mate-*

12. *Materia* verò *circa quam* Regeneratio versatur, seu *Objectum* duplex occurrit, quandoquidem generatio unius sine corruptione alterius fieri non potest: Caro seu Vetus homo, & Spiritus seu Novus homo: illud est tanquam terminus à quo, hoc verò tanquam terminus ad quem. Eph. 4. 22, 23, 24. Col. 3. 9, 10.

13. *Forma* est ipsa mutatio & renovatio mentis, quâ non solùm *Intellectus* noster novâ Spiritus sancti luce illustratur, ut Deum ac Voluntatem ipsius cognoscere possimus: verùm etiam quâ *Voluntas* nostra efficaci er renovatur, ac Spiritus sancti igne sic accenditur, ut quæ Dei sunt, velle & efficere queamus, Phil. 2. 13. Rom. 12. 2.

14. Nec tamen *Regenerationem*, talẽ mutationem esse dicimus, quæ uno momento absolvatur, sed sua initia suosque progressus, quibus in fide exercenda, resipiscentia agenda, ac obedientia præstanda crescit, habere asserimus. Eph 4. 1. Apoc. 22. 11. Id verò non sine singulari Dei auxilio. Joan. 15. 5. 2. Cor. 3. 5.

15. *Finis summus* atque *extremus* est celebratio nominis divini, Deique Patris glorificatio. Matth. 5. 16. Rom. 6. 4. *Subordinatus* est: I. Ut probemus quæ sit voluntas Dei. Roman. 12. 2. II. Ut posthac non serviamus peccato Rom. 6. 6. III. Ut renovemur in agnitionem congruentem imagini ejus qui nos condidit. Col. 3. 10. Eph. 4. 24. IV. Vita æterna Roman. 6. 22. & ut Apostolus Petrus loqui-

tur, Spes viva, hoc est, hęreditas, quę nec perire potest nec contaminari, nec marcescere, nobis in cælis servata. 1. Pet. 1, 3, 4.

16. *Effecta* autem Regenerationis nostræ sunt, Abolitio peccati talis quâ illi resistamus, ne nobis dominetur. 1. Joan. 3. 9. Sanctimonia vitæ nostræ vera. Rom. 6, 22. Ephes. 4. 24. Vivificatio mortalium corporum nostrorum. Roman. 8. 11. Libertas à Lege, quoniam qui Spiritu ducuntur, liberi sunt, Gal. 5. 18. Fructus item ipsius Spiritus, Charitas nimirum, gaudium, pax, & ceteri omnes, quos Apostolus Gal. 5. 22. enumerat.

17. *Antecedentia* nostræ Regenerationis sunt, Præscientia Dei, Prædestinatio, Vocatio, Justificatio, hanc etenim Regeneratio, quam Apostolus sub Glorificatione comprehendit, sequitur: siquidem hæc omnia, ut annuli, in eâdem catena invicem cohærent, ac inseparabili nexu se invicem comitantur. Rom. 8. 29, 30. Idcircò etiam Petrus Regenerationem pro testimonio Electionis adhibet. 1. Pet. 1. 2.

18. *Adjuncta perpetua* Regenerationis sunt, spiritualis regenerati hominis Militia, ac Victoria ejusdem. Illa, est pugna, qua regeneratus contra fraudes Diaboli, pessima mundi exempla, propriæque carnis irritationes indesinenter pugnat, eisq; fortiter resistit, Roman. 7. 8. & seqq. Hæc verò, est pugnæ eventus, quum regeneratus insidias Diaboli, mundi ac propriæ carnis per Christum vincit. 1. Johan.

han.5.4. Roman.16.20. 2. Corinth.2.14.

19. Ex his apparet, Electos etsi regeniti sint, à lucta tamẽ Spiritus cum carne minimè liberos esse, inprimis verò cùm teste Apostolo *Caro adversus Spiritum concupiscat, & Spiritus adversus carnem, hæcq; inter se opposita sint, ut non quæcunq; voluerimus, eadem quoq; faciamus.* Gal.5. 17. Idem testantur quoque exempla Abrahami, Davidis, ac aliorum sanctorum, ut Petri Apostoli. Joan.21.18. Imò ipsius Apostoli Pauli, quem tamen regenitum fuisse constat; Roman.enim 7.19. dicit, *Non facio bonum quod volo, sed malum quod nolo.* Item vers.32. *Delector Lege Dei, quo ad interiorem hominem, sed video aliam Legem in membris meis, belligerantem adversus Legem mentis meæ, &c.* In hanc sententiam scribit etiam Beatus Augustinus, lib. sec. contra Julianum dicens: *Lex ista peccati & remissa est Regeneratione spirituali, & manet in carne mortali.*

20. Hinc toto cælo errare manifestissimè videmus, non solum *Anabaptistas*, qui Regenerationem in hac vita perfectam esse somniãt: sed & *Novatianos*, qui lapsos post Baptismum fideles remissionem peccatorum impetrare posse negant.

21. Nos aũt concludimus Regenerationem nostram in hac vita tãtùm esse inchoatam, ac indies magis atque magis crescere debere. 2. Cor.4.16.Rom.6.5. Eph.4.15. donec tandem in futura vita plenè perficiatur.1.Johan.3.2.1.Corinth.15.49. ubi erimus constantes ut Angeli. Matth.22.30.

22. Causæ verò hujus imperfectionis sunt, I. ὀλιγοπιστία nostra seu *incredulitas*, quâ quantum in nobis est, Spiritus sancti ἐνέργειαν in nobis impedimus. II. ἐπιθυμίαν κακὴν, *Bonum enim* (ut B. Augustinus ait) *non perficitur, nisi dum abs sunt à nobis prava desideria, quæ quam diu nos infestant, & opera nostra comitantur, ea non modò remorari, verùm etiam vitiare & corrumpere solent, ne verè bona & sancta censeri possint.*

23. Nec tamen imperfectio hæc saluti Electorum quicquam detrahit, I. quia sanctificatio Christi plenissima & integerrima intervenit, illisque imputatur, II. quia illi qui Spiritu ducuntur, non ampliùs sunt sub Lege, quæ imperfectionem hanc damnat Gal. 5. 18. III. quia nulla est iis, qui sunt in Christo Jesu damnatio Rom. 8. 1. IV. quia non ipsi, sed peccatum, quod in ipsis habitat, malum perpetrat. Rom. 7. 20. V. quia peccatum illis dominari non potest, Rom. 6. 14. Quod ut non regnare admittamus in mortali nostro corpore, seriò nos admonet Apostolus; Ibidem Vers. 12.

24. Cæterùm his & similibus locis non abutendum est, ut iis turpiter abusi sunt *Anabaptistæ* quidam; qui in manifestissimis quoque & fœdissimis peccatis ac flagitiis deprehensi, non se, sed carnem ista fecisse respondebant, ut se ab omni peccato immunes esse probarent. Nam cùm consultò quis peccat, totus homo peccat, sicque secundùm carnem incedit,

dit, quod non faciunt ii, qui sunt in Christo Jesu, Rom. 8. 1.

25. *Cognata* Regenerationi est Justificatio: nequaquam verò eadem est cum Justificatione, licet ab ea sit inseparabilis.

26. *Consequentia* sunt bona nostra voluntas & actiones Phil. 2. 13. Patefactio glorificationis nostræ, cùm Christus patefactus fuerit. Col. 3. 4. ac tandem vita cum Christo. Roman. 6. 8.

27. *Repugnantia* denique sunt, I. Reprobatio, quâ filios perditionis Deus ab Electis separavit, ac justissimè ad mortem æternam destinavit, Roman. 9. 13, 22. II. Obcæcatio, quâ Deus reproborum oculos obcæcat, ut videntes videant, & non cernant. Luc. 8. ver. 10. Act. 28. 26 2. Cor. 4. 4. Et induratio, quâ Deus in cordibus reproborum efficit, ut non solum mysteria ipsius non intelligant, ne convertantur, atq; salventur. Jesa 6. 9. Rom. 11. 8. Joan. 12. 40. sed etiam ut pertinaciter resistant voluntati divinæ. Roman. 9. 18, 19. Carnis denique opera, quæ sunt adulterium, scortatio, impuritas, protervia, imò illa omnia, quæ Apostolus Gal. 5. 19. 20, 21. recenset.

28. *Partes* autem Regenerationis duæ sunt, *Mortificatio veteris hominis, & Vivificatio novi.* Psalm. 34. 15. Roman. 6. v. 8, 11. 2. Corinth. 4. vers. 16. Ephes. 4. 22, 23, 24. Colos. 3. 5, 8, 9, 10. 1. Corinth. 5. 7. Cùm enim Regeneratio non minùs quàm Generatio sit mutatio, & ad o-

mnem mutationem duo termini necessariò requirantur, *à quo* nim: & *ad quem:* etiam Regenerationem sine terminus illis esse non posse sequitur. In locum itaq; termini à quo, *Mortificatio* hominis veteris, in locum verò termini ad quem *Vivificatio* novi constituitur, ficque hæ duæ Regenerationis partes extruuntur.

29. Nec quicquam impedit, quòd hæ partes etiam Resipiscentiæ tribuantur, cùm diverso id fiat sensu. Resipiscentiæ enim tribuuntur *passivè*, hoc est, ut passiones hominis resipiscentis, qui mortificatur & vivificatur, cùm homo is sit, qui resipiscit. Regenerationi verò *activè*, hoc est, ut actiones Dei mortificantis & vivificantis, sicut Regeneratio est actio Dei. Si itaque primum conversionis motum spectemus, homo, tantùm ut subjectum, hoc est merè passivè se habet, quoniam ex se nihil omnino confert, sed sola Spiritus sancti operatione novas illas qualitates accipit. Secundum verò conversionis motum, quo regenitus est, si spectemus, se nõ tantùm ut subjectum, sed etiam ut instrumentum operationis divinæ, hoc est, non tantùm passivè, sed & activè, à Spiritu sancto tamen actus, se habet, 1. Cor. 15. 10.

30. Ceterùm nec quicquam contra nos argumenta *Bellarmini* concludunt, quibus hominem merè passivè se habere in præparante gratia, ac primo conversionis motu negare conatur, Libro de pœnit. sec. cap. sec. Nam cùm

cùm Voluntas hominis libertate eligendi bonum orbata, & peccati atque miseriæ serva ac captiva facta sit per peccatum. Johan. 8. v. 34. quin per se, & suâ naturâ non semper peccet fieri nequit. Matth. 7. 18. Hinc rectè Bernardus ait, *Voluntas est quæ se cùm esset libera, servam fecit peccati, peccato assentiendo: Voluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet voluntarie serviendo.* Veriſſimè quin etiam Auguſtinus Lib. de Natura & Gratia cap. ſexageſ. ait, *Nullo modo, niſi adjuvante gratia Salvatoris Chriſti crucifixi, & dono Spiritus ejus, vel quoslibet ad pleniſſimam perfectionem, vel quemque ad qualemcunque profectum veræ piæq; juſtitiæ pervenire, qui negaverint, neſcio utrum rectè poſſint, in qualiumcunque Chriſtianorum numero deputari.* Viderit ergo Bellarminus, quomodo ipſe, dum alios hæreticos appellat, & è Chriſtianorum numero excludit, etiam in qualiumcunque Chriſtianorum numero deputari queat.

31. *Vetus homo*, qui & externus homo. 2. Corinth. 4. verſ. 16. appellatur, eſt totus homo nondum regeneratus, quantus quantus eſt, intus & foris peccato & morti ſubjectus. Nec huic repugnat, quod idem *Caro* vocetur. Johan. 3. verſ. 6. Rom. 8. v. 6. ſiquidem per carnis vocabulum, non carnea illa corporis moles, ſed totius hominis, & animæ & corporis vitioſa ac non regenerata natura intelligitur. Primò enim carni tribuitur φρόνημα, quod in ſolum corpus absque anima non competit,

Rom.8.7. Deinde dicit Apostolus, *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, Vers.8. Si itaque per carnem intelligitur corporis moles, tunc ii qui in corpore vivunt, Deo placere non possent, quod absurdum esse exempla sanctorum testantur. Rectè itaque de hoc dicto Augustinus Libro de Natura & Gratia cap. decimoseptimo sic loquitur, *Sapientiam quippe carnis dixit, non sapientiam desursum descendentem, & in carne esse, non eos, qui de carne nondum exierunt, sed eos qui secundùm carnem vivunt, significatos esse manifestum est.*

32. Fructus autem hominis veteris non sunt nisi mali. Gen.6.5. & 8.21. Matth.15.18. Nam arbor mala, non potest ferre bonum fructum. Matth.7.17,18. Et opera carnis omnia sunt pessima, quæ Gal.5.19,20. enumerantur, quippe quæ nos arceant ab hæreditate regni Dei, Vers.21. nobis mortem concilient. Roman.8.6 13. Quapropter hæc nobis studiosè cavenda sunt, quod fit per Mortificationem veteris hominis.

33. Est autem *Mortificatio veteris hominis*, prima Regenerationis nostræ pars, quâ Spiritus sanctus justificatis donatus peccatorum vim paulatim in illis debilitat, interimit ac extinguit, ne amarissimos fructus edat. Roman.6.2,3,4,5. Joël.2.13. Col.3.3. Gal.5.24.

34. Huicq; spirituali Mortificationi, conjuncta esse debet spiritualis quoq; *sepultura*, ita ut postquam semel cœpimus resistere operibus car-

bus carnis, non redeamus ad inquinamenta mundi, sicut canis ad vomitum, & sus lota ad volutabrum cœni revertitur, sed ut Mortificationis progressus per hanc sepulturam continuemus. Hæc ex sepulturæ Christi virtute provenit, ut *Mortificatio* nostra ex efficacia Mortis Christi promanat. Rom. 6.4.

35. Hæc autem Mortificatio non tantùm externa, quæ hypocritica est, sed etiam interna esse debet; cùm corda nostra, non vestimenta scindere, nos Deus jubeat. Joël. 2.13. & actiones corporis spiritu mortificare nos deceat, Roman. 8.13. Unde plurimùm fallunt & falluntur *Monachi*, qui mortificati videri volunt, eò quòd cucullati, aut nigris ciliciis induti incedant, & ligneis calceis utantur, incurvatis cervicibus terram spectent, funibusque nodosis cingantur, humi cubent, & alia hujus generis à communi hominum usu prorsus aliena faciant.

36. Porrò *Novus homo*, qui & interior homo à Paulo. Roman 7.22. & à Petro occultus homo cordis. 1.Pet.3.4. nominatur, est natura hominis regenerata, quæ ad imaginem Dei instauratur. Ac etiamsi hic, Johan. 3.6. *Spiritus* appelletur, non tamen de anima duntaxat accipi debet, cùm totus homo spiritualis intelligatur, qui ideo Spiritus appellatur, ut natura ipsi9 perênis, pura ac immortalis significetur.

37. *Vivificatio*, est secunda Regenerationis nostræ pars, quâ per Spiritum sanctum jam

ex parte renovati, in Deo lætamur. Jes. 57. 22, 23. Roman. 14. 17. opera ipsi grata facimus, & totam vitam nostram ad voluntatem Dei cõponimus. Gal. 2. 19, 20. Eph. 4. 23, 24. Tit. 2. 12. Johan. 5. 21, 23.

38. *Vivificationis* rursus duæ partes sunt, *Consolatio conscientiæ*, & *Gubernatio spiritualis*. Quarum illa est vera conscientiæ lætificatio, per Christum fide purificato corde Psalm. 51. 10. 14. Jesa. 61. 1. & 49. 13. Rom. 5. 1. & 8. 6. 15. Matth. 5. 4. 2. Thess. 2. 16. Hæc verò est beneficium, quo Deus regeneratos Spiritu suo ducit, ut ipsi vivant, ac novâ vitâ ambulent, Roman. 6. 17, 18. & 8. 9, 37.

39. Cùm verò per Veterem hominem, non tantùm carnea corporis moles, & per novum non tantùm anima, sed per utrunque, ut ex *Thesi 31 & 36* constat, totus homo intelligatur; sequitur & corpus & animam regenerari oportere. 1. Thess. 5. 23. 1. Cor. 6. 20.

40 Regeneratur autẽ *Anima*, quando Animæ facultates, per Spiritum sanctum ad novam vitam renovantur, Tit. 3. 5. Gal. 4 6.

41. Hæcque Animæ Regeneratio duabus constat partibus, *Illuminatione* nimirum & *dono Resipiscentiæ*. Nam cùm Anima nostra tota corrupta sit, Rom. 1. 21. Eph. 4. 18. totaq; indigeat renovatione: illius verò duæ sint partes *Intellectus* & *Voluntas*, utramq; regenerari necesse est; Intellectum quidem Illuminatione, Voluntatem verò Resipiscentiâ.

42. Illu-

42. *Illuminatio* est prima Regenerationis animæ pars, quâ Deus mentem nostram illuminat, Psalm. 119. 18. Joan. 1. v. 9. dispulsis tenebris Luc. 1. 79. vera cognitione adipiscendi æternam salutem, Ibidem Vers. 77. Col. 3. 10. Sic namque Deus nos ungit, obsignat, & indit Arrhabonem Spiritus in cordibus nostris. 2. Corinth. 1. 21, 22.

43. Hujus illuminationis duæ sunt partes, *Sapientia* & *Prudentia* spiritualis. Illa est cognitio salutaris fidei ac mysteriorum salutis Roman. 16. 19. Eph. 1. 17, 18. Coloss. 1. 9. 28. cum fiducia in Christum conjuncta. Coloss. 2. v. 2, 3. Hæc verò est salutaris cognitio rerum Lege Dei præceptarum vel vetitarum, cum illarum studio, harum autem fuga conjuncta. Luc. 1. 17. Ephes. 5. 17.

44. Resipiscentia altera pars Regenerationis animæ, est quâ fit alteratio animi è malo in bonum. Ezech. 11. 19. Act. 26. 20. orta per fidem ex dolore secundùm Deum. Matt. 26. vers. 75. Luc. 15. v. 18. 2. Cor. 7. 10. virtute Spiritus sancti per meditationem Legis, & prædicationem Euangelii. Psalm. 1. 2, 3.

45. Hæcq; de Regeneratione Animæ dicta sufficiant, sequitur de Regeneratione Corporis. Est autem hæc renovatio talis, quâ corpus redditur obediens spiritui regenerato, ut Dei exsequatur voluntatem, & hostia viva sancta Deoque accepta exsistat. Roman. 12. 1. 1. Thessal. 5. vers. 5. 23. Hinc corpora sanctorum

Templa Spiritus sancti appellantur. 1.Cor.6. vers.19.

46. Cæterùm & ad hanc Regenerationem duo sunt necessaria: *Primò* ut affectus dementur, quò rationi regeneratæ obtemperare possint. *Secundò* ut omnia membra corporis rectè regantur, ne à residuis pravis cupiditatibus impulsa, aliquid contra *Intellectus* ac *Voluntatis* regeneratę consensum, faciant ac perpetrent. Quæ cùm ex nobis ipsis facere non valeamus 2.Cor.3.5. Deum exemplo Apostoli oremus, ut nos totos sanctificet, ut integer noster spiritus, & Anima & Corpus inculpatè in adventum Domini nostri Jesu Christi serventur. Huic sit laus, honos & gloria in æterna secula.
Amen.

THE-

THESES THEOLOGICÆ

DE

ECCLESIA CATHOLICA:

QUAS

DEO *Favente*

Præside

Viro Celeberrimo & Reverendo

D. D. AMANDO POLANO

A POLANSDORF, SS. THEOLOGIÆ Doctore, Professore Ordinario, & pro tempore Facultatis Theologicæ Decano spectabili in inclytâ Rauracorum Academiâ, Præceptore suo unicè observando, defendit

Kal. Septembr. Anno CIↃ IↃ CIII.

Horâ & loco solitis

JOANNES ARNOLDUS

Lugduno-Batavus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0633
DFG

AMPLISSIMO, PRUDENTISSIMO, MULTAQ. rerum experientia præstantissimo

INCLYTAE REIPUB. LUGDUNO-BATAVAE SENATUI, tum Politico, tum Ecclesiastico, Patronis & Fautoribus suis omni observantiâ colendis:

THESES HAS THEOLOGICAS

DE ECCLESIA CATHOLICA

In debitæ observantiæ testimonium

L. M. Q.

D. D. D.

Joannes Arnoldus Lugduno-Batavus.

THE-

THESES THEOLOGICAE
De
ECCLESIA CATHOLICA.

Thesis 1.

DE Ecclesiâ dicturi duo præcognoscimus, quod sit & quid nominis: Est autem Ecclesia, si fœdus Dei, gratiæ ipsius nunquam desinenti, Verbo promissionis nunquam fallenti innitens, ratum est: si Christus æternus, æternùm est Rex, Caput, Pastor, Sponsus: si per ipsum, ut secundam deitatis personam, omnia creata, ut Mediatorem θεάνθρωπον sint redemta electionis membra. Neque enim fœdus ullum sine confœderatis, Rex sine subditis, Caput sine membris, Pastor sine grege, Sponsus sine sponsa ut sit, fert natura τῶν πρός τι: neque ut Deus sine suo frustretur, omnipotens sapientia ipsius; finis autem creationis, & redemtionis est electorum salus; salvandi sunt Ecclesia.

2. Vox autem Ecclesiæ à Verbo ἐκκαλεῖν, prout & concio à conciendo, propriè cœtum evocatorum notat, & quidem ordine & causis certis; quâ significatione apud Athenienses fuit celebris, quibus cœtus, qui voce præconis ad audienda SCta convocabantur, ἐκκλησίαι dicebantur. κατ' ἐξοχὴν autem ad res sa-

cras, humanas omnibus modis superantes, traducta, ex Sacræ Scripturæ usu, designat cœtum eorum qui à Deo in Christo ad vitam æternam vocantur: sumiturque, vel absolutè, pro omnium fidelium evocatorum communione, Matth. 16. 18. Ephes. 1. 23 5. 2. vel synecdochicè pro parte illius: sive triumphante, Ephes. 5. 27. sive militante, 1. Timoth. 3. 15. Act. 5. 11. imò & specialius pro huius alterâ integrâte primariâ parte oppositè, scil. vel πρεσβυτερίῳ quod præest communi, & quia illud instituto & ordine publico repræsentat, Ecclesia repræsentativa dicitur, vel πιμενίῳ, quod subest.

3. Nos agimus de eâ ut absolutè sumitur, & Catholica propriè dicitur: etenim etiam aliàs secundùm quid & comparatè considerata, synecdochico, imò & καθ' ἐξοχὴν loquendi modo, quâ universitate hominum, & quidem eorum qui hîc in terris degunt, constat, eodem nomine insignitur. *Definimus autem, cœtum electorum, quos Deus in Christo vocatione gratiosâ & salutari è conditione naturæ, tùm naturali, tùm corruptâ, ad statum supranaturalem æternùm obtinendum, hoc est, Vitæ æternæ in communione Christi æternam participationem evocat, ad gloriam suam.* Hanc in causas retextam excutiamus.

4. *Causa Efficiens principalis* Ecclesiæ Catholicæ, est idem, qui omnis boni in naturâ & gratiâ principium est, Deus Pater, in Filio, per Spiritum Sanctum: prout puta omnes opera-

operationes divinæ quæ foris perficiuntur, trium personarum communes sunt; sic & Ecclesiæ creatio & collectio (utroque enim hoc modo Catholica Ecclesia constituitur) servato eodem qui in cæteris agendi ordine. κατ' οἰκονομίαν tamen, non solùm Patri, ut principio & fonti, ut divinitatis, sic divinarum actionum omnium, & harum; Spiritui Sancto, ut formali communionis membrorū, cum Deo in capite suo vinculo; sed etiam Filio, ut conservationis creatæ, & collectionis deperditæ Ecclesiæ fundamento, convenit specialiter: In ipso enim electi Angeli, ne labantur, homines lapsi integritati restituti, ne relabantur, consistunt. Unde non solùm Deus communiter, ut rerum creatarum omnium, sic etiam Ecclesiæ, quâ creata est, ordine naturæ caput est & dominus; sed etiam Christus, secundùm dispositionem voluntariam & divinam gratiæ ordinationem, singulariter; quâ ipsam, ut corpus sibi à Patre adaptatum, in mysterio per spiritus efficaciam adunit.

5. *Materia ex qua* Ecclesia Catholica constituitur, sunt omnes & soli prædestinati, ad vitam vocati efficaciter, Angeli electi & homines reconciliati. Illi in cælo sunt omnes, perseverantiâ in integritate donati, & à mutabilitate supra naturam à Deo in Christo capite per adoptionis efficaciam gratiosè vindicati: horum aliqui in cælum sunt recepti, & vitam perfectè participant; aliqui hîc in ter-

ris degunt, nondum vitâ perfectè informati, suo tamen modulo à capite eam haurientes, donec, per afflictiones satis probati, ad promissam perfectionem evehantur, & sanctis, jam consummatis, & Deo perfectè consecratis, adsocientur. Utrique vera & viva membra Christi sunt, & per spiritum ipsius in se habitantem communionem cum ipso habent: is enim ipsos corporis ipsius complementum, Dei habitaculum, Unum cum Christo, Unũ in Christo & per Christum cum Deo efficit. Utrique ad communionem istam vocati sunt Vocatione duplici, naturali unâ, alterâ supranaturali, utrâque gratiosâ, & ad Ecclesiæ rationem requisitâ; cùm secunda, quæ nũquam est sine primâ, requiratur maximè. Angeli autem, quia nullius mutationis malum experti, immutabiles facti, in suâ vocatione perstant, ex electione non vocantur amplius; homines (dum in terris degunt) quia mutabiles, intus per spiritum, foris per verbum, vocatione gratiæ efficace vocantur continuè.

6. Nulli itaque hîc reprobi, qui ex carne, non ex Deo nati sunt; ex Deo verò qui natus non est, Christi non est, quia Christus est Dei; qui Satanæ spiritu aguntur, & spiritu Christi destituuntur; spiritum verò Christi qui non habet, non est ejus, Rom. 8. 9. nec habitat in ipso: hinc enim scimus, ipsum in nobis & nos in ipso habitare, quia nobis dedit de spiritu suo: qui putrescunt & pereunt, quia perdun-

tur

tur à Domino suo, perditionis patre; Christus verò non perdit quenquam ex membris suis, Johan. 6. 39. sed, vitam etiam in minutissima diffundens, servat singula, & in unum corpus coagmentata, æternùm sibi gloriosa sistit, Eph. 5. 23. Ex adverso omnia extra eam sunt putida, reproba, & damnationi proxima; nullius extra eam Deus singulari modo pater est: nullus enim Deum habet hoc modo patrem, qui non habet Ecclesiam matrem, ut ait Cyprianus; nulla salus, nullum salutare donum; ut in quâ solâ Christus dominatur per sanctificationis spiritum. Ideoque bene arcæ Noachi, in qua sola servemur, & extra quam constituti diluvio necessariò pereamus, à patribus comparatur.

7. Pro reprobis tamen sine differentia habendi non sunt, qui ab externa Ecclesiæ visibilis communione excommunicantur, sive injustè, sive justè: Ex iis enim qui electi sunt, etsi à particulari aliqua Ecclesia, ut ad resipiscentiam adducantur, abscindantur; ab Ecclesia tamen Catholica, & interna communione cum Christo, penitùs avulsi esse, propriè dici non possunt; cùm excommunicatio, non Catholicæ, sed particularis Ecclesiæ censura sit: imò etiam semper Ecclesiæ excommunicantis interlocutoria est sententia, à Voluntate Dei pendens, & resipiscentiæ conditionem annexam habens. De quibusdam non baptizatis externè, si internè, spiritu & igne

purgati, Christo insiti sint, idem esto judicium.

8. *Forma essentialis* Ecclesiam Catholicam constituens, est ἀνακεφαλαίωσις ipsius, hoc est, conformatio illius per spiritum cum Christo in membris omnibus & singulis, & per Christum ordinatio ad Deum. Etenim, ut Spiritus omnes electos in communionem unius corporis mystici inter se & Christo unione mystica, & spirituali unit; sic Christus eosdem unit Deo, ut jus primogenituræ, & dignitatem filiorum Dei adepti, ipsius communione æternùm fruantur perfectè, cùm ipse omnia erit in omnibus, omnia in ipsis, & ipsi omnia in ipso.

9. Forma autem secundùm diversam materiæ conditionem, aliter atque aliter se habet: in ea enim materiæ parte quę in cælis est, & carnis omnes infirmitates exuit, perfecta est modis omnibus: in ea quæ hîc in terris est, vera est; sed nondum perfecta, prout ea semper aliquid terreni & carnis habet; perficitur tamen successivè indies gradibus variis. Secundùm hanc formæ in diversis materię partibus diversitatem, duo exurgunt modi quibus Ecclesia distinguitur; alter imperfectionis, sed ad perfectionem tendens, alter perfectionis; seu, alter perfectionis inchoatæ, alter consummatæ; qui quidem diversis partibus Ecclesiæ conveniunt, ille ei quæ in cælis, hic ei quæ in terris est: Unde hæc in facto esse, illa in fieri

in fieri, pro ratione modi sui, esse dicitur: modus enim perfectionis complemēti est & consummationis, modus imperfectionis initii & progressus. Hoc quæ modificatur Ecclesia, militans, quæ illo, triumphans dicitur: illa militat cum imperfectione, & perfectionem pro viribus impedire conantibus, intus & foris; intus, cum carne & infirmitatibus ejus, foris, cum Satana & pravis mundi exemplis: hæc super devictis internis & externis hostibus, in spiritu capiti perfectè conformata, triumphat.

10. Porrò materia & forma Ecclesiæ Catholicæ quas dedimus, quia essentiales sunt, internæ sunt. Hinc est, ut & hoc etiam ei accidat, quod invisibilis sit harum ratione, neq; oculis corporis cerni possit à nobis; tum in se absolutè considerata, tum respectivè in partibus suis: hoc tamen respectu aliquo modo & secundùm quid visibilis est. In se considerata invisibilis est, quia, quà talis, universalis est, utpote universitatem omnium, quos Deus in cælo & terra ἀνακεφαλαιοῖ, complectens: Universale autem qua tale, intellectus objectum est, non sensus. Invisibilis etiam est considerata in utraque parte, quà secundùm substantiam suam in communi ratione Ecclesiæ communiter convenit secundùm hanc essentialem materiam & formam. In triumphāte preterea singulariter, quà ea in cælis est à conspectu hominum remota. Visibilis est per acci-

dens in parte hîc in terris à Domino ad Dominum peregrinante: illa puta, licet etiam ratione materiæ & formæ internæ sit invisibilis, quatenus membra electionis in ipsa latentia, eorumq; cum capite communio sensuum judicio definiri non possunt; visibilis tamen fit secundùm materiam & formam suam externam in particularibus, in quæ tribus per istas proprietatibus visibilibus afficitur, quatenus homines & externa πολίτευα videntur.

11. Hinc est, licet invisibilitas sit Ecclesiæ totius absolutè consideratæ, & utriusq; partis ratione essentialis materiæ & formæ communiter, quod, quia soli triumphanti etiam singulari ratione convenit, soli verò militanti visibilitas accidit, Ecclesia in invisibilē & visibilem distinguatur, ratione secundi hujus accidentis & modi; invisibilitate synecdochicè triumphanti parti attributa. De hoc autem accidente visibilitatis, causis ipsius & natura, iisq; in quibus secundum hoc accidens à communi Ecclesiæ Catholicæ & essentiali ratione militans variat, nunc non agimus: hoc tantùm adjicimus, Ecclesię militantis universitatem per totum orbem diffusam, secūdùm partes tantùm comparatè distingui; ratione temporis, in Veterem & Novam, loci, in Ephesinam, Romanam, &c. quantitatis, in frequentem, infrequentem, qualitatis & status, in puriorem, impuriorem.

12. Frustra itaque pro Ecclesiæ Catholicę visibi-

visibilitate pugnat Pontificiorum gens, Ecclesiam Catholicam absolutè dictam, cum ea quæ sic dicitur καθ' ὑπεξαίρεσιν, confundens, & quod parti convenit per accidens, toti per se asscribens: Scriptura enim eam domum spiritualem, spirituum & animorum unione cum Deo & inter se exstructã, nominat: 1.Pet.2.5. Membra prædestinationis, quæ Ecclesiæ itidem demum vera membra sunt, soli Deo nota esse docet. Unde & nos credere Ecclesiam Catholicam in Symbolo profitemur: Fides autem est τῶν ἐλπιζομένων, ἔλπις τῶν μὴ βλεπομένων: quin imò credimus Ecclesiam Catholicam & sanctam, τὸ καθόλου nõ videt sensus, ut diximus, Sanctitatem, (quæ vera tantùm & quà talis interna etiam est) non discernit; externam etiam venditat hypocrisis.

13. *Finis Ecclesiæ* in definitione expressus, & architectonicus, est gloria Dei, in gratiæ ipsius æterna celebratione: ut enim in omnibus operibus Dei, sic & in hoc extra se nullum alium superiorem finem habet propositum, sed ipse & causa efficiens prima & finis ultimus est. Huic autem subordinatus & propinquus, est electorum salus, si finis dicenda est: Videtur enim magis ad formalem Ecclesiæ rationem pertinere; utpote quæ in communione ipsorum cum Christo, & per eum cum Deo consistit.

14. Secundùm hanc naturam, quam explicamus, certis attributis & titulis insignitur

Ecclesia. Ratione quidem amplitudinis materiæ, quæ nec tempore, nec loco, nec personis circumscripta est; sed omnes complectitur qui in cælo & terra fuerunt, sunt vel erunt vocationis salutaris participes, quâ in familiam Dei adsciscantur, Catholica nuncupatur; quò etiam spectat, quod, quia ex universo genere humano certos Deo procreat, mater omnium nostrûm dicitur. Ratione formæ una dicitur & sancta. Una enim â forma quia informatur, non potest non esse una, principio primo, Deo, formali vinculo, spiritu, capite, Christo, & corpore, cujus membra inter se charitate, cum capite fide unita sunt. Cujus unitatis respectu civitas, domus, & τυπικῶς Jerusalem, &c. dicitur: specialiter respectu amoris mutui ex hac unitate exurgentis, qui est Christi erga Ecclesiam, & contrà, amica, dilecta, &c. Informata in eum quem diximus modum, non potest non esse sancta; non solùm, quia è profano cæterorum hominum grege evocata & Deo consecrata, eum in se habitantem; sed etiam quia in capite suo imputatam, & à capite in se effusam sanctitatem habet: illam in utraque parte perfectam, hanc effectu, tantùm in triumphante, in militante, solùm affectu syncero, quò ea ad perfectionē ardentissimè adspirat, quam ad diem triumphi differt Deus. Hujus autem sanctitatis respectu, columba, virgo casta, pulcherrima, inculpatata, &c. dicitur, & respectu dignitatis

eam

eam concomitantis, regina, glorioſa, &c.

15. Ratione generationis & fundamenti ſui, dicitur Prophetica & Apoſtolica; quatenus fundamento Prophetarum & Apoſtolorum eſt ſuperſtructa, & in veritate doctrinæ ipſorum fundamentum habet. Veritate equidem genita eſt, nititur, regitur, & per rectos fidei & charitatis tramites ducitur Eccleſia; à qua non poteſt recedere, ut in errorem incidat: & quatenus in ſe tota conſideratur (eatenus enim tota Veritas à capite per ſpiritum in corpus diffuſa eſt) & reſpectu triumphantis, quę perfectionem adepta totam Eccleſiæ Catholicæ rationem ſuo modulo complectitur, eſſentiamq́; ipſius pro conditione ſua exprimit: triumphus enim ipſius ſuper infirmitatibus depoſitis, ſolidus & æternus eſt. Verè autem militans, quia, ut ut ad perfectionem tendat, imperfectione tamen laborat, ex reliquiis Veteris hominis ipſi adhærentibus, dum hîc in terris ſub Chriſto pro Chriſto contra ſe ipſam militat; ſpiritusque Chriſti in ea habitans, tantùm pro modulo & cõditione ipſius in ipſa operatur; errare poteſt, & errat variè, malum in moribus agendo, & falſum in doctrina ſtatuendo: ita tamen ut, quà ſalutariter vocati in ea continentur, Veritatem in totum totaliter non deſerat; quippe cùm ſingula membra ipſius in Vocatione ſuâ verâ fide donati ſint à capite ἀμεταμελήτως, eaque ita ei inſiti, ut corporis ipſius integrantes partes

constituant, & caro sint de carne ejus & os de ossibus ejus.

CONSECTARIUM.

Corollarii loco hoc asserimus, De Ecclesiâ Romanâ Pontificiâ (sive Romana propriè dicatur quod Romæ sit, sive quod cum Romanâ illâ Pontificiâ secundùm formam doctrinæ & constitutionis ejus communicet) falsò à Jesuitis asseri, quod ea sola sit vera & Catholica Christi in terris Ecclesia, extra quam nemo servari possit. Argumento sunt natura Ecclesiæ Catholicæ, & conditio Ecclesiæ Pontificiæ inter se oppositæ. Catholica enim Ecclesia, si sumatur propriè, est Universitas quæ in cælo & terra est coagmentata: Universitatis partem quæ in cælis est non complectitur Romana Pontificia. Si synecdochicè pro eâ Ecclesiæ absolutè dictæ parte quæ in terris colligitur, & ei quæ in cælis est paulatim & successivè conformatur; complectitur ex Judæis & gentibus collectam: Judaicam non complectitur Romana Pontificia; communicat cum eâ quæ in cælis perfecta est doctrinæ sanctitate & unitate fidei; Pontificia nequaquam hoc facit. Si strictiori synecdoche pro eâ quæ opponitur Judaicæ; neque Romana Pontificia ejus amplitudinem complectitur; neque enim cum Romanâ Vetere, neque cum iis quæ ad præscriptum Verbi Dei sunt reformatæ communicat. Si κατ' ἐξοχήν pro eâ quæ Catholicæ doctrinæ, omnibus servis suis ubique & semper à Christo præscriptæ, respectu sic

dicitur:

dicitur: Romana Pontificia falsam doctrinam pro verâ, quantum in se est rejectâ, in plerisq; fidei fundamentis tenet, in Veritatem ejusq; alumnos crudelis & inhumana est. Tantum igitur abest, ut extra eam salus non sit, ut majores nostri, cùm ea ita se scortatione Spirituali polluerit, & eos insuper tyrannide spirituali & corporali ipsis impositâ in communione suâ ferre noluerit, bene & secundùm præscriptum Verbi Dei fecerint, cùm ab eâ se separarunt, in quâ sine inquinamento mali communi bono frui non potuerunt.

FINIS.

THEOREMA THEOLOCICUM

Consubstantiationis & Transubstantiationis dogma iisdem argumentis everti & refelli.

DE QVO

Ex Decreto Vener. Ordinis Theolog. Inclyt. Academiæ Basilienſis,

SUB PRÆSIDIO

Reverendi & Clariſſimi Viri

Dn. AMANDI POLANI A' POLANSDORF, SS. THEOLOGIAE Doctoris, & Profeſſoris in Academia Baſilienſi digniſſimi,

Pro ſolenni Doctoratus teſtimonio diſputavit

M. HALOINUS GOTHOFREDUS ULTRAIECTINUS Belga.

Ad diem 3. Septembr. in Auditorio Theologico.

Anno M D CIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0648
DFG

ILLUSTRIBUS
PROVINCIÆ ULTRAIECTINÆ
ORDINIBUS,

Orthodoxæ Religionis, Patriæq; salutis Propugnatoribus fortissimis, Dominis meis Clementissimis
S. D.

Cùm Deo, vobisque, Viri Illustres, visum sit, me ex Academiis evocatum functioni Ecclesiasticæ mancipare; en, voluntate vestra peracta, domum meditor; meq; coram vobis sisto; hoc unum testatum faciens, mihi nihil aliud curæ futurum, quàm ut post Deum Vobis Patriæq; meæ inservire queam: Cùm vos sitis illi, qui me primùm in Illustri Collegio Paulino sub Excellentissimo Viro Domino M. Francisco Meyero, pòst autem in celeberrimis & inclytis Germaniæ Academiis ad humanarum & sacrarum literarum studia liberaliter foviſtis. Oro ego Deum Optimum Maximum, ut vos pro Reip. & Ecclesiæ Filii sui salute excubantes, regat, gubernet, felicitet; quò bellorum & hæresium tumultibus è medio sublatis, ipse uno ore ab electis suis glorificetur.

V. A. Servus addictissimus
M. HALOINUS GOTHOFREDUS
ULTRAIECTINUS
BELGA.

DISPUTATIO INAUGURALIS.

THESIS I.

CHRISTI verba in Sacræ Cœnæ institutione Matth. 26. v. 26. Mar. 14. v. 22. Luc 22. v. 19. & 1. Cor. 11. v. 24. inter cætera hæc sunt: HOC EST CORPUS MEUM. Quæritur autem, an in illis loquutio sit tropica, an propria? Orthodoxa Ecclesia statuit esse tropicam, & panem dici corpus metonymiâ sacramentali, quæ neque subjecto, quod est verus panis, neque prædicato, quod est verum Christi corpus: sed copulæ (EST) dicenda est inesse.

2. Adversarii nostri; Cõsubstantiatores nimirum & Transubstãtiatores ajunt loquutionem esse propriã. sed ex eorum glossis liquet, nequaquam illos eam propriè intelligere.

3. Consubstantiatores dicunt in, cũ, sub pane esse Christi corpus, idq; defendunt eorum alii παντοπια ubiquitate, alii πολυτοπια, id est, corporis Christi præsentiâ in multis locis simul.

4. Transubstantiatores ajunt panẽ converti & transubstantiari in corpus Christi, remanentibus solis accidentib. panis; & istam transubstantiationem fieri à sacerdote cum intentione consecrandi, hæc quinque verba,

HOC

HOC ENIM EST CORPUS MEUM, proferente.

5. Sed utrosque iisdem argumentis refelli αὐτῷ πάσῃ in hac disputatione ostendemus.

6. PRIMA RATIO. Neutri retinent sive verba sive sensum verborum Christi. Verba etenim Christi sunt (HOC EST CORPUS MEUM.) In quibus verbis, (HOC,) est subjectum, & supponit pro pane, quem Christus de mensa sumtum & benedictum distribuit discipulis suis: (CORPUS MEUM) prædicatum: (EST) copula. At Consubstantiatores ajunt (IN, CUM, SUB PANE EST CORPUS MEUM) ubi (CORPUS MEUM) est subjectum, (IN, CUM, SUB PANE) prædicatum. Transubstantiatores dicũt (HOC FIT VEL TRANSUBSTANTIATUR IN CORPUS MEUM.) ubi pro (EST) ponitur (FIT VEL TRANSUBSTANTIATUR,) quod non est servare illud celebre τὸ ῥητὸν, neque τῷ ῥητῷ sensum.

7. SECUNDA RATIO. Utrique affingunt Christo duplex Corpus, visibile & invisibile: Ergo simul errant. Nam idem Christi corpus statuunt eodem momento visibiliter in cælo, invisibiliter in terris in pane. At Orthodoxa Ecclesia, ut agnoscit panem & vinum Domini esse res terrenas in terris visibiliter existentes: ita profitetur cum Irenæo corpus Christi esse rem cælestem, hoc est, in cælo visibiliter existentem, quò corda nobis elevanda sunt, ut eo per fidem potiamur; secundùm il-

lud, quod fidelibus semper acclamatum fuit, SURSUM CORDA.

8. TERTIA RATIO, Utrique Christo affingunt corpus locale & illocale: Ergo simul errant. Sed observandum contrario modo ab illis procedi. Transubstátiatores volunt Christi corpus esse sub specie panis: sed sine occupatione & repletione spatii: Contrà Consubstantiatores, ut obtineant Christi corpus esse IN, CUM, SUB PANE, docent illud occupare terrasque tractusque maris, cælumque profundum.

9. QUARTA RATIO. Utrique erigunt idolum. Ubi enim Christus Corpore suo, ibi adorandus: In pane Christus corpore suo: Ergo in pane adorandus: quod quidem faciunt Transubstantiatores: sed stante consubstantiatione, coguntur idem admittere Consubstantiatores.

10. QUINTA RATIO. Utrique contra sensum disputant; ideoq; flagris magis quàm rationibus indigent. Ajunt Consubstantiatores, CORPUS CHRISTI EST IN, CUM, SUB PANE: Ajunt Transubstantiatores, CORPUS CHRISTI EST SUB SPECIEBUS ET ACCIDENTIBUS PANIS: At neque videtur, neq; tangitur, neq; ullo sensu deprehenditur.

11. SEXTA RATIO, Utrique relatum correlato suo includunt: Consubstantiatores crassiùs per penetrationem dimensionum: Transubstantiatores subtiliùs, per successionem

nem Corporis Christi in locum substantiæ panis, quæ ubi maneat inter ipsos quæritur.

12. SEPTIMA RATIO. Utrique tollunt ἀνάμνησιν, id est, recordationem mortis Christi; obliti nempe ejus, HOC FACITE IN MEI RECORDATIONEM: quod Paulus explicat in hunc modum, *Quotiescunq; de hoc pane comederitis & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec venerit*, 1. Cor. 11. §. 26. Quia ipsi Christi corpus, ut glorioſum considerat: quod tamen in Cœna spectandum, quatenus in mortem traditum.

13. OCTAVA RATIO. Utrique portam latissimam aperiunt Marcioni. Si enim corpus Christi est illocale & invisibiliter in pane; ac interim visibiliter localiterque in cælo, phantasma potiùs & spectrum, quàm verum & naturale corpus videbitur Christus assumsisse.

14. NONA RATIO. Utrique aliud corpus Apostolis in prima Cœna exhibitum: aliud sibi in sua sub pane exhiberi, coguntur fateri. Apostolis enim (posito: sed non concesso, dari Christi corpus in pane) acceperunt mortale & passionibus obnoxium, quale Christus tunc habuit: illi autem accipiunt & accipere se gloriantur, glorioſum, quale nunc est.

15. DECIMA RATIO. Utrique corpus Christi tollunt & abnegant. Statuunt enim sub panis speciebus corpus quantitate & di-

mensionibus carens: Ergo non corpus.

16. Videmus ergo Consubstantiatorum & Transubstantiatorum errores ita consubstantiatos esse, ut, distinctis argumentis eos refutare, necesse non sit. Nos Deum religiosè precamur, ut, erroribus sublatis, Ecclesiam suam & nos in illa, veritate suâ magis magisq; sanctificet. Rationes poterant afferri plures; sed hæ, temporis angustiâ requirente, sufficere visæ sunt.

COROLLARIA.

I. Ut Sacramenta federis inter Deum & homines signa sunt: ita fedus gratiæ ab initio usq; ad finem mundi semper unum idemq; substantiâ est.

II. Infideles corpus Christi non manducant; quod non nisi fide percipi potest.

III. Christus est Mediator noster secundùm utramq; naturam.

IV. Pontifex Romanus est Antichristus ille, qui effert se super omne id, quod dicitur DEUS.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

DISPU-

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

IESV CHRISTO

Ad quam favente Deo

Sub præsidio

Clarissimi doctissimiq; Theologi

D.D. AMANDI POLANI A POLANSDORF, SS. THEOLOGIÆ Doctoris & Professoris, ejusdemque facultatis pro tempore DECANI in almâ celeberrimaque Academiâ Basilienſi, respondit

ABRAHAMUS MELLINUS
Flissingano-Zelandus.

Ad diem 29. Martii horis locoq; consuetis.

Anno CIↃ IↃ CIV.

ERUDITIONE, & CHRISTIANA PIETATE REVERENDIS VIRIS

D.D. JOH. JACOBO GRYNAEO Rectori Magnifico, Ecclesiæ Bas. antistiti,

D.D. AMANDO POLANO à POLANSDORF, Theologicæ facultatis spectabili Decano,

D. M. JOHANNI BUXTORFIO, Hebræę linguæ Professori dignissimo,

Præceptoribus sibi summâ observantiâ colendis

Se suaque studia omnia

Hisce de

CHRISTO

Thesibus

L. M. Q.

Offert, dicat, consecratq;

ABRAHAMUS MELLINUS, Respondens.

IRE-

IRENÆUS.

PATER, qui immensus est, in filio finitus est, quia se ad nostrum captum accommodavit, ne mentes nostras immensitate suæ gloriæ absorberet. Quo dicto nihil aliud sibi voluit, quàm Deum in solo Christo comprehendi: deploratæ enim res nostræ erant, nisi majestas ipsa Dei ad nos descendisset, quandoquidem ascendere nostrum per nos non erat.

THESIS I.

CHRISTUS JESUS est DEUS manifestatus in carne; *a* & verbum caro factum. *b* Qui ut una eademq; & indivisibilis *c* Persona est, ita duas naturas in seipso conjunctas habet, non confusione, aut permixtione substantiæ, sed unitate personæ. Hinc vulgò in Ecclesiis & Scholis circumfertur, quòd in Christo non sit alius atque alius, quamvis aliud atque aliud sit. a *1.Tim.3.16.* b *Johan.1.14.* c *Col.2.9. Hebr.7.16.*

2. Ideo etiam omnes Christi actiones ejus hypostasi seu personæ competunt, quia duæ naturæ non seorsim & per se subsistunt, eoq; nec separatim agunt, sed in hypostasi, qua mediante sicut duæ naturæ realiter uniuntur, ita quoque realem, id est, personalem communionem cum ea habent.

3. Interim tamen duarum naturarum pro-

prietates distinctas, integras, & impermixtas conservare oportet, ne confundantur; nam licet suppositum unum sit quod operatur, actiones tamen ex eo dimanantes duum generum sunt, ac quædam tantùm in natura divina, aliæ tantummodò in humana locum habere possunt: siquidem Christum natura filium Dei, & natura filium hominis esse constat, ut autem sit natura Filius Dei ex divinitate habet, ex humanitate verò, quòd sit Filius hominis.

4. Neq; hoc est dividere Christum, illum enim verissimè unum amplectimur ac conjunctam humanitati ejus, divinitatem asserimus; sed ita tamen, ut sua utrique naturæ solida, sarta, tecta proprietas maneat, ac nihilominus ex illis duabus unus Christus constituatur: Hanc enim unionem personalem & duarum naturarum conjunctionem, quæ in Christo subest, S. Scripturæ tantâ religione exprimunt, ut eas quandoque inter se communicent.

5. Qui tropus veteribus κοινωνία ἰδιωμάτων dictus est, & est modus alternationis, sive alternatæ attributionis, ac synecdoche quædam, quâ cum in unâ eâdemq; hypostasi duę Christi naturæ conveniant, facile fit, ut proprietas quæ unius naturæ in Christo propria est, attribuatur Personæ denominatæ ab altera naturâ in concreto, ut; *Act.* 20. v. 28. 1. *Corinth.* 2. 8. 1. *Joh.* 1. v. 1. *Joh.* 3. v. 13. & 6. v. 62. & 1. v. 15. & 8. 58.

6. Ex

6. Ex his facilè erit colligere humanitatis & deitatis proprietates in persona communicari & inter se reciprocari. Sed quia ipse idem & Deus est & homo, propter duplicis naturæ unionem personalem de persona prædicatur, quod est alterutrius naturæ, quia proprietates naturarum communicantur personæ ejusque propriæ fiunt. Atque ideo Christum Dominum nostrum (ut Deus est & homo unitus in unionem hypostaticam, licet non cõfusis aut permixtis, ac proinde distinctis quidem inter se, non autem divisis aut distractis à se invicem naturis constans) verumque Dei Filium esse credimus, etiam secundùm humanitatem, etsi non ratione humanitatis, sed respectu Deitatis. *Romanos* 1. *v.* 3.

7. Hinc oritur distinctio naturarum secundùm se consideratarum, quę palàm fit ex propositione proprietatum in abstracto, quas Scripturę distinctas nobis considerandas proponunt, dum Christo interdum, quod solius Dei est, interdum quod solius est hominis tribuunt. *Luc.* 2. 52. *&* 24. *v.* 39. *Marc.* 13. 32. *Joh.* 5. 17. *&* 6. *v.* 38. *&* 8. *v.* 50. 58. *&* 14. *v.* 10. *&* 17. 5. *Roman.* 1. *v.* 3. 34. *&* 9. *v.* 5. *Coll.* 1. *v.* 15. 1. *Petr.* 3. *v.* 18. *Jes.* 42. 1.

8. Quandoquidem igitur duplici distinctoq; nomine Christum insignit S. Scriptura, passim vocans, nunc hominis nunc Dei Filiũ, nostrum erit probare, sicut à Matre virgine accepit, cujus causâ Filius Davidis *a* vocatur, ita à Deo Patre habere cujus causâ sit Fi-

lius Dei: *b* nec enim minus consentaneum est ad divinam naturam referri, quod vocatur Filius Dei, quàm ad humanam quod vocatur Filius hominis. *c*

a 2.*Sam.*7.12. *Psalm.*132.11. *Es.*11.1. *Matth.*21.9. *&* 22.42. *Luc.*1.32. *&* 18.38. *Act.* 13.22. b *Matth.*17.5. *Joh.*1.18. *Rom.*8.32. 1.*Joh.*1.3. c *Luc.*19.10. *Joh.*3.13. *Hebr.*2.14. *Psal.*8.5. *Dan.*7.13.

9. Humana Christi natura patet, ex prima promissione Dei, qua hominem statim à lapsu erigere dignatus est in spem gratiæ per Messiam, ne desperatione periret, per peccatum, inquiens, Semen Mulieris conteret caput serpentis, *a* & in posterum semen Abrahæ, *b* Isaaci, *c* Jacobi *d* ex secundis edendum dicitur, *e* quia Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, *f* cujus ventris fructus benedictus sit. *g* Adhæc confitetur etiam Apostolus ex Muliere esse factum, *h* ac unum hunc esse Mediatorem Dei & hominũ, hominem Christum Jesum; *i* non utique Angelos assumsit, sed semen Abrahæ assumsit, unde debuit per omnia fratribus similis fieri: *k* non enim habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter, *l* absque tamen peccato.

a *Gen.*3.15. b *Gen.*22.18. c *Gen.*26.4. d *Gen.* 28.14. e *Genes.*49.10. f *Esa.*7.14. g *Luc.*1.31. h *Gal.*4.4. i 1.*Tim.*2.5. k *Hebr.*2.16,17. *Es.*50.5, 6. *&* 53.10. l *Hebr.*5.v.2. *Esa.*53.9. 1.*Petr.*2.v.22. 1.*Joh.*3.v.5.

10. Hanc autem naturæ humanæ in Christo per-

sto perfectionem Sp. Sancto acceptam referre debemus, ex quo immediatè cõceptus *a* est, non communicatione substantiæ, sed miraculosa operatione *b* in utero Virginis, qua formata est Christi caro ex solo semine matris sine ulla commixtione *c* virili: Eaque supernaturali formatione ac sanctificatione fœtus in utero materno, Sp. Sanctus Christum, etiã secundùm carnem, exemit à communi totius humani generis *d* maledictione, & peccati originalis *e* labe, ut esset sine patre, sine matre, *f* sacerdos sanctus & victima *g* sancta, & ut nos sibi sanctificaret, *h* quoniam & ipse sanctus *i* est. a *Esa.*7.*v.*14. *Luc.*1.*v.*31. b *Matth.*1.20. c *Hebr.*7.18 *Luc.*1.34,35. d *Eph.*2. 3. e 1.*Petr.*1.19. f *Hebr.*7.3. g *Hebr.*7.26,27. h *Ephes.*5.*v.*26. *Hebr.*9.*v.*14. *&* 10. 10. i 1.*Petr.*1. *vers.*16,19.

11. Divina Christi natura apparet ex eo, quòd vocetur Filius Dei *a* & quidem proprius *b* ac unigenitus *c* à Patre, & in sinu Patris, *d* sapientia genita à Patre ante omnes colles, *e* & possessa à principio viarum *f* ejus, cujus egressus à diebus æternitatis *g* eoque generationem ejus quis enarrabit? *h* cùm ipse sit pater æternitatis, *i* & germen *k* Jehovæ immò ipse Jehova, *l* Jehova Deus Israëlis, *m* Jehova Elohim, *n* Adonai Elohim, *o* Jehova justitia nostra, *p* Dominus Deus adorandus, *q* cui flectendum omne genu, *r* est Dominus Davidis *s* Adonai

Danielis, *t* qui ipsius Patris testimonio declaratur Filius ejus dilectus, *u* & Angeli, filius altissimi vocabitur, *x* confessione Pauli est imago Dei, invisibilis, *y* character Hypostaseos Patris, *z* adeoque ὁμοούσιος unius essentiæ *a* & coæqualis Patri, *b* teste Thoma dominus & Deus ejus *c* & Petro filius Dei vivi, *d* & Johanne Baptista (qui est vox & præco ejus clamans in deserto, Parate viam Domini) Filius Dei, *e* atque iterum Paulo, super omnes Deus benedictus in secula, *f* Amen. a *Psalm.*2.v.7.12. *Luc.*1.35. b *Rom.*8. 32. c *Joh.*1.14.& 3.16,18. d *Joh.*1.18. e *Proverb.*8.25. f *Prov.*8.22. g *Mich.*5.2. h *Es.*53.8. i *Es.*9.6. k *Es.*4.2. l *Es.*40.3.& 45.13. m *Hos.* 1.7. n 1.*Par.*17.17. o 2.*Sam.*7.19. p *Jer.*23.6. & 33.16. q *Psal.*45.12. r *Joel.*2.32. s *Psal.*110.1. *Matt.*22.44. t *Daniel.*9.17. *Malach.*3.1. u *Matthæi* 3.17.& 17.5. x *Luc.*10.32. y *Colloss.*1.15. z *Hebr.*1.3. a *Iohan.*14.9,10.& 10.30. b *Zach.*13.7. c *Iohan.*20.28. d *Iohan.*6.68,69. e *Ioh.*1.34. f *Rom.*9.5.

12. Ex his ultrò sequitur, & liquidò demonstratur, quo sensu dicatur Christus Filius Dei unigenitus, etiam in carne humana, non tantùm ex gratia conceptionis ex Sp. Sancto & unionis cum λόγῳ, sed vel maximè ratione generationis æternæ ex Patre, atque adeò respectu naturæ divinæ, quam pater cum Filio, totam sibi reservando, communicat, & communicando reservat: ac proinde unigeniti & natura-

naturalis filii Dei notâ discernitur Christus ab omnibus electis fidelibus ipsíque in carne fratribus ὁμοιώμασιν, quòd ipse jure naturæ possideat à Patre, quod nos gratuito adoptionis dono per ipsum accipimus. Idcirco hunc honorem extendimus ad totam Mediatoris Personam, ut verè & propriè sit Filius Dei, qui & natus est ex virgine & se victimam Patri in cruce pro nobis obtulit, sed divinitatis tamen respectu.

13. Modus autem quo hæ duæ naturæ coalescunt, in unam hypostasin, consistit in eo, quod media Persona Trinitatis, quæ est λόγος æterni Patris, inde à primo momento conceptionis, & formationis, sanctæ in utero virginis, assumtâ humanâ naturâ cum omnibus suis proprietatibus, factus sit caro de carne nostra, eamq; in unum ὑφιστάμενον, sibi ita inconfusè & immutabiliter, indivisè, & inseparabiliter conjunxerit, ut persona Filii Dei propria, jam quoque sit illius humanæ naturę hypostasis, & ut humana natura in Persona Filii Dei tota subsistat, atque adeò ut Filii Dei seu λόγου assumentis, & humanæ naturę assumtæ unà communis sit persona, nam quod erat permansit, & quod non erat assumsit Filius Dei.

14. Huc facit quòd Immanuel, *a* id est, si interpreteris, Deus nobiscũ vocetur, *b* & quòd Deus excitet gladium contra pastorem suum & coæqualem sibi, *c* nam ad hoc un-

xit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis, *d* ideoque aures perfodit tibi, *e* & corpus adoptavit tibi, *f* ut Pastor unicus sis *g* & servus Dei tui, *h* ut sis Schælja, id est, Filius Dei, & Schilo *i* filius ejus scil. Jehudæ ex Israëlitis secundùm carnẽ *k* (nam tàm ad humanam quàm ad divinam naturam resolvi potest hæc vox.) Hinc Deus, licet manifestatus in carne, tamen absconditus *l* appellatur, tùm ut conversationem ejus homines ferre possent, tùm ut in carne pati & mori posset, ideoq; secundùm formam vel dispositionem in dignitate constituti hominis aspexit nos Jehova Deus, *m* & cujus egressus est inde à principio, à diebus seculi, idem tamen nascendus in Bethlehem Ephrata *n* prædicitur. a *Es.*7.14. b *Matth.*1.23. c *Zach.*13.7. d *Psalm.*43.8. e *Psalm.*40.7. f *Hebr.*10.5. g *Ezech.*34.23. h *Ez.*37.24. *Es.*42.1. i *Gen.*49.10. *Hebr.*7.14. k *Rom.* 9.5. l *Esa.*45.15. m 1. *Par.*17.17. n *Mich* 5.2.

15. Ex N.T. præterquam quòd duos apertissimos S. Scripturæ locos pro definitione posuimus, ad unionem hypostaticam demonstrandam, tamẽ ut omne os contradictorium obstruatur, his accedit fides Apostoli de filio Dei (qui factus est ex semine David secũdùm carnem, declaratus autem filius Dei potenter secundùm Spiritum Sanctificationis per resurrectionem ex mortuis) nimirum D.N. Christo Jesu: *a* misit enim Deus Filium suum in forma

forma consimili carni peccato obnoxiæ, *b* qui cùm esset in forma Dei non duxit esse rapinam parem esse cum Deo : sed seipsum exinanivit formâ servi acceptâ, similis hominibus factus, & in habitu invêtus sicut homo. *c*

a *Roman.* 1.3.4. b *Roman.* 8.3. c *Philipp.* 2.6,7.

16. Et alibi, In quo sunt omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, in eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, *a* i. Ita ut ipsa Christi hypostasis sit divina, non autem, ut in sanctis, effectivè & separabiliter, sed ut qui est imago Dei invisibilis, & primogenitus omnium creaturarum ipse sit caput corporis, i. ecclesiæ principium & primogenitus ex mortuis, ut inter omnes primas teneat: *b* Sicut Angelos confirmavit in statu *c* integritatis : ita ad homines redimendos *d* & integritati restituendos, semen Abrahæ *e* assumsit & corpore induêdum *f* se dedit.

a *Coll.* 2. *vers.* 3. *&* 9. b *Coll.* 1.15,17,20. c *Ephes.* 1.10. d *v.* 14,21,22. e *Hebr.* 2.16. f *Hebr.* 10.5.

17. Sed hîc se prodit quæstio de operibus Trinitatis ad extra, quæ indivisa sunt, & inter ea referenda quoque ipsa Christi incarnatio, eoque communis esse debere videtur tam Patri & Spiritui Sancto quàm Filio. Verùm enimverò hîc considerãda sunt, opus & actio: Quod ad opus λόγος solus assumsit humanam naturam propriæ hypostaseos expertem, sive

propria personalitate destitutam, i. per se & seorsim extra hypostasin filii nūquam & nusquam subsistentem priusquam assumeretur, ideoque assumtam nusquam & nunquam deseret aut deponet, nam illa conjuncta est cum sola hypostasi filii in singularitate personæ, nō in unitate naturæ divinæ, i. in eo quod proprium est filii, non quod commune est trinitati: unio siquidem facta est non in natura, sed in persona, quâ mediante duæ naturæ uniuntur.

18. Ad actionem & cooperationem accessit etiam Pater, & Spiritus Sanctus. Nam efficiens causa & actio ad tres Personas pertinuit, à quarum mutua conventione (non ab ulla necessitate vel coactione) liberâ gratuitâque œconomiâ, ac voluntatum consensu dependebat filii in carnem missio, ac ex ea hominum salus; Propter quam misit Christum Jehova Dominus & Spiritus ejus, *a* postquam venit plenum tempus. *b* Insuper etiam filius est & efficiens causa & effectum sui, quantumvis durus sit hic sermo, tamen qui dilexit me, tradidit semetipsum pro me, ac exinanivit seipsum formam servi accipiens. *d*

a *Esa.* 48. 16. *Luc.* 1. 35. *Matth.* 1. 18. b *Gal.* 4. 4. c *Gal.* 2. *v.* 20. d *Philip.* 2. 7.

19. Hujus autem fidei, in discretionis notam ab adulterinâ, confessionem, ad lydium lapidem redigit Apostolus Johannes, ubi ait; Ex hoc cognoscite Dei Spiritum. Quicunque Spiri-

Spiritus profitetur Jesum in carnem venisse, ex Deo est: At quicunque Spiritus non confitetur Jesum in carnem venisse, ex Deo non est; sed hic est ille spiritus Antichristi. 1. *Johan.* 4. *vers.* 2. 3.

20. Reliquum adhuc est, ut postquam de ἐνσαρκώσει Λόγε abundè actum est, unam aut etiam alteram nativitatis Christi circumstantiam animadvertamus, priusquam ad finem Incarnationis & officium mediationis nos accingamus; videlicet tempus certum ac definitum locum, quæ utraque in Mose & Prophetis ad oculum nobis proponuntur. Ac tempus quidem indicatur à Patriarcha Jacob, Jehudæ filio suo, fore ut non desistat tribus à Jehuda, nec legislator è medio pedum ejus, usque dum venturus sit filius ejus, *a* Messias promissus, & quod stante adhuc domo secunda, *b* in eaque vigente sacerdotio Levitico, *c* immò etiam Monarchia Romana maximè florente *d* nasciturus sit. a *Gen.* 49. 10. b *Hagg.* 2. 7. c *Dan.* 9. 24. d *Dan.* 2. 43, 44. *Zach.* 3. 14. *Es.* 2. 4. & 11. 6.

21. Atqui vix unquam aliàs Roman. Imperium à bellorum strepitu quietius fuit, quàm dum nasceretur Christus sub Augusto, unde meminit Lucas ἀπογραφῆς per totum Imperium Rom. promulgatæ, *a* quæ Judæos quoque tetigit, *b* in testimonium αὐτονομίας suæ amissæ, quæ instituta fuit à Deo per Mosem, ubi autor ipsi exstitit, ut eligeret septua-

ginta seniores populi Israëlitici, *c* qui Sanhedrin constituerent: Sed paulò post natum Christum Sanhedrin illud ex posteris Davidis congregatum, atque adeò sceptrum de domo Judæ sublatum fuit (stante tamen adhuc politia, templo & urbe Hierosolyma, & observata adhuc tribuum differentia ac Genealogiis quas Herodes comburi curavit) hebdomadis Danielis *d* & quarto mundi millenario ad finem decurrentibus. Baptizatus enim est Christus anno mûdi quatermillesimo. Exactissimè igitur tempus Nativitatis Christi congruit cum eo quod destinatum erat. a *Luc.*2.*v.*1. b *Luc.*1.*v.*4. c *Num.* 11.*v.*16. d *Dan.*9.*v.*26.

22. Regio & Urbs Nativitati Messiæ destinata, erat illa quidem ipsa Judæa, quæ ob id terra Emanuelis *a* appellatur, hæc verò Bethlehem Euphrate *b* in Judæa, juxta vaticinium Prophetæ Michææ. Ad locum quoque pertinet quod Messias se præsentem in templo vel domo secûda constituere debuit. *c* In Galilæa versari, *d* & ex monte oliveti ad cælos ascendere. a *Es.*8.*v.*8. b *Mich.* 5.*v.*2.*Matth.*2.*v.*6.*Joh.*7.*v.*42. c *Malach.*3.*v.*1. d *Es.*9 *v.*1.*Zach.*14.*v.*4.

23. Deum itaque & hominem esse oportuit, qui mediator esset Dei & Hominû, quia Mediatorem verum cõgruebat in seipso duas dissidentium partes habere conjunctas: Hinc Mediator dictus quòd duorum quorundam

Medius

Medius sit, ac utrorumque debeat esse particeps, ut qui in Deo homo sit & Deus in homine, ut ex utroque existat Mediator, inquit Ambrosius.

24. Quoniam autem nec mortem solus Deus sentire, nec solus homo superare potuisset, humanam naturam cum divina conjunxit, ut alterius imbecillitatem morti subjiceret, ad expianda peccata, alterius virtute luctam cum morte suscipiens, victoriam nobis acquireret. *Rom.* 1. 4. 2. *Cor.* 13. 4. 1. *Pet.* 3. 18. *Joh.* 10. 18.

25. Idcirco etiam nomina officii Mediatoris toti personæ respectu utriusque naturæ competunt, eoque nec à Persona divellenda, aut alterutri tantùm naturæ tribuenda sunt; ideò enim unita est humana divinæ, quia nec divina sola nec sola humana per se mediatoris λύτρον persolventis officio fungi poterat. Ac proinde ut propter officium facta est incarnatio filii Dei, & unio personalis duarum naturarum, ita & officium ab utraq; natura dependet, & secundùm utramq; naturam exercetur, ita tamen ut utriusque naturæ proprietates ac operationes (divina divinitus operante quod suum est, & humana operante quod suum est humanitus) in unũ ἀποτέλεσμα mutua communione concurrant.

26. Quis enim hominem ex gratia prolapsum restituere poterat gratiæ, ac peccatum abolere, nisi ipsa Justitia? quis mortem, quæ

propter peccatum nos manebat absorbere, nisi ipsa vita? quis nos naturâ factos Diaboli iræque filios, gratis adoptare in filios Dei & pacis, nisi ipse Dei filius, fieret idem filius hominis, & sic nostrum acciperet, ut transferret ad nos suum? & quod suum erat naturâ, nostrum faceret gratiâ? atque ita in commune ipse nobiscum & filius Dei esset, & filius hominis, quo communis natura esset pignus nostræcum Filio Dei communionis, ac ut societatis perpetuæ dexteras peream jungeremus. Hæc de officio in genere.

27. In specie officiũ personæ Christi tractaturis operæpretium erit spectare, Primò quid nominis sit, deinde quid rei. Ideo enim unctus à Patre dicitur (Græcis χριστος, Hebræis מָשִׁיחַ) quia spiritus Domini super eum *a* requievit, *b* spiritus inquam sapientiæ, intelligentiæ, consilii, fortitudinis, scientiæ, & timoris Dei; siquidem unctione Christi copia Spiritus *c* significatur, nam unctio hæc in Christo non fuit externa aut symbolica, ex oleo sive aromaticis unguentis confecta, sed ex oleo lætitiæ, *d* sicut nec Abrahamum, Isaacum, & Jacobum, qui tamẽ uncti Dei vocantur, *e* externo oleo unctos fuisse legimus, sed quia rem signatam habebant, signum ejus tribuitur. Sic etiã Christus *f* & nos in Christo *g* (ab ipso enim capite ad membra sua diffusa est hæc *h* unctio) licet dispari mensura, *i* uncti dicimur; & revera sumus, non quòd

quòd oleo delibuti simus, sed quòd interna unctione & virtute *k* Spiritus sancti, illud assecuti simus, quod olim oleum significabat.

a *Esa.*51.v.1. b *Johan.*1.32.*Es.*11.2. c *Psal.* 45.8. d *ibid.* e *Psal.* 105.v.15. f *Psal.*45.8. *Dan.* 9.v.24. g *Esa.*44.3. *Joel.*2.28. h *Johan.* 1. 16. i *Johan.* 3.34. *Ephes.*4.7. k *Actor.*10.38.1. *Joh.*2.v.20.

28. Scimus enim sub lege sacro oleo tam Prophetas quàm sacerdotes & Reges fuisse unctos ad muneris sui inaugurationem & confirmationem. Cujus unctionis spiritualis visibile signum ac symbolum in Christi baptismo ostensum fuit, dum super eum descendit & mansit spiritus in specie columbæ, *a* eamq; obsignavit Deus Pater voce de cælo facta, tu es filius ille meus dilectus, in quo complacitum est mihi, *b* ego hodie genui te, *c* i.licet ab æterno genuerim te: propter actum gignendi filii continuum, tamen hodie genitum te à me esse mundo manifestavi. a *Joh.*1. 32. b *Luc.*3.22. c *Psal.*2.7. *Hebr.*1.5.15. *Actor.* 13.33.

29. Hæc unctio est ordinatio ad officium Mediatoris, quod est triplex: Propheticum, Sacerdotale, & Regium. Propheticum duo complectitur, voluntatis divinæ novam revelationem, & rerum futurarum prædictionem. Illa Euangelium propriè dicitur, & est arcanum Dei consilium, de redemtione generis humani, & reconciliatione nostri cum Deo,

immediatè à Christo ex sinu Patris prolatum, *a* nobis autem in Verbo & Sacramentis patefactum. Hujus Prophetiæ partes itidem duę sunt, Externa promulgatio Euangelii *b* conjuncta cum interpretatione legis, *c* Oratione *d* pro populo, & conservatione ministerii etiam *e* prophetici: Interna & efficax *f* vocatio fidelium, ac illuminatio electorum, *g* pulsis mentium tenebris. Prædictio futurarum vel in hoc *h* vel in futuo *i* seculo. a *Johan.*1.18. 1. *Cor.*2.7.9.16. *Matth.*11.27. b *Marc.* 16.15. c *Matth.*5.22.12, 13. *Luc.*4.21. d 1. *Cor.*11.9. *Gen.* 20.7. e *Eph.*4.11. *Luc.*11.49. & 21.15. f *Matth.*3.11. g *Luc.*24.45. *Actor.*16. 14. h *Luc.*18.32. i *Matth.* 8.12. & 21.43.

30. Christus præterquam quòd publicè Prophetæ testimonium consecutus est, *a* insuper testimonium quoq; ei perhibuit Deus, ubi ait: Prophetam ex medio fratrum ipsorum suscitabo eis sicut tu es (alloquens Mosen) & indam verba mea ori ejus, ut eloquatur quicquid præcepero ei, *b* is autem est Christus, *c* vocaturque nomen ejus, sermo ille Dei *d* & pastor gregis *e* sui est, desiderium omnium *f* gentium, lux *g* & præceptor Judæorum & gentium, *h* stella Jacob, *i* sol Justitiæ, *k* ac salutare Dei. *l* Ad quod confluunt omnes gentes, euntq; populi multi dicentes; Venite ut ascendamus in montem Jehovæ, in domum Dei Jacob, ut doceat nos de viis suis, ac ambulemus in semitis ejus, nam

Sione

Sione prodit doctrina, & verbum Jehovæ Hierosolymis, *m* quia salus ex Judæis est.

a *Johan.*4. 19. *&* 6. *versic.* 14. *Luc.*7. *versic.* 39. *&* 24. *v.* 19. *Matth.* 16. *v.* 14. b *Deut.*18. *v.*18. c *Actor.*3. *v.*72. *&* 7. *v.*37. d *Apoc.*19. *v.*13. 1. *Sam.*3. *v.*21. 2. *Sam.*7. *v.* 21. e *Esa.*40. *v.* 11. f *Hagg.*2. *v.*8. g *Es.*42. *v.*6. *&* 49. *v.*6. h *Es.*55. *vers.*4. *&* 61. *v.*1, 2, 3. i *Numer.*24. *v.* 17. k *Malach.*4. *v.* 2. l *Es.*52. *vers.*10. m *Esa.*2. *vers.*2, 3. n *Johan.* 4. *vers.*22.

31. Sacerdotale officium Christi est quo propitiatio factus est pro nostris peccatis, *a* pro quibus se mediatorē stitit inter Deum & homines. *b* Sacerdotis autem officium in tribus consistit, in docendo, intercedendo apud patrem, & sacrificando. Doctor fuit missus ad euangelizandum mansuetis, *c* qui in cognitione sui justificavit multos, *d* ex qua in nos redundat exuberans illa notitia Dei, *e* quâ universi cives Ecclesię sunt docti à Deo, *f* ut vir ultra non doceat proximum suum; *g* omnes enim facti sumus in Christo θεοδίδακτοι, & cognoscimus Dominum à minimo usq; ad *i* maximū. a 1. *Joh.*2. *v.*2. b 1. *Tim.*2. *v.*5, 6. c *Es.*51. *v.*1. d *Es.*53. *v.*11. e *Es.*11. *v.*9. f *Es.*54. *v.*13. g *Jerem.*31. *v.*34. h *Joh.*6. *v.*45. i *Hebr.*8. *v.*11. *Jerem.*31. *v.*34.

32. Intercessio Christi est quâ interposito λύτρῳ sufficienti, verùm innocenti suâ ipsius morte apud Patrem interpellat pro nobis. *a* Nam ipse peccata multorum perferens, et-

iam pro transgressoribus intercessit, *b* & pro Ecclesia sua, *c* pro cujus peccatis etiamnum advocatus est apud Patrem, *d* ideoq; ipsum cælum penetravit, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. *e* Hinc etiam non minimus fructus ad nos redit, quod & per se *f* & per Spiritum gratiæ & precum orare nos docuerit, *g* per cujus unctionem nos instruxit de omnibus; *h* quin imò & templum Sp. sancti *i* ac domum spiritualem, sanctum & regale sacerdotium nos effecit, ad offerendas spirituales hostias, acceptas Deo per ipsum, *k* adeò ut jam per Dei gratiam in media terram Ægypti translatum sit altare Jehovæ *l* ac in omni loco sacrificium Eucharisticum, munus purum, *m* ac vituli labiorum nostrorũ *n* offerantur nomini ejus: venit enim tempus & nunc est, quando neque in monte sancto, neque Hierosolymis locus est, ubi preces quis concipere necesse habeat, sed ut veri adoratores Patrem in spiritu & veritate *o* adorent.

a *Rom.8.v.34.* b *Es.53.v.12. Luc.23.v.34.* c *Joh.17. à v.9. usq; ad finem capitis.* d *1.Joh.2.v.1.* e *Heb.5. v.25. & 9.v.24.* f *Luc.11.v.1,2,13.* g *Zach.12.v.10. Rom.8.v.15.* h *1.Joh.2.v.20.27.* i *1.Cor.6.v.19. & 3.v.17.* k *Apoc.1.v.6. & 5.v.10. 1.Pet.2.v.5,9. Es.61. v.6. Apoc.8.v.11.* l *Es.19.v.19.* m *Malach.1.v.11.* n *Hos.14.v.3. Hebr.13.v.15.* o *Joh.4.v.21. & 24.*

33. De Sacerdotio Christi in considerationem veniunt duo, Finis, & Usus. Finis Sacerdotii Christi situs est in duob. potissimum:

(quæ

(quæ in sacerdotibus V.T. distincta & diversa fuerunt, sed unum sunt in Christo) ut sit mediator purus ab omni macula, *a* qui sanctitate sua Deum nobis conciliet, eoque ut & cum sacrificio pro peccatis totius mundi in medium prodeat: *b* summa huc redit, ut idem sit sacerdos sanctus *c* & victima sancta: *d* quare homo esse debuit, ac ex hominibus assumtus, qui pro hominibus constitueretur in iis quę apud Deum erant peragenda, *e* idque ex justitia & veritate Dei *f* ut qui sua se inobedientiâ perdiderat remedii loco obedientiam opponeret, *g* utque haberet quod offerret, *h* suum ipsius corpus obtulit, *i* ut victima sua peccatum aboleret, *k* ac per Mortem suam destrueret eum, qui habebat Mortis imperium, id est Diabolum, atq; adeo nos à servili metu Mortis *l* liberaret.

a 1.*Petr.*1.*v.*19.*&* 20.*Gal.*1.*v.*4.*&* 2.*v.*20. b *Roman.*4.*v.*25.1.*Cor.*15.*v.*3. 2.*Cor.*5.*v.*14,15.1.*Joh.*2.*v.*2. c *Hebr.*5.*v.*26. d 1.*Pet.*1.*v.*18,19. e *Heb.*5.*v.*1. f *Gen.*2.*v.*17. *Ezech.*18. *v.*20. 1.*Cor.*15.*v.*21. *Hebr.*2. *v.*14.*&* 9.*v.*22. g *Rom.*5.*vers.*19. h *Hebr.*8.*v.*3. i *Hebr.*7. *vers.*27. *Ephes.*5.*v.*2. k *Hebr.*9.*vers.*26. l *Hebr.*2.*v.*14,15.

34. Nec minus Deum esse oportuit, ut meritum ab infinita persona dependeret, in lytron pro peccato in infinitam personam commisso: nam quæ legis erat impotentia cùm viribus esset destituta in carne, Deus suo ipsius filio misso, in forma consimili, carni peccato

obnoxiæ, idque pro peccato, condemnavit peccatum in carne, ut jus illud legis impleretur in nobis. *Roman.8. vers.3,4. Actor.20. v.28. Hebr.9.v.14.*

35. Hujus λύτρου & satisfactionis fundamentum positum est in obedientia Christi pro nobis, *a* eaque tàm activa, ratione peccati nostri, *b* quàm etiam passiva in talionem reatus, *c* & pœnæ æternæ, quæ propter peccatum nobis *d* incumbebat, atque ideo sicut quoque secundùm legem tam holocaustum ad expiationem pro se, & pro populo facere debuit sacerdos, quàm sacrificium & oblationem: *e* sic tàm dona quàm victimas *f* etiam sacerdos noster Deo in odorem bonæ fragrantiæ, *g* si non pro se, quia agnus immaculatus, *h* saltem pro nobis in se offerre debuit, *i* pro quibus seipsum submisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem *k* crucis.

a *Rom.5.v.19.* b *Es.51.v.5. & 62.v.1,2. Jerem.23. v.6. & 33.v.16. Zach.9.v.9. Rom.5.v.18. Heb.7.v.28. Eph.5.v.25.* c *Es.53.v.10. Heb.9.v.28.* d *Deut.27. vers.26.* e *Levit.9.v.7.* f *Hebr.5.v.1. & 8.v.3.* g *Eph.5.v.2.* h *Hebr.7.26. 1.Petr.1.v.19.* i *Hebr.7. v.27.* k *Phil.2.v.8. Eph.2.v.16.*

36. Obedientiâ activâ ultrò & perfectè Justitiam legis implevit, *a* & pro nobis sanctificavit seipsum, ut simus etiam nos sanctificati in veritate. *b* Passivâ autem pœnam peccati suâ sponte pro nobis subivit, *c* ac ultrò se obtulit in mortem Deo & Patri, *d* qui eum,

qui

qui non noverat peccatum, fecit pro nobis peccatum, ut nos efficeremur Justitia Dei in ipso, *e* mortificati quidem carne, vivificati autem spiritu, *f* postquam redemti sumus ab exercitatione legis, dum pro nobis factus est execratio, *g* ut qui gratis vendideramus nos, jure sine argento sibi vendicaret nos, *h* sed pretioso sanguine agni incontaminati, *i* qui animam suam posuit pro ovibus suis, *k* ac peccatis earum: *l* quapropter interposito solenni juramento Dei, cujus non pœnitebit eum, declaratus est sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedeck. *m*

a *Matth.*3.*v.*15. *&* 5.*v.*27. *Rom.*5.*v.*19. *&* 21. b *Johan.*17.*v.*19. c *Gal.*1.*v.*4. *&* 2.*v.*20. d *Eph.*5.*v.*2. 25. 1. *Thess.*5.*v.*10. e 2. *Cor.*5.*v.*21. f 1. *Petr.*3.*v.*18. g *Gal.*3.*v.*13. *Eph.*2. *v.*16. 1. *Petr.*2. *v.*24. *Deuter.*21. *v.*23. h *Es.*52.*v.*3. i 1. *Petr.*1.*v.*18,19. k *Joh.*10. *v.*15. l *Es.*53. *v.*12. m *Psalm.*110. *v.*4. *Hebr.*5. *v.*6. *&* 7.*v.*17,21.

37. Usus Sacerdotii Christi nobis applicatur in eo, quod deleto chirographo, quod adversum nos erat, *a* contritoq; capite serpentis, *b* ac condonatis omnibus peccatis, *c* Israël salvatus sit in Domino salute æterna, *d* repositâ ipsi coronâ Justitiæ, *e* in Rege Justitiæ, *f* ut confidenter gloriari possit in Domino, *g* inquiens, absorpta est mors ad victoriam, ubi est tuus ô Mors aculeus? aut ubi est victoria tua ô sepulchrum? *h* nam è potestate sepulchri redemti sumus, & à morte

vendicati sumus, *i* à brachio sanctitatis Jehovæ, *k* sufficiente ad salvandum, *l* est enim (dissoluto intergerini parietis septo, & ex ambobus unum facto in se, *m*) etiam noster salvator, *n* qui est יְשׁוּעַ Israëlis, *o* justitia nostra, *p* redemtor noster, *q* qui factus est nobis sapientia à Deo, justitia, sanctificatio, *r* & redemtio. a *Coll.*2.v.14. b *Genes.*3.v.15. c *Colloss.*2.v.13. d *Es.*45.v.17. e 2.*Tmoth.*4.v.8. f *Hebr.*7.v.2. g 1.*Cor.*1.v.34. h 1.*Cor.*15.v.54,55. i *Hos.*13.v.14. k *Es.*51.v.5. & 52.v.10. & 53.v.1. l *Es.*63.v.1. m *Zach.*9.9. n *Eph.*2.v.14. 1.*Tim.*1.v.15. o *Es.*45.v.15. p *Jerem.*23.v.6. q *Jobi* 19.v.25. 1.*Tim.*2.v.6. *Apoc.*5.v.9. r 1.*Cor.*1.v.30.

38. Regnum Christi, ex definitione Pauli, est Justitia, Pax, & gaudium in Sp Sancto *a* Justitia, non solum qua justi sumus corâ Deo fide in Christum, *b* verùm etiá quæ inchoatio novæ obedientiæ *c* existit. Pax est nobis primo quidem cum Deo, *d* sed deinde ex ea originem trahit tranquillitas conscientiæ, *e* & cum hominibus unanimis concordia: *f* gaudium in Spiritu Sancto est lætitia, quâ mens freta bonitate Dei in omnibus adversis gloriatur *g* in Domino. a *Roman.*14.v.17. b *Act.*13.v.39. *Gal.*2.v.16. *Rom.*10.4.6. c *Apoc.*22.v.11. 1.*Cor.*5.v.7. 2.*Cor.*5.v.17. *Eph.*2.v.15. & 4.v.24. d 1.*Cor.*7.v.15. *Eph.*2.v.14. *Matth.*10.v.34. e *Roman.*5.v.1. *Hebr.*9.v.14. & 10.v.2. *Act.*24.v.15. 1.*Pet.*3.v.21. f *Luc.*2.v.14. *Johan.*13.v.35. *Roman.*12.v.18. g *Rom.*5.v.2,3,5,11.

39. Hoc

39. Hoc autem spirituale, ac mediatorium Christi regnum duplex est gratiæ, *a* & gloriæ: *b* militiæ & triumphi pro duplici consideratione Ecclesiæ. Regnum gratiæ est sub quo Christus sibi congregat Ecclesiam in his terris, quæ tota ex gratiâ ipsius dependeat, *c* & verbo veritatis, *d* ac Sp. Sancto *e* regatur; donec tandem glorioso suo capiti Christo *f* conformis reddatur, ac in cæleste ejus regnum recipiatur, *g* ut Christus in ipsis sit omnia in omnibus. *h* a *Matth.3.v.2.17. Luc.6. v.20. & 8.v.10. & 10.v.9. & 11.v.20. Act.1.v.3. & 20. v.25.* b *Matt.5.v.3. Dan.2.v.44. & 7.v.27. 1.Thess. 2.v.12.* c *Joh.1.v.17. Eph.1.v.6,7. & 2.v.7,8.* d *2. Cor.6.v.7.* e *1.Cor.3.v.16. & 12.v.3.13. Gal.4.v.6.* f *Eph.5.v.27.* g *Coloss.3.v.11. Eph.5.27.* h *1.Cor. 15.vers.28.*

40. Quid enim nobis prodesset, collectos esse sub Regis cælestis imperium, ejusq; sigillo nomen dedisse, nisi extra terrenæ hujus vitæ spatium constaret ejus fructus? ideoque Christus ut spem nostram in cælos attolleret, regnum suum pronunciavit non esse ex hoc mundo, *a* unde & diadema politicum recusavit, *b* eò quòd non gubernaretur regnum ejus armis corporalibus, *c* sed quòd virga oris sui percuteret terram, & spiritu labiorum suorum morte afficeret improbum, *d* quo tanquam ancipiti gladio, *e* & virga ferrea, *f* contritis omnibus hujus mundi regnis, ipsum tamen in secula non destruetur: *g* se-

det enim ad dextram Dei Patris, donec omnes inimici ejus disponantur in scabellum pedum ejus, *h* adeò ut amplitudini principatus ejus, & paci nullus futurus sit finis, *i* quia fortitus est nomen, quod est super omne nomen, *k* quòd sit Rex Salem, *l* in æternum, *m* Rex Sanctorum, *n* & Rex gloriæ, *o* qui habet in vestimento & in fœmore scriptum Rex Regum, & Dominus Dominantium. *p*
a *Joh.18.v.36.* b *Job.8.v.15.* c *Hos.1.v.7.* d *Es.11. v.4.* e *Hebr.4.v.11.* f *Psal.2.v.9.* g *Dan.2.v.44. & 7.v.14. Hebr.12.v.28.* h *Psalm.110.v.1.* i *Es.9. v.7. Luc.1.v.33.* k *Philipp.2.v.9.* l *Hebr.7.v.2.* m *2.Petr.1.v.11.* n *Apoc.15.v.3.* o *Psalm.24.v.7,8, 9,10. 1.Corinth.2.v.8.* p *Apocal.19.v.16. & 17.v.14. 1.Timoth.6.v.15.*

41. Cæterum omnia officia mediatoris θεανθρώπου exercuit Christus secundùm duplicem ejus statum, humiliationis, & exaltationis, ac etiamnum ea peragit secundùm utrumque, quatenus ratione officii mediatorii se adhuc submittit Patri, intercedendo pro nobis; Status exinanitionis in his terris incipit inde à conceptione & Nativitate Christi, & extendit se ad usque diem resurrectionis: atq; hinc status exaltationis, & gloriæ ac triumphi mediatoris nostri durabit donec tradet regnum hoc suum Deo & Patri: *a* quamvis naturale Christi regnum & potentiæ, quod ipsi cum Patre & S.S. commune est, in omnem æternitatem abolendum non sit. *b*
a *1.Cor.15. v.24.*

v.24. b *Psalm.145.v.13. Dan.6.v.26. Psalm.45.v.7. 2.Samuel.7.v.13,14. Psalm.89.v.36,37,38. Ezech.37. vers.25.*

42. Humiliati mediatoris partes sustinuit in hac vita, cùm inde à prima nativitate factus fuit minor Angelis, *a* & vix in lucem editus persecutionem passus fuit ab Herode, ut in Ægyptum fugere coactus fuerit, *b* idque ut implerentur Scripturę à Deo per Prophetam dicente: Ex Ægypto vocavi filium meum, *c* interea tamẽ assurgit ut tenera Planta coram Jehova, & tanquam Radix ex terra solitaria, non est forma ei neque decor, & quando intuemur eum non inest species, cur desideremus eum, *d* quia vermis est & non vir, opprobrium hominum & contemtus populo, *e* ita pauper *f* factus, ut non habuerit, ubi reclinaret caput, *g* velut homo abscondens faciem suam à nobis, *h* ut existimaremus eum plaga affectum, percussum à Deo, & afflictũ, *i* ac proinde fuit Judæis scandalum, Græcis stultitia, *k* lapis allisionis, & rupes offensionis: *l* veruntamen morbos nostros ipse pertulit, & labores nostros ipse bajulavit, *m* ac compatiens infirmitatibus nostris, *n* pro nobis etiam ipse circumdatus fuit *o* infirmitate.

a *Psal.8.6. Hebr.2.7.* b *Matth.2.13,14.* c *Hos.11. 1.Matth.2.15.* d *Es.53.2.* e *Psalm.22.7.* f *Zach.9.9.* g *Matth.8.20.* h *Esa.53.3.* i *Es.53.4.* k *1.Cor.1.23.* l *Es.8.14. Luc.2.34.* m *Es.53.4.* n *Hebr.4.15.* o *Hebr.5.2.*

43. Postea autem vir etiam colens pacem cum ipso, & comedens panem cum ipso, sustulit adversus eum calcem, *a* vendidit pecunia justum, & egenum pro pari calceorum, *b* id est exiguo precio, sive triginta argenteis, *c* ac prodidit tandem osculo filium hominis, *d* deinde excitatus est gladius contra pastorem Dei, percussus est pastor, & dispersæ fuerunt oves, *e* exacta fuit pœna, & ipse afflictus fuit, *f* corpus suum exposuit percussoribus, & malas depilantibus, faciem suam non abscondidit à contumeliis & sputo, *g* ipse dolore affectus fuit, sed pro defectionibus nostris; attritus, sed ab iniquitatibus nostris, castigatio pacis nostræ imposita fuit ei, & tumice ejus curatio facta est nobis, *h* à coarctatione & à Judicio sublatus *i* est, & populus exposuit improbis sepulchrum ipsius, & diviti in mortem suam, *k* in siti ipsius bibendum ei dederunt acetum cum felle mistum, *l* ex quo lignum ipse suum portavit, *m* cui eum affixerunt, *n* ac perfoderunt manus & pedes ejus: *o* quem, cum defectoribus annumeratum, *p* subsannarunt; diduxerunt labia, moverunt caput: *q* partiti sunt vestimenta ejus inter se, & pro indumento ejus projecerunt sortem, *r* donec tandem circumdantibus eum doloribus mortis, angoribusque inferni circumeuntibus eum, *s* post exclamationem, Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me, *t* excisus est de terra viventium, *u* ac verè justus pro injustis

justis mortuus est. *x* a *Psal.* 41. 10. *&* 55. 14,15. *Iohan.* 13. 18. b *Amos* 2. 6. c *Zach.* 11. 12. d *Luc.* 22. 48. e *Zach.* 13. 7. *Matth.* 28. 55. *&* 56. f *Esa.* 53. 7. g *Esa.* 50. 6. *Matt.* 26. 67. *&* 27. 30. h *Esa.* 53. 5. i *Es.* 53. 8. k *Esa.* 53. 9. *Matth* 27. 24, 25, 27, 58, 59, 60. l *Psal.* 69. 22. *Matth.* 27. 34. m *Gen.* 22. 6. *Iohan.* 3. 14. *&* 19. 17. n *Luc.* 23. 33. o *Psal.* 22. 17. *Num.* 21. 8. p *Esa.* 53. 12. q *Psal.* 22. 8. *Matth.* 27. 39. r *Psal.* 22. 19. *Matth.* 27. 35. s *Psal.* 18. 5, 6. *&* 116. 3. t *Psal.* 22. 2. *Matt.* 27. 46. u *Es.* 53. 8. *Matth.* 27. 50. x 1. *Pet.* 3. 18. *Ioh.* 18. 14.

44. Non pernoctavit tamen cadaver ejus in ligno, *a* sed ex lege eodem die sepeliendum *b* à Pilato traditum est improbis, & diviti in mortem populi, *c* ut caro ejus requiesceret in pace: *d* verùm quia Iehova morte afficit, & vitam restituit, deducit in infernum & educit, *e* ideo nõ passus est Deus sanctum suum videre corruptionem, nedum animam ejus in sepulchro dereliquit, *f* sed eripuit animam Christi ex sepulchro imo, *g* ac sicut Jonas fuit in ventre ceti tres dies & tres noctes, *h* quasi sepultus, ita oportuit etiam filium hominis esse in corde terræ tres dies & tres noctes, *i* donec post biduum vitæ restitueret eum Deus, ac tertio die excitaret eũ. *k*

a *Matth.* 27. 59. *&* 60. b *Deuter.* 21. 23. c *Esa.* 53. 9. *Matth.* 27. 58, 59. 64, 65, 66. d *Psal.* 16. 9. e 1. *Sam.* 2. 6. f *Psal.* 16. 10. g *Psal.* 86 13. h *Ion.* 2. 1, 2. i *Matt.* 12. 40. k *Hos.* 6. 3. 1. *Cor.* 15. 4.

45. Atque hoc est principium exaltationis, quâ victoriam plenam consecutus extulit caput, *a* & paulo pòst stantibus pedibus ejus in monte olivarum, qui est in conspectu Hierusalem ab Oriente, *b* ascendit in sublime, captivam ducens captivorum multitudinem, *c* ubi à Patre gloriâ & majestate coronatus est, *d* & datâ ei omni potestate in cælo & in terrâ, *e* sedet ad dextram Patris, *f* unde adorant eum omnes Angeli Dei, *g* unde etiam respicient ad eum quem *h* confixerunt, licet os ei non comminuerint, *i* cùm veniet Dominus cum sanctis millibus suis, ut ferat judicium adversus omnes, & redarguat quicunq; ex ipsis fuerint impii, de factis omnibus quæ impii patrarint, deque omnibus duris, quæ adversus ipsum locuti fuerint peccatores impii, *k* & ut pœnas luant secundùm sententiam à Christo pronunciatam, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. *l* a *Psal.*110.7.*Es.*52. 13. b *Zach.*14.4. c *Psal.*68.19.*Luc.*24.51.*Eph.*4.8. d *Psal.*8.6. e *Matth.*28.18. *Philip.*2.9,10. f *Psal.* 110.1. g *Psal.*97.7. h *Zach.*12.10. i *Exod.*12.46. *Ioh.*19.36. k *Iudæ* 14.*&* 15. *Dan.*7.9,10,13.*Ioel.*2. 1,2. l *Matth.*24.41.

46. Piis verò tam rigidum Judicium non est quòd metuât, sed contrà cum magno desiderio exspectent *a* Judicem suum venturum in nubibus cæli: *b* & ut, quia sciunt conversationem suâ in cælis esse, *c* cupiant dissolvi & esse

& esse cum Christo, *d* dicentes: Veni Domine Jesu, *e* quibus respondebit Rex, ad dextram Patris sedens, immò: Venite benedicti patris mei, possidete regnum, quod paratum est vobis à jacto mundi fundamento; cujus Regni immensam gloriam oculus non vidit, neque auris audivit, nedum in mentem hominis venit, quam paravit Deus iis, qui diligunt ipsum. *g* Pro qua glorioſa gratia ſeſſori throni ſit Laus & Gloria in ſecula. *h* Amen. a *Phil.*3.20. b *Matth.*26.64. c *Phil.* 3.20. d *Rom.*5.24. *Phil.*1.23. e *Apoc.*22.20. f *Matth.*25.34. g 1.*Cor.*2.9. h *Apoc.*4.v.9.

COROLLARIUM.

Jeſus Chriſtus Nazarenus eſt complementum omnium typorum Meſſiæ & finis legis ceremonialis, quotquot enim ſunt promiſſiones Dei, in ipſo ſunt etiam, & in ipſo ſunt Amen, ad Dei ipſius gloriam.
Luc. 16. 56. 2. Corinth.1.20.

SOLI DEO GLORIA.

THESES THEOLOGICAE

DE

LIBERO ARBITRIO

QUAS,

Deo gratiosè juvante,

Sub

PRÆSIDIO

Clarissimi Doctissimiq; Viri

D.D. AMANDI POLANI

A' POLANSDORF, SS. THEOlogiæ Doctoris & Professoris in alma celeberrimaque Academia Basilienſi,

defendit

LAURENTIUS BOENAERT

Zirizæo-Zelandus.

Ad diem 5. Julii, horâ locoq; solitis.

Anno CIↃ IↃCIV.

Pietate & Prudentiâ
Ornatissimo

D. LEVINO WERKENDET
Consulari Viro apud Zirizænos:

ET

Doctissimo Theologo

D. HENRICO BRANT,
verbi Dei Ziricæę ministro vigilantissimo, Avo suo observando:

Authoribus & fautoribus suorum studiorum

Hasce

De

Libero Arbitrio Theses,

In animi grati signum

Offert & dedicat

LAURENTIUS BOENAERT
Zirizæo-Zelandus,

A. & Respondens.

De

Libero Arbitrio.

Thesis I.

Liberum arbitrium Græci appellant αὐτεξούσιον, hoc est, suę potestatis, aut juris. Latini autem cùm dicunt arbitrii libertatem, per arbitrium intelligunt mentem nostram recta ratione (mutabiliter tamen) prędităm: per libertatem, voluntatem rectæ rationi, liberrimè obtemperantem. Liberrimè dico, quia se ad cõtrarium flectere potest. Ex his exsurgit talis definitio: Liberum arbitrium est facultas, qua vel suscipimus, vel repudiamus, prout libuerit, ea quæ ab intellectu decreta fuerunt.

2. Hoc quomodo in nobis sit, à Deo, à nobis ipsis, à Christo in hac vita, & post eandem, ordine considerabimus, ut hac ratione tanquam aptissima via in nostri cognitionem veniamus, cujus ignorantia fœdissima est. Nostri autem cognitio primùm in eo posita est, ut sciamus quæ fuerit naturæ nostræ excellentia à Deo creata: hãc Scriptura exprimit cùm dicit, *a* Creavit Deus hominem ad imaginem suam: cui nihil magis competit, quàm vera & solida libertas arbitrii, quæ fuit vera sapientia in mente, ita ut perfectè cognoscere posset,

posset, quid de Deo eiusque cultu quidve de virtutis studio & politicis rebus sentiendum esset. Hæc profectò liberi arbitrii radix est: nâ qui eâ uti volunt, videre debent, ne in mente sit error. a *Gen.*1. 26.

3. In voluntate tamen præcipuè arbitrii libertas vertitur, quandoquidem magis electio ad hanc, quàm ad intellectum pertineat. Hæc talis à Deo creata est, ut sanctitatem & justitiam, tum divinam tum humanam à mente monstratam, liberè sectari vel fugere posset.

4. Sed in mentem venire nequit prima illa dignitas, quin mox ex altera parte se offerat triste fœditatis & ignominiæ nostræ spectaculum, quòd in primi hominis persona, nostrâ culpâ, nobis peperimus. Hinc tanta caligine mens nostra obtenebrata est, ut in rebus cælestibus, hoc est, notitiâ Dei, & paterni ejus erga nos favoris (in quo salus nostra consistit) ingeniosissimi homines talpis cæciores sint. Equidem non inficior sparsim quædam apud Philosophos de Deo legi, scitè & appositè dicta, sed quæ vertiginosam quandam imaginationem semper resipiant. Præbuit quidem illis Dominus exiguum divinitatis suæ gustum, *a* ne ignorâtiam obtenderent, non autem ad veritatem dirigerentur: benevolentiæ tamen divinæ erga nos certitudinem (sine qua hominis ingenium immensâ confusione repleri necesse est) ne olfecerunt quidem *b* a *Rom.*1.20. b 2.*Cor.*3.5.1.*Cor.*2.v. 1.& 14.

5. In cognoscenda, vitæ probè instituendæ, regula (quæ tertia rerum cælestium species est,) videtur mens humana aliquantò quàm in prioribus acutior, siquidem testatur Paul. *a*. Gentes quæ legem non habent, naturâ quæ legis sunt facere: Isti (inquit) legem non habentes, sibi ipsis sunt lex, ut qui ostendant opus legis scriptũ in cordibus suis. a *Roman. cap. . vers.* 14.

6. Si tamen hoc ipsum quod intellectus percipit, ad legem Dei (quæ perfectæ justitiæ norma est) examinemus, videbimus ad inexcusabilitatem solummodò illis sufficere. Nam circa primam tabulam ita homines cæcutiũt, ut pejus de cultu Dei, quàm cæci de colorib. judicent. Quid enim veri sciunt de fiducia in Deum? de virtutis & justitiæ laude illi tribuenda? de nominis ejus invocatione? denique de vero sabbatho? quæ, inquam, anima naturali sensu freta, subodorata est in his & similibus verum Dei cultum esse positum? In secundæ tabulæ præceptis aliquantò sapientiores videntur, quò scilicet ad civilis inter homines societatis conservationem propiùs accedunt: quanquam & hic deliquium sæpè patiantur. Nam injuriarum ultio non est ipsis mala, omnino etiam perspicaciam eorum fugit *a* concupiscentiam peccatum esse: non dicam jam quod legis finem non videant, scilicet *b* gloriam Dei. a *Rom.* 7. 7. b 1. *Cor.* 10. 31.

7. Nunc videndum est, quid cernat humana ra-

na ratio in rebus terrenis, quæ cum præsenti vita rationem relationemque habent, & quodammodo intra ejus fines continentur, ut sunt Politia & Oeconomia, deniq; omnes habitus acquisiti, tum corporis, tum animæ. De his profectò fatendum est, quoniam homo animal est sociale, naturali quoque instinctu ad fovendam conservandamq; eam societatem propendere: hinc legum constitutio, & appetitus discendi artes & scientias, quas tamen ipsas esse a divini spiritus dona, nullatenus negandum est. Nam quamvis fideles solummodò inhabitet spiritus sanctificationis, nihilominus tamen Deus replet, movet, vegetat omnia, ejusdem spiritus virtute, secundùm uniuscujusq; proprietatem, quam ei creationis lege attribuit, ita ut ne passerculus cadat in terram sine ejus voluntate. a *Psal.*127.1. & *Jer.*10.23.

8. Quicquid hactenus dixi de mentis perspicacia in reb. ad societatem humanam pertinentibus, non eò spectat, quasi in iis intellectui integritatem mansisse putem. Nam, ut cum Augustino loquar, vulnerata, vexata, perdita est: vera confessione, non falsa defensione opus habet. Sed hoc volui, quod Augustinus alibi sic exprimit, Sanitas mentis & voluntatis rectitudo simul fuerunt ablata, atque hæc (inquit) est naturalium donorum corruptio, quæ quia naturalia sunt, deleri penitus non potuerunt nec debuerunt: neque pro-

pterea magis integra dicenda sunt quàm deformes ruinæ, domus integra.

9. Pergamus jam ad voluntatem, & videamus qualis ea sit in homine ante regenerationem. Hoc declarat Paul. cùm dicit, *a* Servi fuistis peccati. Si servi fuimus, profectò nulla fuit libertas voluntatis ad bonum. Præterea cùm naturæ desit, quidquid cælestis Pater electis suis per spiritum regenerationis confert, utique non poterunt bonum velle quidem. Nam Deus *b* operatur in nobis velle & perficere, quod confirmat Moises, cùm *c* figmentum cordis hominis esse malum à pueritia dicit. Quod si verum est, quomodo *d* mala arbor bonos fructus feret? quomodo nos, qui *e* palmites sumus, fructus feremus extra vitam nostram Jesum Christum, sine quo nihil possimus facere? Cùm *f* neque volentis sit neque currentis sed miserentis Dei. Talis profectò est, pravitas in voluntate nostra, ut quæ Lex vetat, ea cupiamus, quæ contrà præcipit, fugiamus. A' prima tabula quantum abhorreamus, demonstrat Paulus, cùm nos *g* inimicos Dei nominat, & sapiẽtiam nostram inimicitiam adversus Deum. Quid verbis opus est? Secundæ tabulæ præceptis æquè immorigeri sumus, ut patet ex Epistola Pauli ad Tit. 3. ubi dicit, Eramus quõdam & nos amentes, rebelles, errantes, servientes cupiditatibus, ac voluptatibus variis, in malitia & invidia degentes, odiosi, alii alios odio prosequentes.

tes. a *Roman.6.17.* b *Phil.2.13.* c *Gen.8.21.* d *Matth.7.18.* e *Johan.15.5.* f *Roman.9.26.* g *Col.1.21.*

10. Objiciet mihi Socrates aliquis, nihil sibi facilius esse, quàm suas manus cohibere, ne quempiam occidant. Quid si tibi hoc concedam, frœnum tamen voluntati vix impones, quin alicui nocere velis, vel ad minimum irascaris: & quamvis maximè hoc posses, nihilominus tamen peccabis. Nam ut Augustinus præclarè dicit, Ad evitandum rationem peccati non est satis, ut aliquid, quod bonum sit, fiat, nisi bene ac rectè etiam fiat: ut autem rectè aliquod bonum fiat, duo requiruntur, Fides vera & Gloria Dei.

11. Sed sicut prius dixi de intellectu, ita etiam de voluntate fatendum est, aliquam ejus esse libertatem circa opera civilia & moralia, quæ subjecta sunt naturali nostræ justitiæ, & vires voluntatis non superant, quamvis etiam in his homines magnam experiantur difficultatem, quia insanæ nostræ cupiditates morali rectitudini adversantur, illecebræ ac voluptates semper pulsant sensus nostros: Huc accedunt mali suasores: Satan etiam assiduè urget & impellit. Is enim humanis commodis invidens, sentiensq; ejusmodi operib. civilem disciplinam retineri, ea omnibus modis cupit pervertere.

12. Concludimus ergo Augustini verbis: Naturalia dona corrupta sunt in homine per

peccatum, supernaturalibus autem exinanitus est. Quòd si hoc verum sit, sicut verum esse demonstravimus: cur, cùm res desit, vocem liberi arbitrii retinemus, tanquam homò in integritate adhuc staret? profectò placet cum eodem Augustino vocis abusum his verbis illudere: Liberum arbitrium, liberum justitiæ, servum peccati: Nam libertatem hominis non aliam agnoscimus, nisi à justitia manumissionem, quæ miserrima est peccati servitus.

13. Quoniam non, sicut sponte cecidit homo, ita etiam sponte ex hac misera servitute surgere potest, porrigit nobis Deus desuper dextram suam, id est, Dominum Jesum, qui nos ex hoc peccatorum exitiali gurgite extrahat, & captivam ducat ipsam captivitatem, ut nos servos faciat justitiæ, liberos autem peccato. Hujus actionis tum initiũ tum incrementum ita in solidum Deo attribuo, ut homini ne tantillum relinquam. Deus enim est, qui suâ gratiâ aufert infidelibus cor lapideum, & prævenit merita (quæ nulla sunt) bonarum voluntatum, ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis debeatur. Valeat nunc illa de condigno & congruo, simul & illa de gratia operante & cooperante distinctio, cùm Deus sit qui cor lapideum auferat, quod nihil aliud quàm durissimam & inflexibilem adversus Deum voluntatem significat: nam ubi bona voluntas præcedit, ibi utiq; non est cor lapideum.

14 Sed

14. Sed diligenter animadvertendum est, hanc liberationem, saltem ex parte in hac vita homini competere, ita ut fidelium quisq; cum Paulo cogatur dicere, a Scio quod non habitet in me, hoc est, in carne mea, bonum, quamvis secundùm interiorem hominem delectetur Lege Dei. Nam quamdiu homo habitat in hoc corpore mortis, semper belligerat Lex membrorum adversus Legem mentis, ita ut quod pius quisq; vult, hoc non agat, quod autem odit, hoc faciat. Nec ad idem probandum parum momenti habet, quod Christus omnes fideles jubeat precari, Remitte nobis debita nostra: nec tamen propterea vilis videri nobis debet hic status, quem Augustinus non dubitat præferre illi gratiæ quam habuit Adamus. Nunc enim, inquit, in gratia Christi non solùm manemus si velimus, sed etiam (ut Paulus testatur Phil. 2. 23.) per illam habemus velle & perficere. Mutatur siquidem cor credentium, ut ex nolentibus fiant volentes; ut vellet autem, in arbitrio Adami situm fuit, neque id in eo gratia Dei efficiebat. a *Rom. 7.*

15. Post hanc vitam omnia erunt perfecta, quæcunque inchoatione in ea habuimus, & non tantum non peccabimus, sed etiam non poterimus: imò à nulla re magis abhorrebimus I. quia lucebit in mente, perfecta agnitio, in voluntate perfectissima & summa alacritas ad obediendum Deo. II. nun-

quam deseret nos Sp.S. sed perpetuò nos reget in vita cælesti, ut in ulla actione à rectitudine aberrare sit impossibile, unde dicitur Matth. 22. 30. erunt sicut Angeli in cælo: & Johan. 3. 3. similes Deo erimus.

FINIS.

THE-

THESES THEOLOGICÆ

DE PECCATO

Quas

Jehova adjuvante

Sub præsidio

Reverendi, & Clarissimi Viri

D.D. Amandi Polani

a Polansdorf, SS. Theologiæ Doctoris & Professoris ordinarii Dn. ac præceptoris sui summa observantiâ colendi,

In illustri Basilienſium Academia

Exercitii gratiâ, ad diem 21. Febr. horâ, locoque solitis,

Publica συζητήσει discutiendas proposuit

Iacobus ad Portum Bernas.

Anno cIↃ IↃ cv.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0697
DFG

Nobilitate generis, pietate, eruditione, ac virtute præstantissimo Viro,

Dn. ANTONIO TILLIERO, Inclyti Bernensium senatus assessori consultissimo, Domino, Mœcenati, ac Patrono suo, summa reverentia colendo, gratiam & pacem à DEO precatur.

SI quis miretur, præstantissime MOECOENAS, *me ex sacrosancta illa quæstionum theologicarum corona, hanc potissimùm de Peccato electam publicæ συζητησιν proposuisse; is, si & Cynici illius oraculi, γνῶθι σεαυτὸν, dignitatem, & frequentis contẽplationis miserrimi nostri status, in quem ceu in profundum cladium à summo beatitudinis vertice, per peccatum præcipitati sumus, utilitatem, christiana mente perpenderit, una & institutum hoc meum probabit, & hoc admirationis onere semetipsum liberabit.* QUID *enim quæso aliud tàm acutis calcaribus, pungentibusque stimulis ad cælestem illam animarum nostrarum panacean, & saluberrimæ divinæ misericordiæ ἀντιφαρμακα excitabit, quàm si nosmetipsos nostro modulo mensi, lethalia animæ nostræ vulnera, sordesq; ac peccatorum squalores, quibus hæreditaria quadam labe non leviter tantùm tincti, sed toti immersi, ac ceu universalis alicujus diluvii fluctibus obruti simus, penitiùs intueamur?* QUID *vehementiùs nos à rerum mundanarum circumferentia, ad ejus centrum nempè Christum, & Spiritus sui lucem expetendam commovebit, quàm si terrestrium præsidiorum fragilitat, si mentis nostræ horridum frigus, glaucoma, cæcitatem, ac suffusionem, si ejusdem delirium, vertiginem atq; lethargum; si denique in voluntate gravissimorum affectuum, atque symptomatũ syndromen exquisitiùs examinemus?* QUID *aliud nos ad flagrantissimo amore Christum amplectendum*

dum, inflammabit, quàm si nos ejus benignitate ex ipsius Orci turbulentissimis fluctibus ad cælestem regiam transportatos, si justitiam iniquitate depulsam, humilitatem superbia destructam, continentiam concupiscentia elisam, fidelium infidelitate ereptam, libertatem captivitate ablatam, vitam morte extinctam, omnium denique virtutum cumulum, omnium vitiorum turma excussum à Christo vitæ, omniumque bonorum fonte affluentissimo, restitutum esse cognoscamus? QUID *denique ardentiùs nos ad vitæ integritatem, & sanctimoniam instigabit, aut luxuriantes, & fruticantes cupiditates nostras acriùs coërcebit, quàm si tantam peccati atrocitatem esse, ut eam nec totus, & sanctissimus angelorum chorus, nec cæli cælorumq; virtutes, nec terræ infinitum robur, nec solis syderumque potentia, nec conjuncta omnium viventium vis, atque virtus, sed solus ille, & unigenitus* DEI *Filius ignominiosâ sua morte expiare potuerit, indesinenter cogitemus?* QUAE *omnia cùm ad hanc quæstionem proponendam me impulerint, benevolo Lectori ampliorem hujus mei instituti rationem reddendam non arbitror.*

TUO *autem honorifico nomini,* MOECOENAS *nobilissime, hasce studiorum meorum primitias, inscribere volui, tùm ob singularem tuam pietatem, eruditionem, ac virtutis splendorem, quin & propensam benevolentiam, quâ, avitæ cujusdam virtutis radiis tibi prælucentibus, ceu magnificus Mæcænas, omnes Marones, ac literarum cultores, & me cùm illis novitium in studiis tyronē prosequeris, tùm etiam ut hac ratione gratitudinis meæ τεκμηριον, studiorumque meorum μαρτύριον publicum acciperes. Accipias igitur eas quæso benigno vultu, tuique erga me amoris fruticem liberali tuo stipendio, quo tua autoritate, & majorum munificentia fruor, eductum, benevolentiæ tuæ radiis adversus Syrium Momorum ἐπιβουλευόντων æstum fortiter fovêre perge. Quod me attinet, en* DEUM OPT. MAX. *assiduis oro precibus, ut peregrinationis meæ cursu feliciter peracto, pietate, & eruditione onustum, ita ad vos reducat, ut Ecclesiæ Christi*

emolumento, patriæ utilitati, tibique honori esse, queam. Vale. Dat. Basileæ, calend. Febr. 1605.

Tuæ nobilitati, & excellentiæ

addictissimus

JACOBUS AD PORTUM BERNAS.

CUM omnis quæ à ratione suscipitur de re aliqua disputatio, à definitione proficisci debeat, ut intelligatur quid sit de quo disputetur; ideò etiam nobis de Peccato *disputaturis, ab ejusdem definitione ordiri lubet, ne hoc tanquàm portu ignorato, totius disputationis cursus incertus, ac vagus existat.*

THESIS I.

PECCATUM est ἀνομία, hoc est, quicquid à Lege discrepat, Johan. Apostolo 1. Epist. cap. 3. vers. 4. sic definiente.

2. Nec dissidet ab illa definitione, si dicamus: Peccatum esse privationem rectitudinis, justitiæ, ac conformitatis, lege divina requisitæ.

3. Peccati causa est liberum peccantis arbitrium, voluntasque spontanea, Deo tamen peccatum minimè invito volente, decernente, & in malo opere agente non nudè permittendo

tendo tantùm, sed ἐνεργητικῶς, & efficienter operando. Act. 2. v. 23. Act. 4. v. 28. 1. Pet. 3. v. 17 eodem tamen ab omni culpâ immuni, peccatiq; contagione purissimo existente.

4. Justus enim est Jehova in omnibus viis suis, Psal. 145. v. 17. qui non vult iniquitatem, Psal. 5. v. 4. qui diligens justitiam odio prosequitur iniquitatem, Psal. 44. v. 8. cùm omnibus operantibus iniquitatem; Psal. 5. v. 5. qui peccati autor neq; per naturam esse potest, Deuteron. 18. v. 12. & 32. v. 4. Job. 34. v. 10, 11. Zachar. 8. v. 17. Jac. 1. v. 13. 1. Joh. 2. v. 16.

5. Peccati effectum, est reatus, & pœna.

6. Reatus est peccati meritum, peccantem ὑπόδικον πρὸς τὸ constituens, & ex ordine justitiæ divinæ ad pœnam obligans, Levit. 5. v. 20. & 24. v. 25, 26. Esdræ 9. v. 6, 15.

7. Pœna est stipendium peccati, ob reatum peccati inflictum; Lament. 3. v. 39. Rom. 6. v. 15, 23. 2. Thess. 1. v. 9.

8. Pœna est duplex; Temporaria; vel æterna.

9. Pœna temporaria est, quæ ad tempus infligitur, & ad æternam tendit. 2. Pet. 2 versic. 4, 6, 9.

10. Pœna æterna est, exitium æternum, à Dei præsentia, & gloria in sempiternum nos excludens, cujus locus in inferioribus situs, abyssus dicitur; 2. Thess. 1. 9. Luc. 8. 31.

11. Peccatum autem, si tùm causas efficientes, tùm etiam subjecta respicias, duplex

est, Diabolorum nimirùm, vel hominum.

12. Peccatum Diabolorum, est in quod mali angeli, à Deo integri, justissimi sanctissimique creati, sponte ceciderunt.

13. In Diabolorũ peccato duo sunt consideranda, Lapsus, & corruptio lapsum sequuta.

14. Lapsus Diabolorum, est eorundem ab origine, id est præstantissima qualitate, puta justitia, sanctitate veritatis, potentia naturali, officio actionibusq; amplissimis, atque à Deo defectio. Joh. 8. 24. Judæ v. 6.

15. Quamvis autem verisimile sit Diabolum idem peccatum commisisse, ad quod aut simile genus etiam Adamum impulerit, nimirùm infidelitatis, quâ Dei promissis, & minis fidem derogarit, & legem aliquam angelicæ naturæ præscriptam, aut insculptam, violarit; tamen lapsus istius materiam specialem, nec verbum uspiam definivit, neq; Ecclesia certò unquam cognovit.

16. Corruptio è lapsu illo orta, est tanta naturæ angelicæ depravatio, ut horribili malitia, & irreconciliabili odio in Deum ruens, insatiabili studio genus humanum destruendi, flagret. 1. Pet. 5. 8. Eph. 6. 12. atq; ita omniũ reliquorum peccatorum causa principalis existat. 1. Joh. 3. 8.

17. Pœna hujus lapsus, est qua Deus Angelos lapsos, è cælesti domicilio in Tartarum detrusos, horrendo cruciatu in abysso, & spatio

tio temporis, & gradu immenso, sine omni spe veniæ excruciandos conservat, *a* omni illorum potestate limitata in hac vita, ac ceu cancellis quibusdam circumscripta. *b* a 2. *Petr.*2.*vers.*4.*Luc.*8.31. b *Joh.*1.v.12.

Hæc de peccato Diabolorum: sequitur de peccato Hominum.

18. Peccatum hominum, est in quod ipsi homines inciderunt.

19. Hoc peccatum pro varietate subjectorum, varias etiam sortitur affectiones; Est enim respectu electorum Dei, vel reproborũ, peccatum aliud veniale, aliud mortale.

20. Naturali enim proprietate sua omne peccatum mortem meretur, Ezech. 18. 20. Rom.6.23. ejusque gravitas non ex arbitrio nostro sumenda, sed ex sanctione & comminatione legis divinæ judicanda. Deus autem etiam minimis delictis comminatur maledictionem. Deuter.27.26.quam execrationem Paulus additione notæ universalis exponit. Gal.3.10.

21. Cùm enim peccatum, quod sua natura Pontificii veniale perperàm vocant, omne, etiam levissimum ex originali corruptione, ceu nativo aliquo fonte ortum ducat, ac proinde ejusdem cum illo sit naturæ, infinitumq; bonum, Deum nimirùm sua αὐτομείᾳ lædat, cur non eâdem naturâ infinitas pœnas, atq; æternam mortem mereretur?

22. Adde quòd Jacobus cap. 2. 10. unius

legis transgressorem, totius violatorem pronunciat. Cujus rei causa sumitur à persona legislatoris, cujus majestas nō solùm omnium, sed etiam singulorum transgressione lęditur, cùm idem sit omnium autor. Quemadmodū igitur singulorum præceptorum observatione colitur Deus, etiam minimorum, ita etiam eorundem violatione offenditur.

23. Quamvis autem omne peccatum sua naturâ tàm in piis, quàm in impiis in se consideratis, sit mortale; tamen quia electi non in se, sed in Christo capite à Deo considerantur; impii verò extra Christum positi nihil habent quo fœditatem suam tegant; ideò his peccatum omne mortem accersit, illis verò ex gratia & misericordia Dei propter Christum remittitur. Rom. 8. 1.

24. Quemadmodum enim ignis ille in fornace Babylonica verus & naturalis ignis fuit, licèt flagrantissimus ejus fervor, Dei suos perpetuò defendentis, potentiâ ita sit repressus, ac reflexus, ut eodem tres illi viri Israëlitæ nō modò non conflagrarint, verùm etiam ne capillus capitis læsus fuerit. Et magnes semper magnes est, ac remanet, licèt allio inunctus, & tanquam obstaculo ad substantiam magnetis extrinsecùs accedente, impeditus, ferrum attrahere nequeat; ita etiam peccatum omne etiam minimum in ipsis quoque electis actu, ac reipsa peccatum est, suaq; naturâ mortem meretur, licèt gratiâ Dei remittentis electis in Christo

Christo non imputetur, ejusq; vires ita confringantur, ut virulentia ejus ipsis fraudi esse nullo modo possit.

25. *Secundò* peccatum respectu non renatorum, vel renatorum dicitur vel regnans, vel non regnans.

26. Peccatum regnans, est cujus concupiscentiis homo fide, & Spiritus Sancti gratiâ nudus plena voluntate, & sine ulla mentis contradictione, aut spiritus repugnâtia, tanquam mandatis regiis, ita obtemperat, ut animo & corpore sub imperio carnis, ac servitute Diaboli ceu pedicis constrictus, ac captivus teneatur. Roman. 6. 12. 17, 18, 19. Johan. 8. 24. 2. Petr. 2. 19. 2. Corinth. 2. 4. Ephes. 2. 2. 1. Johan. 2. 16.

27. Peccatum non regnans, est cujus imperii jugum homo non quidem naturæ ullis adminiculis suffultus, sed gratiæ divinæ præsidiis munitus, excussit, viq́ue spiritus regenerantis illum pennas quasi incidit, ne ampliùs tàm liberè ac latè, ut anteà pervagari possit, atque ita homo non ampliùs peccato, sed Deo per Christum Jesum vivat. Roman. 6. 11, 12, 14, 22. 1. Cor. 6. 11. Tit. 3. 3, 4, 5. Gal. 3. 27. Eph. 2. 2, 3. &c. & 3. 17.

28. *Ex hisce* omnibus liquet, renatos in libro vitæ inscriptos (qui liber non est providentiæ quâ Deus bona, & mala providet, sed prædestinationis gratiæ, quâ Deus in electis suis statuit ἀμεταμελήτως) & Spiritus sancti gra-

tiâ speciali, illuminatos, Christoq; insitos gratiâ Dei & fide nunquam penitùs & finaliter excidere posse. Johan. 10.28, 29. 1. Cor. 1. 8. 1. Thess. 3. 13. 2. Tim. 2. 19. Rom. 8. 30. Phil. 1. 6. 1. Joh. 2. 19.

29. Quanquam enim Spiritus Sanctus sæpè magna ex parte, quod ad multa effecta, ac ejus sensum ab electis expellatur, flammæque ignis cælestis à Spiritu Sancto accensi, reprimantur ac restinguantur, & fides ob ejus imperfectionem à gravioribus lapsibus vehemẽter concutiatur, & penitùs propemodum opprimatur, nunquam tamen Spiritus sanctus penitùs expellitur, nec ignis ille divinus penitùs suffocatur, nec fides prorsus exstinguitur, nec etiam gratia Dei finaliter aufertur. 2. Sam. 7. 14. Psal. 89. 31. Luc. 22. 32.

30. Manet enim in illis fidei ille igniculus quantumvis pusillus, & quasi sub cineribus latens, ita tamen ut ad minimum flatum verbi divini, & Spiritus sancti mox denuò excitetur, lucidissimisque flammulis erumpat. Manet etiam in illis semen divinum, cohibens illos ne faciant peccatum, 1. Johan. 3. 9. quod etsi interdum quò ad ἐνέργειαν, & efficacem operationem contegatur, nunquam tamen penitùs emoritur. 1. Pet. 1. 23.

31. *Peccatum hominum* si causas respicias, est vel primorum nostrorum parentum, Adami nimirum & Evæ, vel posterorum ipsorum.

32. Peccatum primorum nostrorum parentum,

rentum, est quod illi in paradiso commiserunt.

33. Causa προηγουμένη seu interna hujus peccati, est utriusque libera ac propria voluntas. Cùm enim liberrimo illi prædíti tàm ad bonum, quàm ad malum arbitrio, neque ullis pravis affectibus obnoxii fuissent, nec voluntatem Dei ignorassent, Diabolo etiam neque jus, aut autoritatem ullam in eos habente, adeoque non cogente eos, sed quibuscunq; poterat rationibus persuadente illis peccatum; ideo spontanea voluntate liberrimoque arbitrio eos peccasse dicimus.

34. Peccati primorum nostrorum parentum partes duæ sunt; Lapsus, & corruptio, quæ lapsum sequuta est.

35. Lapsus primorum nostrùm parentum est inobedientia, quâ internè simul voluntatem suam, à voluntate Dei avertendo, & concipiendo concupiscentiam pravam, & actu externo legem Dei de fructu arboris vetitæ non comedendo, temerè violarunt. Gen. 3.

36. Gravitas autem hujus lapsus, non ex vilitate objecti externi, & pomi æstimanda est, sed ex offensione Dei, non ex amore nimio conjugali, sed ex transgressione legis naturæ, & divinæ, quam illi beneficiorum Dei immemores, ac recens creati à Deo non tantùm deficiendo, sed etiam summæ majestatis divinæ honores sibi vendicando, divinitatemque invito Deo rapiendo, violarunt; non

tantùm denique ex superbia, sed infidelitate, & contemtu Dei, ceu omnium malorum fonte ac radice, quâ fidem Dei promissionibus & minis detraxerunt, atque ita se suosq; posteros omnes, à summo illo æternæ beatitudinis statu, profundo cladium & omnis generis miseriarum, horribiliter immerserunt, atque quantum in ipsis est, in æternam barathri voraginem abominando modo præcipitarunt.

37. Corruptio lapsum sequuta, est secunda pars peccati primi, qua obscurata in ipsis imagine Dei, rectitudinis, justitiæque decus sublatum est, vitiositate inclinationeque ad malum, & habitu malo succedente.

37. Peccatum posterorum, est in quod Adami & Evæ posteri naturaliter ex eis provenientes, inciderunt.

39. Estque duplex, originale vel actuale: quorum illud hujus fons, radix, & mater, hoc verò illius rivulus fructus & proles est. Quemadmodum enim justitia originalis omnium virtutum radix, chorus & cumulus fuit; sic peccatum originale omnium malorũ & peccatorum actualium, Ilias, turba, ac fœtidissima sentina exstitit.

40. Peccatum originale, est totum illud primorum nostrorum parentum peccatum, hæreditaria labe ab ipsis in posteros transfusum, eodemque sensu concupiscentia, & lex membrorum dicitur. Rom. 7.

41. Hujus

41. Hujus peccati subjectum est *omnis*, & *totus* homo, quicunque in hunc mundum nascitur, Psal. 51. 7 Ephes. 2. 3. Roma. 5. 12. & 19. excepto solo Christo, qui nec peccavit unquam, neq; etiam peccare potuit.

42. Quoscunque enim Adam genuit ad imaginem & similitudinem suâ post lapsum, eos genuit secundùm eam naturam, quam post lapsum habuit, cùm aliam transfundere non potuerit, i. justitia originali spoliatam, totamque corruptam, mortalem, atque peccato originali obnoxiam. Atqui Adamus omnes genuit ad imaginem, & similitudinem suam; [a] Ergo omnes homines genuit secundùm naturam quam post lapsum habuit, i. justitia originali spoliatam, totamque corruptam, & peccato originali obnoxiam.

a *Gen.* 5. 3.

43. Deinde pro quibus Christus est mortuus, illi sunt peccatores; Atqui Christus pro omnibus est mortuus, Rom. 5. 8. 2. Cor. 5. 15. Ergo omnes sumus peccatores.

44. Adde quòd Adamus non fuit privatus homo, sed repræsentativè gerebat personam totius generis humani, ejusq; quasi radix fuit; Unde sic argumentamur;

Si sancta radice, rami quoque sancti sunt, tùm ex natura contrariorum radice non sancta, nec rami etiam sancti esse possunt; Matt. 7. 18. Atqui prius verum est, Rom. 11. 16. Ergo & posterius.

45. *Totum* autem hominem ita corruptum esse, ut nulla ejus pars à corruptionis illius labe remanserit immunis, inductione partium hominem constituentium, anima nimirùm, id est, intellectu & voluntate, ac corpore; ita demonstramus.

46. Intellectus enim spoliatus est eximia illa spirituali sapientia, cognitioneq; in rebus Dei tùm ad purum ejus cultum, tùm ad vitam æternam pertinentibus, *a* succedente ἀδυναμίᾳ, qua per se non ampliùs potest percipere res spirituales etiam cùm docentur, *b* vanitate etiam conjuncta, qua verum esse falsum, contraq; judicat, *c* & aptitudine, ad concipiendum, & cogitandum malum tantùm. *d*.
a 1.*Cor.*2.*ver.*14.*Matt.*16.17.*Rom.*8.7. b *Luc.*24. *vers.*25. 2.*Cor.*3.5. c *Eph.*4.17,18. 1.*Corinth.*11.21, 23.*Proverb.*14.12. d *Genes.*6.5.*Jerem.*4.22.

47. Voluntas autem est corrupta, quia non ampliùs potest velle, vel minimum appetere bonum, quod Deo gratum sit, eiq; placeat. *a* Verùm abhorret à bono, ac malum tantùm appetit atque vult. a 1.*Corinth.*2.14.*Rom.*5.6. 2.*Tim.*2.26.*Philip.*2.13.

48. Corpus autem corruptum esse quis negaret, cùm aptissimum sit instrumentum incipiendi peccatum, objecta nimirum, & occasiones peccatorum ad animum transferendo, *a* illudq; ab animo cœptum perficiēdi. *b*.
a *Gen.*3.6. b *Roman.*6.12,13,19.

49. Quòd si de adjuncta hujus corruptionis

nis in homine duratione interrogemur, respondemus, quemadmodum illa homini cuivis est ὁμόγνιος, καὶ ὁμόχροος, ita eidem quoque eam esse σύγχρονον, ita ut vires ejus in hac vita nunquam penitùs extinguantur, domesticusque ille tyrannus dum mortale hoc corpus gestamus, pelli prorsus è nobis non possit.

50. Cùm autem omnis, & totus homo peccato originali ceu universali aliquo diluvio sit obrutus atque infectus, sequitur ejus arbitrium non regeneratum tantùm ad malum liberum, atque pronum esse. Psal. 14.2,3. Rom.3.10,11. Matt.12.34. Rom.8.7. 2.Pet.2.19. Rom.6.17.&c. Col.3.13.

51. Ac proinde omnia illius opera licèt per se bona, respectu suæ causæ ac originis, mala atq; peccata esse, cùm fiant sine fide, sine qua quicquid fit peccatum est *a*, cùm fiant ac proficiscantur ex fonte impuro, & arbore maledicta, quæ non potest fructus bonos ferre, *b* cùm autor Christo non sit insitus, quippe qui careat fide, sine qua impossibile est Deo placere, *c* ac per consequens sit inimicus Dei, filius iræ, maledictus, homo carnalis, filius Diaboli, &c. a *Roman.*14.23. b *Matth.*7.18. c *Hebr.*11.6.

52. Sequitur etiam hominem non renatum suis viribus se ad Deum non posse convertere, & in primo conversionis actu se merè habere passivè, & ad sui regenerationem ex sese tantum conferre, quantum Lazarus ad

sui vivificationem ex sese contulerit; id quod duorum generum testimoniis demõstramus.

53. Primum genus testimoniorum sumitur, ex iis Scripturæ locis, quibus ista omnia humanis viribus adimuntur; Ut Jerem. 13. 25. Matth. 12. 34. Joh. 6. 65. Rom. 8. 7. 1. Cor. 2. 14. 2. Corinth. 3. 5.

54. Alterum sumitur ex iis locis quibus totum opus conversionis nostrę, Deo, ut causæ solitariæ, attribuitur: ut Esai. 65. 1. Ezech. 11. 19. Jer. 17. 14. Thren. 5. 21. Luc. 8. 10. Matt. 16. 17. Luc. 24. 45. Joh. 15. 5. & 16. Act. 16. 14. & 4. 7. Rom. 10. 30. 2. Corinth. 3. 5. Phil. 1. 6. & 2. 13. Eph. 2. 5 Gal. 5. 6. &c.

55. *Adversarii* autem qui à veritatis semita in hac doctrina de peccato originali, ad errores prolabuntur, partim peccant in ἔλλειψιν seu defectu, partim in ὑπερβολὴν seu in excessu.

56. Eorum qui in defectu peccant, primarii sunt *Anabaptistæ*, omnes infantes ab originalis peccati contagione liberos, falsò pronunciantes, ipsumq; peccatum originis tanquam merum humani ingenii figmentum, primo autori Augustino perperàm ascribentes.

57. Quicunque enim moriuntur, illi quoque peccârunt, peccatoque originali proprio infecti sunt, cùm mors nihil aliud sit nisi stipendium peccati. *a* Nisi enim peccassent & ipsi, & tamen morerentur, tunc revera filius portaret iniquitatem patris, neque tantùm ea

anima,

anima, quæ peccavit, moreretur, quod credere impium, profiteri blasphemum est, *b* Atqui infantes sæpè moriuntur antequàm ob defectum rationis peccatum actuale perpetrare queant. *c*. Ergo infantes quoque peccato originali sunt infecti. a *Rom.6.vers.ult.* b *Ezech.*18.20. c *Rom.*5.14.

58. Quinetiam opposita privantia idem evincunt. Quicunque enim renascuntur, & à peccatis abluuntur, illos peccato antè contaminatos fuisse, necesse est; privatione habitum semper præsupponente. Atqui infantes renascũtur, & à peccatis abluuntur, cùm etiá illi ingrediãtur omnes (ex illorum sententia) in regnum cælorum, regnum autem Dei nemo nisi renatus videre potest. Johan. 3. 3. & 5. Ergo omnes quoque infantes peccato originis sunt contaminati.

59. Adhæc; Quicunque in iniquitate concipiuntur, atque ex parentibus corruptis procreantur, illi quoq; sunt corrupti; Quis enim edat mundum de immundo? Job.5.14. Atqui infantes omnes in iniquitate concipiuntur, Psalm.51.7. & ex parentibus impuris procreantur. Gen.5.7. Ergo infantes quoque omnes peccato sunt corrupti.

60. Anabaptistis succedunt *Pontificii*, peccatum originale agnoscentes quidem, verùm ita extenuantes, ut vix peccati rationem habeat. Quorum error, quia quatuor potissimùm nititur fulcris, eadem ad destruendam

erroneam doctrinam illis superstructam, ordine evertemus.

61. *Primò* itaque Thomas Stapletonus Jesuita adcicatricis hujus originalis fœditatem contegendam, hoc sophismatis velo utitur, dicens: Cùm corruptio ex Adami inobedientia contracta nobis sit involuntaria, ideò nos tantùm iniquitate habituali, non autem actuali in Adamo obstringi, quod falsum esse sequentibus demonstramus argumentis.

62. Si enim Adami voluntas nostra quoq; fuit, tùm etiam activa ejus obedientia, & transgressio nostra est, quantumq; Adamus voluit, tantum etiam nos putandi sumus voluisse, & quicquid ille boni à Deo, vel mali aliunde accepit, id etiam nos accepisse censemur; Atqui Adæ voluntas nostra fuit, quia consideratur ut semen ac principium totius generis humani, in cujus lumbis omnes ceu in radice, virtute quadam inclusi fuimus. *& ut Augustinus ait, Omnes eramus ille unus homo.* Ergo etiam activa ejus transgressio & inobedientia nostra est, nosq; scientes volentesq; peccavimus.

63. Deinde qua ratione justi reddimur per Christum, eadem ratione injusti efficimur per Adamum; Atqui per Christum reddimur, non tantùm quòd fructum obedientiæ Christi, nimirum remissionem peccatorum, regenerationem, ac vitam æternam ab eo consequimur, verùm etiam activa ejus obedientia, & justitia nobis ita imputatur, eâq; ita justi efficimur,

ficimur, ac coram Deo reputamur, ut illa non tàm Christi censeatur esse propria, quin etiam fiat omnium suorum membrorum, hoc est electorum, & spiritu ejus regeneratorum tàm communis, ut quisque dicere jure possit, activam obedientiam & justitiam Christi suam quoque esse. 1. Corinth. 1. 30. Ergo per Adamum reddimur injusti, non tantùm quòd ab illo trahamus carnẽ, & cum illa privationem justitię originalis, totiusq; naturæ corruptionem, verùm etiam quia illius tanquam capitis activa inobedientia nobis tanquam membris ita imputatur, ut non tàm illius, quàm singulorum sit propria, omniumque æquali participatione communis; ut ex Antithesi Apostoli manifestè claret. Rom. 5.

64. Adde; Quòd in unoquoque corpore, sive mystico sive naturali, quod facit caput, quatenus caput, illud toti corpori jure imputatur.

65. Quicquid enim voluntas tanquam caput ac regina in homine fieri jubet, id toti corpori tribuitur, unde & totus homo plectitur. Quicquid facit Magistratus, quatenus magistratus, id toti Reipub. imputatur. Si denique paterfamiliâs rebellis sit contra suum principem, aut crimen læsæ majestatis designat, rebellionis illius ac criminis rei fiunt omnes ejus liberi, ac propterea omnibus bonis à principe spoliantur.

66. *Alter* error omnibus Pontificiis com-

munis, ex hoc priori ceu fonte manavit. Cùm enim, inquiunt, in infantibus tantùm habitualis sit iniquitas, ideò etiam infantes ante baptismum decedentes æternæ quidem damnationi, sed nulli sensus cruciatui esse obnoxios.

67. Quamvis autem Deus potentiam gratiæ suæ non alligarit baptismo, ejusque non privatio culpæ expers, sed contemtus damnat, a tamen nec privatio etiam cælestis gaudii, vitæque æternæ, rejectio è conspectu Dei, & à felici sanctorum statu tàm ignominiosa, seclusio, sine acerbissimo dolore, ac ineffabili terrore, summique cruciatus sensu contingere nemini potest. a *Jos.5.v.4,5,6,7.Luc. 23.v.42.Act.8.37.& 10.v.44,45.*

68. Quid enim quæso aliud est quenquam à conspectu Dei abalienare, à pabuli illius cælestis præsepio arcêre, ostio regni cælestis repagulum obdere, quàm diabolicis spiritibus dilaniandum, ac deglutiendum propinare? Ut enim anima corporis nostri vita est; ita Deus animæ nostræ vita, ejusque spiritus animæ nostræ anima est; Ita etiam separatio à tàm gratiosa Dei communione ipsissima animæ mors est; quâ alia nec gravior, nec magis abominanda fingi potest.

69. *Tertius* Pontificiorum error est, quo dicunt peccatum originale per baptismum ita elui, ut in renatis veri peccati rationem nõ habeat, nos econtrà, concupiscentiam originalem

nalem in renatis remanêtem verè ac propriè peccatum esse, sequentibus demonstramus argumentis.

70. Quod enim semel fuit peccatum, quod in homine manens facit eum peccare, quod hominem in spiritualibus miserum reddit, quod impedit actionem bonam, quod adversatur voluntati bonæ, quod concupiscit adversus spiritum, quod tentat hominem, ac tentando hominis mentem ad peccandum pertrahit; id propriè ac suâ naturâ est peccatum, cùm illa opera omnia voluntati, ac legi Dei repugnent; Atqui concupiscentia in Paulo jam renato semel fuit peccatum. Rom. 7. v. 17. fecit ipsum peccare, v. 20. reddidit ipsum miserum in rebus spiritualibus, v. 24. Impedivit ipsius actionem bonam, v. 18. voluntati ejus bonæ, legiq; mentis ipsius adversata est, v. 19, 20. & 23. concupiscit adversus spiritum, Gal. 5. v. 17. tentat hominem, ejusq; mentem tentando ad peccatum pertrahit. Jac. 1. v. 14. 15. Ergo concupiscentia in renatis remanens, verè ac propriè peccatum est.

71. Quod deinde lege Dei prohibitum est, Exod. 20. 17. id verè ac propriè peccatum est; Atqui concupiscentiam originalem Exod. 2. prohibitam esse, ostendit Paulus Roman. 7. 7. Ergo concupiscentia verè ac propriè peccatum est.

72. Et Paulum unà cum Mose non loqui de concupiscentia merè actuali, cui voluntas

etiam consentiat, neque etiam de ea, quę partim originalis, partim actualis surgit ab illa naturæ corruptione, quam nos sentimus, qui actu, licèt absq; consensu concupiscimus, quo nomine pravi omnes naturæ nostræ motus, affectus vitiosi, desideria, & cupiditates, quæ sæpè etiam nobis invitis oboriuntur; Verùm de originali illa, quæ ab Adamo in omnes homines derivatur, quæ est fons omnium concupiscentiarum, totius naturæ corruptio, & ceu accensa fornax unde flammæ cupiditatum perpetuò emittuntur; Ex hisce rationibus patet.

73. Si cõcupiscentia, cui assentitur voluntas, singulis & antecedentibus secundæ tabulæ præceptis damnata est, tùm revera decimo præcepto prohibetur concupiscentia originalis sine consensu nobis inhærens, aut revera decimum præceptum est ἀνθλοχικὸν, quod absurdum est. Atqui prius verum esse demonstratur primò Matth. 5. 28. Ubi Christus internam concupiscentiam consentiente voluntate, ad præceptum septimum restringit, *Non mœchaberis.* Deinde ex 1. Johan. 3. 15. ubi Apostolus odisse proximum ad sextum præceptum refert. *Non occides.* Ergo decimo præcepto vetatur fomes ille concupiscentiæ, qui nobis etiam sine actus externi complemento inhæret.

74. Quam denique concupiscentiam in se novit Apostolus Roman. 7. esse peccatum, quam

quam damnabat, cuique resistebat, eadem etiam ultimo decalogi præcepto prohibetur. Atqui Apostolus damnavit in se concupiscentiam originalem, quâ legem peccati in membris existentem vocat; concupiscentia enim illa, cui neque per ętatem potuit resistere, nec motus ejus percipere, neque etiam cognoscere esse peccatum, ea revera non est actualis sed originalis, de quali Rom. 7. agit. Ergo cõcupiscentia eadem originalis ultimo decalogi prę-cepto prohibetur.

75. *Quartus* error Pontificiorum est, quo concupiscentiam ex animi limitibus, in animæ partes inferiores detrudunt, nos verò è contra eandem ipsius animæ arcem occupare, asserimus.

76. Quicquid enim menti rebellat, eamque captivam tenet, id revera sedem non in mole ista corporea, sed ipsa mente habet; Atqui concupiscentia menti rebellat, eamque captivam tenet. Roman. 7. 23. Ergo concupiscentia non tantùm in mole corporea, & sensibus, verùm in ipsa mente ac anima sedem habet.

77. Si fructus concupiscentiæ, malæ nimirùm cogitationes, adulteria, &c. intus ex corde proficiscuntur, tùm revera concupiscentia sedem in corde necessariò habet. Atqui prius est verum. Marc. 7. 21. Ergo & posterius.

78. Deinde ubicunq; concupiscentia fuit

ante regenerationem, ibidem etiam est post regenerationem, cùm per baptismum non loco suo pulsa, sed tantùm vi condemnandi sit spoliata; Atqui ante regenerationem per totam animam fuit diffusa. Ergo & post regenerationem.

79. Ubicunque denique Apostolus jubet fideles incumbere in studium renovationis mentis, & Deum precatur ut mentes renatorum renovet, ibi etiam docet contagium originale remansisse; Atqui jubet nos incumbere in studium renovationis mentis nostræ. Roman. 12. 2. 2. Corinth. 4. 16. Eph. 4. 23. Precatur Deum ut renovet mentes nostras, Ephes. 1. 16, 17, 18. Ergo iisdem in locis docet reliquias peccati originalis etiam in mente remansisse.

80. Adhæc, Si tantùm pars sensualis, non autem ipsa anima subjectum esset concupiscentiæ, tùm pars sensualis etiam φρονᾶν, i. sapere, & intelligere posset, cùm Paulus Rom. 8. 7. φρόνημα, quod inimicitiam adversus Deum vocat carni tribuat; Atqui consequens est absurdum; Ergo & antecedens.

81. *Cùm* autem cõcupiscentia renatorum perpetuus in hac vita & individuus comes sit, sequitur etiam ipsos renatos, gratia Dei non adjutos, nec peccata evitare, nec etiam obedientiam perfectam legi Dei præstare posse.

82. Perpetuò enim caro concupiscit adversus

versus spiritum, Galat. 5. 17. ipsaque concupiscentia penitissimis animi affectibus infixa manet, ipsamque cordis arcem, seu domesticus aliquis tyrannus, occupat, quo fit ut nihil vel cogitari, vel dici, vel fieri possit, quod pestilentissimi hujus hostis contagio non inficiatur.

83. Et quemadmodum Israëlitę potiti terra promissa, omnes quidem reges trucidarunt, nihilominus tamen populi illius reliquię multæ, inter illos remanserunt, quousq; David in regno constitutus arcem Hierosolymitanam cœpit, & Jebusæos penitùs exterminavit; Ita etiam concupiscentia regnum ac reatum quidem amisit, tâquam stirps tamen generis invisi, nûquam tota à quoquam exscindetur, quo ad Christus rex ille noster spiritualis, omnes suos hostes sub jugum miserit.

84. Post Pontificios sequuntur *Pelagius*, *Cœlestinus*, ac *Pighius*, peccatum originis non carnali propagatione, sed imitatione, & exemplo, ad posteros derivantes; cujus opinionis falsitas superioribus argumentis refutata est, quibus demonstravimus, nos non tantùm omnes in Adamo peccasse, verùm insuper etiam in peccato originis concipi atque nasci, ac proinde eo tempore originali contagione infici, quo omni usu rationis carentes, neminem imitari possumus.

85. *Restat* nunc plumbeum illius telum retundendum, qui in excessu & ὑπερβολῇ pecca-

vit, *Flacii*, nimirùm *Illyrici*, qui subſtãtiam cum ſuis qualitatibus non modò corruptam, verùm prorſus immutatam, ac ceu chymiſtica quadam tincturâ in naturam peccati reſolutam eſſe aſſerit, atque ita veritatis limites nimia ὑπερβολῇ tranſiliit.

86. Apoſtolus enim Paulus manifeſtè inter hominis ſubſtantiam, & inter peccatum diſtinguit. Rom. 6. 12, 13. & 7. 20. quin & adjunctum hominis ſeu παρακείμενον idem appellat, Rom. 7. verſ. 21. Adjunctum autem eſſe ipſam eſſentiam, ſeu ſubſtantiam, aut tantum in illud tranſmutari poſſe, ex ſcholis Logicorum & Phyſicorum, jam dudum explosum eſt.

87. Deinde ſi peccatum originis eſſet ipſa hominis ſubſtantia, aut Deus eſſet autor peccati, cùm ſit cauſa hominis, aut cauſa hominis eſſet Satan, quia autor eſt peccati; Atqui conſequens utrumq; abſurdum, & blaſphemum eſt: Ergo & antecedens.

88. Denique ſi caro noſtra & ſanguis noſter ſunt peccatum; aut Chriſtus non aſſumſit carnem noſtram, quia peccatum non aſſumſit, aut aſſumẽdo carnem noſtram, peccatum etiam aſſumſit; Atqui Chriſtus carnem noſtram ſine peccato aſſumſit. Hebr. 2. 14, 16. & cap. 4. 15. Ergo caro noſtra, ſeu ſubſtantia non ſunt ipſum peccatum.

Hactenus fuit peccatum originale: ſequitur nunc peccatum actuale.

89. Peccatum actuale eſt, peccatum ab originali

riginali ortum, quod re & actu ipsi committimus.

90. Peccatum actuale duplex est, Internum tantùm, vel externum & internum simul.

91. Peccatum actuale internum est, quævis prava cogitatio, *a* motio, inclinatio, & appetitio. *b.* a *Psalm.*10.4. & 14.1. *Psal.*10.11, 13. *Apoc.*18.7. *Luc.*18.11. b *Gal.*5.17.

92. Peccatum actuale internum, & externum simul est, in quo perpetrando cum internis animi facultatib. corporis etiam membra concurrunt. Psal. 40.13.

93. Deinde peccatum actuale, est vel omissionis tantùm, vel omissionis & commissionis simul.

94. Peccatum omissionis tantùm est, quando munus nostrum bonorum operum à Deo mandatorum, non exequimur.

95. Peccatum omissionis, & commissionis simul est, cùm non modò bonum à Deo mandatum non perficitur, verùm è contrà etiam malum lege divina prohibitum, perpetratur, Judic.10.v.10.

96. Tertiò peccatum actuale, est vel remissibile, vel irremissibile.

97. Peccatum remissibile est, quodvis peccatum contra Patrem & Filium commissum, si peccator resipiscat, & remissionem peccatorum propter Christum petat. Matth.12.31.

98. Peccatum irremissibile est, quod non tantùm difficulter (ut Bellarm. vult) verùm

nunquam remittitur, neque in hac, neque in futura vita. Matt. 12. 31. Mar. 3. 28. Luc. 12. 10. Hebr. 6. 4, 5, 6. & 10. 26. 1. Joh. 5. 16. hocque peccatum blasphemia in Sp. S. seu peccatum ad mortem dicitur.

99. Blasphemia in Spiritum S. est peccatum irremissibile, cùm quis de veritate Dei edoctus vi Sp. S atque victus, ex illis odio, & destinata malitia, voluntateque pertinaci, contra conscientiam eam non modò in sempiternum rejicit, verùm etiam ut diabolicam, impiam & hæreticam pro viribus oppugnat.

100. Peccatum hoc committitur, tùm ab iis qui veritatem cognitam nõdum sunt professi, vel qui eam ut membra Ecclesiæ apparentia sunt professi.

101. In priorum numero fuerunt olim *Scribæ* & *Pharisæi*, de quibus agitur Matth. 12. & Mar. 3. & hodie omnes inter *Pontificios* & *Jesuitas*, & alii, qui doctrinam Ecclesiæ reformatæ diabolicis insectantur blasphemiis, eamq; autori Satanæ ascribunt, scientes, atque in conscientia victi, illam à Sp. S. in libris Propheticis & Apostolicis traditam esse.

102. Peccatum irremissibile, quod à veritatem jam professis committitur, dicitur Apostasia, quæ est, quando quis à consortio Ecclesiæ, quæ talem doctrinam profitetur, tota vita, ac corpore sese separat. 1. Joh. 2.

103. Peccatum hoc irremissibile dicitur peccatum in Sp. S. non quòd persona Sp. S. dignitate

gnitate sua, personam Patris & Filii antecellat, aut quòd solus Sp.S. absque Patre & Filio lędatur, cùm per illud etiam Christus ad Heb. 10.29. conculcari dicatur. Sed intelligendum est per comparationem & officii Sp.S. & naturæ hujus peccati. Ut enim Pater & Filius nos per Sp.S. illuminant; sic etiam qui in Sp.S. peccant, in Patrem quoq; ac Filium peccant, Atqui Pater & Filius mediatè nos illuminant, quia immediatum est opus Sp.S. contra quod blasphematores illi peccant, mendacii eum arguendo; Ergo impropriè etiam in Patrem & Filium impingunt qui in Spiritum sanctum peccant.

104. Peccatum denique in Spiritum sanctum dicitur irremissibile, non quòd potentius sit gratia Dei quæ omne peccatum exuperat, Rom. 5.20. sed quòd eo peccantes æterna cęcitate, ob peccati commissi atrocitatem, quâ immediatè in Sp. sanctum ruunt, justo Deo judicio, qui nec cum voluntate sua pugnare vult, nec etiam justitiæ suæ renunciare, ita percutiuntur, ut ab omni pœnitentia exclusi, definita sententia in plenam Satanæ potestatem tradantur.

105. Adde quòd illi ipsi huic judicis sententiæ subscribentes, certò sciunt, se ab omni gratia, ut canes indignos rejectos, & jam condemnatos esse, ac propterea à corpore quidem viventes, anima autem mortui, cruciatibus infernalibus horrendum in modum angun-

tur, & divexantur. Quemadmodum enim Sp. sanctus paracletus noster, singulis electis Dei υἱοθεσίας suæ testimonium ineffabile reddit, Roman. 8. v. 15. Ita etiam Diabolus carnifex illorum Apostat. absque dubio testimonium reddit illis, se à communione Dei & gratia exclusos, filios Diaboli esse maledictos, atque αὐτοκαλακέτους; ut horrenda illa historia *Francisci Spieræ testatur.*

COROLLARIA

I.

CUM peccatum originale fons acradix sit omnium peccatorum, ideò cùm nascimur, cum omnibus peccatis δυνάμει nascimur. Quamvis igitur non omnia peccata ab homine ante gratiam committi dicamus, tamen ante gratiam aptus est ad quodvis peccatum perpetrandum, si illi Deus habenas relaxaret, & peccandi opportunitates præberet, viamq; aperiret. Ut moles quanquam retinetur ne cadat, habet tamen in se naturam pronam ad prolabendum, ruitq; remoto obstaculo, & navis alligata anchoræ, si funem præciderís, fluctu, ventisq; rapitur.

II. An ex nostra doctrina, qua docemus

mus peccatum originale per carnalem propagationem in nos derivari, sequatur: Animam ex traduce esse? N.

III. An remissa culpa, remittatur etiam pœna? A.

IV. An injuriâ afficiamus, si beatissimam virginem Mariam quoq; peccato originali obnoxiam esse asseramus? N.

V. An virtutes Ethnicorum, puta fortitudo Horatii Coclitis, constantia Metelli, justitia Zaleuci, &c. veræ virtutes, an verò virtutum tantùm simulachra, & peccata fuerint? Prius negatur, posterius affirmatur, &c.

FINIS.

Ad ornatissimum & doctiss. juvenem, JACOBUM AD PORTUM, Bernensem, è Verbo DEI de Peccato disputantem.

Quid sit peccatum, paucis constare videtur,
Quæq; sit illius, forma, modusq;, latet.
Si quid ab æternæ dissentit cardine Mentis,
Certò peccati nomen habere putas:
Dic mihi, si NIHIL *est dissensio talis, habet nec*
Verè entis caussas, propria, facta, scopum:

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0727
DFG

Quomodo tu, de non, bene disseris, Ente, docesq́,
Quæ sit primævi, visq́, dolusq́ mali?
O animum verè divino lumine Christi
Accensum, è Verbo, qui docet ista, suo!
Ergo animus tuus est accensus lumine Christi,
Salvifico è verbo, qui docet ista, suo.
In portu PORTUS *sic tu versare. Precamur*
Ex animo, studiis, fata benigna, tuis.

M. CYRILLUS OESIUS, verbi divini Minister Basil. ad S. Petrum.

Non fit è mediis extremum, sed ex extremis Medium.

ALIUD.

DUm variis technis tentat, dum fraude maligna
Romanus vates *falsus, ovile Dei;*
Scinditur in multas sectas dum turba superba,
Cui catabaptismus *nomina dira dedit;*
Dum parit insipidus monstrosa ἐκτρώματα Flaccus;
Atque alios error dum sinuosus agit:
Tu procul abjectas hominum commenta nefanda,
Et quæ, sacra docet pagina, sola, capis.
Nil te bella, minæ, *possunt, nil:* arma *movére,*
Nec tua fida pavent fulmine corda, Papæ.
Nam fax cælestis densæ caliginis umbram
Discußit, mentem sîcce regendo tuam;

Ut

Ut tua perdubium si quem capta verit auris
Romano è stabulo, nil vereâre tonum:
Errorum ac fueris si fortè per æquora vectus,
AD PORTUM fax hæc undiq; monstrat iter.

BEATUS KRIEG, Bernas, felicem Dn.
Populari studiorum successum
precatus, amoris
ergò F.

DE SIGNIS SEV NOTIS INFALLIBILIBUS

Ex quibus unusquisq; cognoscere potest, an sit germanum verè Catholicæ Ecclesiæ Dei membrum

EX

PSALMO DECIMO QUINTO magni illius Regis Davidis qui vir secundùm cor Dei fuit

THESES

De quibus cũ Illustribus & Generosis aliisq; piis collocutoribus, amicè & placidè, divina annuente gratiâ, contulit

Generosa nobilitate & tum sua tum majorum virtute florens

DN. ADAMUS BUDOWECIUS A BUDOWA

Præside

AMANDO POLANO A POLANSDORF

Ad diem octavum mensis Februarii.

Anno CIↃ IↃ CVI.

MAGNIFICO ET GENEROSO VIRO

DN. WENCESLAO BUDOWECIO A BUDOWA MONACHO. græcii, &c. Domino, Cæsareæ ac Regiæ Majestatis Consiliario, patrono suo plurimùm honorando

AMANDUS POLANUS A POLANSDORF *Gratiæ & pacis Christi multiplicationem exoptat.*

QUum filius tuus rediturus ad te esset, Magnifice & Generose Vir, patrone summè observande, mihique significasset, expetere se fidei suæ testandæ gratiâ ante discessum publicè de religionis Christianæ capite aliquo cum interrogantibus placidam συζήτησιν instituere: non potui non desiderium ipsius pium & laudabile approbare, quod conforme est sancto studio Davidis Regis illius magni, qui licèt vir militaris esset, tamen Psalmo centesimo decimo nono v. 46, 47, 48. de se profitetur hunc in modum: *Loquar de testimoniis tuis coram Regibus, neque erubescam: Et me oblectans in præceptis tuis, quæ diligo; attollam manus meas ad præcepta tua quæ diligo & meditabor de statutis tuis.* Proinde re diuturnam morâ ac deliberationem nõ ferente, sumsi in manus Psalmum ejusdem Regis decimumquintum, eumque perspicuâ analysi retexens in theses redegi de signis seu notis infallibilibus ex quibus unusquisq; cognoscere potest, Deo

docente, an sit germanum verè Catholicæ Ecclesiæ Dei membrum; de quibus religiosum colloquium haberetur. Precor autem toto pectore omnium salutarium gratiarum largitorem Deum Patrem benignissimum, per generis humani propitiatorem, qui cum Spiritu consolationis per seculorum æternitatem regnat, JESUM CHRISTUM, ut quemadmodum nos alios que electos suos, ita filium quoque tuum tanquam verè Catholicæ Ecclesiæ, in qua natus & hactenus piè educatus est, vivũ membrum, concivem sanctorum & hæredem cælorum clementissimè conservet, & à Malo illo tueatur; utque det quo filius tuus tibi parenti suo, Dominæ matri generosæ, itidemque Dn. aviæ suæ sancto sit gaudio & solatio. Vale felicissimè, Magnifice & Generose Domine, & Amandum tibi addictissimum favore tuo complecti perge. Basileæ Calend. Februarii Anno 1606.

QUum extra verè Catholicam Ecclesiam Dei (quæ est cœtus ille omnium ad vitam æternam electorum, efficaciter vocatorum ad beatificam communionem cum Deo sub uno Capite CHRISTO,) salus æterna non sit, testante Spiritu sancto, Dominum addidisse quotidie Ecclesiæ qui salvi fierent Actor. 2. 47. certo certius est beatitudinem sempiternam consequi neminem, nisi verè Catholicæ Ecclesiæ Dei germanum membrum existat. Ex quibus autem signis unusquisq; infallibiliter cognoscere possit, an ipse tale membrum illius sit, operæpretium est considerare. De iis fert animus, σὺν θεῷ, his thesibus quanta fieri poterit brevitate & perspicuitate ex Scriptura divinitus inspirata agere.

THE-

THESIS I.

VERORUM Ecclesiæ Dei verè Catholicæ membrorum signa sunt duplicia; alia *interna*, alia *externa*.

2. *Interna signa* sunt duo; Fides cordis in Deum non ficta, quam perpetuò spes vitæ æternæ comitatur: & charitas erga Deum proximumq́; sincera.

3. *Externa signa* sunt itidem duo; Doctrinæ veræ in Scriptis Propheticis & Apostolicis traditæ constans professio: & Disciplinæ divinæ in Sacramentorum à solo Christo institutorum perceptione, in solius Dei fideli invocatione & in sanctæ vitæ continuo studio religiosa observatio.

4. Quicunque enim corde credunt ad justitiam spe vitæ æternæ per Christum consequendæ subnixi, & charitate ἀνυποκρίτῳ in Deum & proximum sunt præditi; tum ore confitentur intrepidè incorruptam Euangelii Christi veritatem in Scriptura θεοπνεύστῳ patefactam communionem se cum sanctis electis Dei habere per Sacramentorum usum legitimum, solius Dei adorationem religiosam, & sanctæ inculpatæque vitæ conatum assiduum testátur: ii proculdubio germana sunt verè Catholicæ Ecclesiæ Dei membra, concives sanctorum ac domestici Dei.

5. De internis signis, freti Deo, agemus ex Psalmo decimoquinto, qui insignem hác con-

tinet doctrinam quibus notis unusquisq; deprehendat se esse verum Ecclesiæ Dei civem.

6. Partes ejus duæ sunt; *Prior* est quæstio, quisnam germanum membrum Ecclesiæ & hæres cæli sit? *Posterior*, responsum Dei.

7. Quæstio his proponitur verbis: JEHOVA, *quis commoraturus est in tentorio tuo? quis habitaturus in monte sanctitatis tuæ?*

8. Quæstionis hujus considerari debet *causa efficiens*, hoc est, quis eam proponat: *subjectum*, cui eam proponat: *materia*, hoc est, quid eâ quæratur: *forma* denique quâ instituatur.

9. Quæstionem hanc David Rex magnus & Propheta eximius instituit cùm *suâ*, tum *populi Dei causâ*. Nam cùm præcedente Psalmo decimoquarto testatus esset Deus de extrema totius humani generis corruptione dixisset que, non esse qui intelligat, qui Deum quærat, unumquemque recessisse, simul putidos factos esse omnes, non esse qui faciat bonum, non esse vel unum: David timore perculsus, in hoc Psalmo percontatur, quis igitur commoraturus sit in tabernaculo Jehovæ? quis in monte ejus sancto habitaturus? ac proinde quis salutem æternam consecuturus? Deinde admodum consentaneum est, hunc Psalmum decantatum totâ Ecclesiâ Israëliticâ præsente, cùm David Arcæ federis Dei tabernaculum in monte Sione parasset eamque illuc transtulisset. 2. Sam. 6. & 1. Chron. 16. Et se igitur,

tur, & totam Ecclesiam de quæstione proposita voluit edoceri: ne quisquam, cujuscunq; ordinis & status sit, existimet, se hac de re minimè solicitum esse debere; néve quenquam pudeat in rerum divinarum sapientia ampliùs informari indiesque proficere.

10. Verùm dices, quid discam ab hominibus, quorum tum discrepantes sunt sententiæ, tum manca atque imperfecta cognitio? Fias ergo Dei discipulus, ut sis θεοδίδακτος: ad Jehovam exemplo Davidis accede, Jehovam interroga, ipse te docebit voce Scripturæ suæ sacrosanctæ. Ut totam sapientiam rerum divinarum nemo nisi Deo docente discere & intelligere potest: ita quis sit verus civitatis Dei civis, à Deo ipso discendum, non ab hominibus, qui ut pleriq; sunt hypocritæ, quamvis in templo Dei sedeát; ita sibi falsò nomen Ecclesiæ arrogant & membra germana Ecclesiæ longè aliter describunt, quàm Deus.

11. Jam si *materiam* quæstionis consideres, necessaria illa est, præclara est, utilis est, cujus cognitio percepta fideliter in terra, fructum affert perennem in cælo. Quærit autem, quis commoraturus sit in tentorio Jehovæ? quis habitaturus in monte sanctitatis ejus?

12. Per *Tentorium seu tabernaculum Jehovæ* intelligit Ecclesiam Catholicam in his terris peregrinantem. Etsi enim tentorium seu tabernaculum à Mose jussu Dei in deserto cõstructum principaliter typus fuit naturalis

corporis Christi. Hebr. 8.2. & 9.11. tamen simul etiam figura fuit Ecclesiæ Catholicæ, quæ est mysticum corpus Christi & complementum ejus, qui omnia implet in omnibus Ephes. 1.23. & domus Dei vivi, columna & stabilimentum veritatis 1. Tim. 3.15. & tabernaculum Dei Apocal. 21.3.

13. Hinc colligitur quanta sit Ecclesiæ etiam in his terris degentis, etiam in deserto peregrinátis dignitas: Est enim tentorium Jehovæ in quo ipse habitat. Non igitur parvifacienda, nec ab ejus societate discedendum, quantumvis ad tempus servitute durissima precamur, persecutionem patiatur, in locis desertis delitescat, ac peregrina sit in terra; ut quæ spectet civitatem illam habentem fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus Hebr. 11.10. Apocal. 21. & 22.

14. Per *montem sanctum Jehovæ* intelligit David Ecclesiam Catholicam cælestem, cujus typus fuit mons Tzijon Hebr. 12. v. 22. qui non dimovetur sed in seculum permanet Psal. 125. v. 1. Ut enim mons non potest de loco in locum transportari, quemadmodum tentorium potest: ita Ecclesia cælestis non ampliùs de loco in locum migrat, sed semper in cælo permanet & visione Dei perpetuâ fruitur & fruetur.

15. Sententia ergo quæstionis hæc est: Quomodo quis cognoscat, quòd sit genuinum Catholicæ Ecclesiæ membrum, quod habens

habens nomen Patris in fronte sua scriptum Apocal. 14. 1. id est, quod professionem faciens timoris nominis Dei in hoc mundo, hæres erit cæli ac in sempiternum in civitate Dei habitabit?

16. Forma quæstionis est, quòd rem eandem bis quærit: quod eo pertinet tum ut intelligamus, etsi modo differt Ecclesia militans à triumphante, eandem tamen esse substantiâ: tum ut omnium animi excitentur ad considerandum attentè quæstionem & accipiendam religiosissimè responsionem.

Hactenus de priore Psalmi parte.

17. *Posterior pars* est responsum Jehovæ continens *doctrinam* & *promissionem*. Quod ad illam attinet, docet Deus, duas esse internas notas, unde cuique liceat cognoscere, se esse germanum Ecclesiæ illius verè Catholicæ membrum & hæredem civemque cælorum; *Prior* est, ambulatio cum integritate coram Jehova: *posterior*, charitas erga proximum.

18. *Ambulare integrè coram Deo*, est incedere per fidem, in bonis operibus, quæ præparavit Deus, ut in iis incederemus absque hypocrisi seu simulatione. Gen. 17. 1. Epist. 2. Johan. v. 4, 6. Epist. 3. Joh. vers. 3, 4. 2. Cor. 5. vers. 7. Eph. 2. 10. A fide autem in Deum nequaquam separari possunt aut debent spes & charitas in Deum; sed individuo nexu cum illa cohærent.

19. Colligimus hinc I. fideles dum in hac

vita sunt, *viatores* esse, qui ambulant coram Deo in via ad vitam æternam ducente, quæ via stricta est & à paucis invenitur Matth. 7. v. 14. Quum autem in cælum ipsum translati sunt, *comprehensores* esse, qui metam ad quam contenderunt comprehenderint.

20. II. In stadio bonorum operum neminem currere, nisi face fidei salvificæ prælucente: hæc enim si absit, non curritur, sed in tenebris densis palpatur.

21. III. Eos verè vivere qui ambulant coram Deo, sic ut per fidem incedant in via operum bonorum à Deo præceptorum; nam ambulatio viventium est: cæteros autem mortuos esse, utpote motu omni spirituali destitutos. Unde etiam soli verè fideles viva & vera membra sunt Ecclesiæ Catholicæ: cæteri nimirum reprobi verè membra ejus non sunt, licèt in externa fidelium societate appareant.

22. Ex eo autem quod Deus dicit, *Qui ambulat integrè*, nequaquam sequitur, bonis operibus nos justificari coram Deo & salutem consequi: neque etiam sequitur, in verè fidelibus esse in hac vita perfectam justitiam quâ coram tribunali Dei subsistere & justificari possint.

Dictum est de prima nota.

23. Secunda nota est CHARITAS erga proximum præsupponens charitatem erga Deum; sine hac enim illa esse non potest. Charitas autem erga proximum duobus modis decla-

declaratur: studio nimirum boni quod proximo præstandum, & abstinentia à malo quod proximo non faciendum.

24. Bonum, quod verus Ecclesiæ civis proximo exhibet, geminum est: *justitia* & *veritas*. Dicit enim Jehova; *Qui exercet justitiam ac loquitur veritatem ex corde suo.*

25. JUSTITIA hoc loco intelligitur non divina illa increata, quæ Deus ipse est seu ipsa divina essentia: neque justitia operum Dei in promissionum & comminationum complemento elucens: neque justitia illa quæ est sola Mediatoris & Sponsoris nostri, quatenus in ipsius humana natura subsistit: neque justitia Ethnica aut Philosophica qualem in Aristide Philosophi Gentiles commendant, quæ peccatum est & non virtus: neque justitia causæ duntaxat, hoc est, innocentia in causa aliqua quæ justitia communis esse potest electis & reprobis: sed justitia vera homini à Deo communicata.

26. Sed neque illa omnis promiscuè hîc intelligitur, siquidem justitia hominis, si status ipsius diversos spectes vel *originalis* est vel *adventitia*.

27. *Originalis justitia hominis*, est in qua Adamus principiò conditus fuit, complexa totius hominis integritatem & perfectionem, non eam modò quâ corpus animæ & appetitus rationi paret, ad naturalem finem perfectè consequendum: sed etiam quâ mens ipsa

sanctitatis & gratiæ ornamentis illustrata Deo obtemperat ad finem supernaturalem, qui est Deo in æternum frui, adipiscendum. De hac docet Moses Gen. 1. v. 26. & Ecclesiastes Salomonis cap. 7. 29.

28. Illa justitia non consistebat in puris seu meris naturalibus, hoc est, in sola naturæ sanitate & ἀπαθείᾳ; sed complectebatur etiam ornamenta omnium virtutum, quibus Adamus excellebat, & Deo, ad cujus imaginem creatus erat, similis exsistebat.

29. Erat tamen primo homini naturalis, & non personalis, hoc est, naturæ humanæ concreata, non illi demum personę post creationem data, ac proinde statim impressa in natura hominis & sic conveniens Adamo pro illius in qua ipse est creatus, non hujus in qua nos nati sumus, ratione. Gen. 1. v. 26, 27. Eph. 4. 24. Coloss. 3. 10. Ecclesiastis 9. 29.

30. Erat in Adamo per modum habitus concreati, non per motum liberi arbitrii.

31. Erat non substantia ipsa hominis, sed accidens, nimirum qualitas unà cum substantia Adami creata.

32. Ac insuper gratiam supernaturalem Dei superadditam & conjunctam habebat, id est, tum favorem quo Deus Adamum complectebatur in Filio suo Unigenito & charum habebat præ cæteris creaturis visibilibus omnibus: tum supernaturalem quendam Spiritus Sancti splendorem, Adami animam irradiantem,

diantem, cujus auxilio in sua integritate perseverare, divinæque voluntati in sempiternum obtemperare potuisset, si voluisset: ut autem vellet, in ipsius relictum erat libero arbitrio.

33. Illa justitia originalis, si Adamus primus homo nō peccasset, in posteros cum natura ipsa propagata fuisset: jam verò per peccatum amissa est, & homo ante regenerationem non solùm eâ destitutus, sed insuper etiam penitus corruptus est.

Tantum de justitia originali hominis: sequitur de adventitia.

34. *Justitia hominis adventitia*, est quæ non est insita homini corrupto à natura, sed cujus homo in statu gratiæ particeps fit ex dono Dei liberali.

35. Eaque nobis vel *imputata* est vel *post regenerationem inhærens.*

36. *Justitia nobis imputata*, est conformitas exactissima humanę Christi naturæ omniumque actionum & passionum ejus internarum & externarum cum tota Lege Dei, loco nostro impleta ab ipso, tum quò ad mandata Legis, tum quò ad comminationem Legi additam: quæ justitia in Christi humanitate est, nobis autem gratiosè à Deo imputatur non secus ac si in nobis ipsis hæreret. Rom. 5. 19.

37. Hęc justitia partibus essentialibus constat, quas à se invicem divelli fides non patitur.

38. Partes autem sunt duæ; nempe integritas seu puritas mandatis Legis requisita, inhærens in tota natura humana ex beata Virgine Maria assumta, omnibusq; affectibus & actionibus internis externisque: & tolerantia inenarrabilis in perferenda pœna comminationibus Legis denunciata, ceremoniis autem, sacrificiis, typisque variis significata.

39. Quum justitiam activam & passivam dicimus, nō duas disparatas justitias facimus, sed partes essentiales unius & ejusdem justitiæ intelligimus, de quarum partium qualibet, justitiæ nomen rectè dicitur.

40. Unde etiam anima & conscientia nostra nequaquam distrahitur ut incerta sit, quam justitiam amplectatur: sed maximè certa redditur & à dubitatione omni liberatur, apprehendens & sibi applicans per fidem totam justitiam Christi, quam ille in natura sua humana pro nobis & non pro se susceptа, etiá pro nobis & nō pro se implevit & in se habet ut thesaurum vivificum quem adduxit nobiscum per fidem communicandum.

41. *Justitia nobis post regenerationem inhærens*, (quæ propriè in hoc Psalmi loco intelligitur, sed tamen sine justitia Mediatoris Christi nemini contingit) est conformitas cum Lege Dei in nobis, virtute Spiritus Sancti regeneratis, per fidem veram procreata, ad instaurandam in nobis imaginem Dei. Vocatur etiam *justitia infusa:* quia per Spiritum Sanctum

ctum cordibus regeneratorum infunditur.

42. Definitio hæc constat *formâ*, *subjecto* & *causis proximis*.

43. *Forma justitiæ* nobis inhærentis est conformitas cum Lege Dei.

44. *Subjectum* est homo per Spiritum Sanctum regeneratus: nam in homine non regenerato nulla est justitia, sed omnia opera ejus interna & externa sunt injustitia atque peccatum.

45. *Causa efficiens proxima* est fides salvifica, quæ est medium seu instrumentum Spiritus Sancti per quod ille justitiam in nobis gignit.

46. Fides autem non quatenus est qualitas nobis inhærens, sed quatenus est instrumentum apprehendens Christum qui nos suâ justitiâ justificatos, per Spiritũ Sanctum regenerat, est causa proxima justitiæ nobis inhærentis Actor. 15. v. 8, 9.

47. *Causa finalis proxima* est instauratio imaginis Dei in nobis. Ephes. 4. 24.

48. Justitia hæc nobis inhærens seu infusa vel *universalis* est vel *particularis*.

49. *Justitia universalis*, est obedientia secundùm omnes Leges ad nos pertinentes, veluti secundùm Legem divinam aliasque honestas leges & cum divina consentientes.

50. Estque vel *inchoata* vel *perfecta*.

51. *Inchoata*, est in hac vita, in qua unà cum fide & gratia renovationis crescit: *Perfecta*, erit in altera vita, in qua consummata erit regeneratio.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0743
DFG

52. *Justitia particularis*, est virtus suum cuique tribuens ad conservationem societatis humanæ.

53. Hæc duplex est, *Distributiva* & *Commutativa*.

54. *Justitia distributiva*, est quæ versatur in distributione officiorum, honorum, pecuniarum, pœnarum, cæterarumq; rerum quæ distribui in societate humana debent, habita diversæ & dissimilis personarum dignitatis, capacitatis & qualitatis ratione. Nam rei distribuendæ ratione non præstat omnibus æqualem partem, sed æquabilem tantùm, id est, consentaneam cujusque personæ rationi & modo.

55. Justitia distributiva vel *remunerans* est vel *puniens*. *Illa*, est quæ pro dignitate cuiq; honestæ actioni cõgruum præmium constituit: *hæc* verò, est quæ pro cujusque personæ ratione convenientem injustæ actioni pœnam infligit.

56. *Justitia commutativa*, est quæ in commutatione rerum servat æqualitatem, facta factis, res rebus sine personarum delectu exæquans. Ea potissimùm elucet in rebus creditis, in mutuo, in pignore, in commodato, in deposito, in venditione & emtione, in damnorum æstimatione & compensatione, aliisque humanis negotiis & contractibus, in quibus lucri damnique correctio requiritur; unde etiam *Justitia correctiva* appellatur.

57. Porrò

57. Porrò justitia nobis inhærens, non est justitia illa quâ coram tribunali Dei consistimus & salutem consequimur.

58. Est tamen nihilominus summo studio exercenda & facienda cùm propter alias causas, tum propter has: ut Deo gratos nos præstemus pro redemtione per Christum: ut inde confirmemur, nos germana Ecclesiæ Catholicæ membra esse: ut alios exemplo nostro ad justitiæ amorem & studium invitemus.

Tantum de justitia: sequitur de veritate.

59. VERITAS, quam Deus hoc Psalmo requirit, est virtus per quam immutata quę sunt quæ fuerūt & futura sunt, dicimus, veras sentētias in doctrina, in judiciis & extra judicia, constanter amplectimur, & easdem pro ratione officii nostri & circumstantiarum profitemur ac defendimus, servamus pacta, & in sermone ac gestu vitamus insidiosas occultationes, ad Dei gloriam & proximi salutem.

60. Veritatem cùm dicimus esse virtutem ac proinde habitum, cujus finis est gloria Dei & proximi salus; ostendimus, diabolum & homines mendaces, non esse veraces, licèt aliquando verum dicant: quia neque ex habitu id faciunt, neque istum finem spectant.

61. Adhæc nomine veritatis complectimur παῤῥησίαν, id est, ingenuam libertatem, quâ pro ratione officii, quantum tempus, locus & necessitas postulat, veritatem liberè at-

que intrepidè profitemur, nec metu periculorum absterremur.

62. Ut certò sit veritas inter homines, requiruntur conjunctę ei virtutes istæ; *docilitas*, *simplicitas* seu *sinceritas*, *candor* & *constantia*.

63. Ut eadem utiliter sit inter homines, requiritur *taciturnitas*: *comitas* seu *affabilitas*: & *urbanitas* necessarium sæpè veri sermonis condimentum.

64. Cum eâdem pugnant in defectu, mendacium, levitas mentiendi, insidiosa εἰρωνεία, id est, ad nocendum comparata simulatio & dissimulatio, ad quam βαναυσοπανουργία pertinet, quâ parva manifestaq; dissimulantur: in excessu, intempestiva veritatis professio & ἀλαζονεία, hoc est, arrogantia quâ quis plura sibi quàm par est arrogat dictis & factis.

65. Quæcunque igitur cum veritate pugnant, verus Ecclesiæ Dei civis fugit: novit non licere mentiri ne quidem modestiæ causa, imò ne quidem pro vita proximi conservanda.

66. Non omnis tamen ironia, hoc est, simulatio & dissimulatio pugnat cum veritate: est enim simulatio & dissimulatio quædam bona, cujus modus & finis bonus; qualis fuit *Angelorum* Gen. 19. *Josephi* Gen. 42. *Samuelis*. 1. Sam. 16. *Christi ipsius* Johan. 7. Luc. 24. *Lucæ Euangelistæ* cap. 3. versic. 36. in genealogia Christi, Cainanis nomen positum medio loco inter Salam & Arphaxadum retinentis ex Septuagin-

ptuaginta duorum interpretum fide. *Pauli* item Apostoli Actor. 23. Qualis item est *prudentium ducum militarium* in stratagematibus, ut Josuæ 9. Jud. 20.

67. Simulatio verò mala est, cujus modus & finis malus est: qualis fuit Petri Apostoli quam Apostolus Paulus jure reprehēdit Gal. 2. ver. 11, 12. & sequentibus: qualis fuit dolus Jehu ad tollendos è medio Baalitas 2. Reg. 10. vers. 18, 19.

68. Nec omnis hyperbole est mendacium; quum & Sacra Scriptura hyperbolis utatur ad rem exaggerādam, & magis illustrandam, veluti Gen. 13. v. 26. & cap. 39. 9. Exod. 3. v. 8. & passim.

Nec omnis ἐπανόρθωσις seu correctio quæ figura est Rethorica ad falsum seu mendacium corrigendum adhibetur: ut Jud. 15. v. 16. Jesa. 49. v. 15. Joh. 12. v. 27. & passim.

70. Nec omnis qui falsum dicit aut non rectè aliquid allegat, aut falsum juravit, illico pro mendace aut perjuro habendus; ut qui se vera putat dicere, allegare aut jurare, sed falsum dicit, allegat aut jurat insçius. Affinem culpæ faciunt mens atq; voluntas.

71. Cur autem veritas signum sit veri civis Ecclesiæ Dei, non obscurum est: quia Ecclesia Dei columna & stabilimentum veritatis est, & Deus quem filii ejus imitari debent, omnibus modis verax est, & Christus Caput Ecclesiæ, ad hoc genitus est & ad hoc in mun-

dum venit ut daret testimonium veritati. Unde quisquis est ex veritate, audit vocem Christi Joh. 18. 37.

Hucusq; indicatum est bonum quod verus Ecclesiæ Dei civis proximo suo præstat.

72. Malum quod proximo nō facit est *obtrectatio, injuria, opprobrium* v. 3. *adulatio, perjurium* vers. 4. deniq; *avaritia* quæ exercetur usuris & munerum captatione innocentium opprimendorum causâ v. 5.

73. Verus quippe Ecclesiæ Dei civis *nō obtrectat linguâ suâ, non afficit proximum suum malo & opprobrium non effert in propinquum suum: in ejus oculis contemtus est improbus, timentes verò Jehovæ honorat: juratus in damnum suum, non tamen mutat: pecuniam suam non exponit fœnori, & munus contra innocentem non accipit.*

74. *Obtrectatio*, est vitium cùm quis falsa crimina de aliis spargit, benè aut saltē ambiguè dicta aut facta, malè interpretatur, honestæ existimationi detrahit, ex vindictæ cupiditate & studio nocēdi aut conciliandi invidiam. Exod. 23. v. 1.

75. *Incuria*, est ignominia quâ quis animo cōtumeliæ & cupiditate lædendi, proximum suum afficit: sive realis sit, ut *verberatio*; sive verbalis quæ fit aut viva voce ut *convicium*, aut scripto ut *famosus libellus* & *epistola contumeliosa*: Sive inferatur in corpus, ut *cùm quis pulsatur aut cruciatur*; sive in dignitatem, ut *cùm comes matronæ abducitur*; sive in famam, ut *cùm pudici-*

pudicitia attentatur: Sive quis per se eam inferat, sive per alium: Sive *levis* sit, sive *atrox*, &c. Sic injuria fuit, cum Absalomus uxores Davidis patris sui corrupit.

76. *Opprobriū*, hoc loco est calūnia cùm quis falsa crimina scienter & dolo malo alicui intendit, aut in fraudem alicujus falsum testimonium conficit, aut falsum judicium profitetur, sive id faciat per se, sive per alios: suâ sponte aut mandato alterius. Sic opprobrio seu calumnia usi sunt Saul & ministri ejus in Davidem innocentem. Mardochæus verò nō fuit calumniator, cùm conjurationem cubiculariorum Regis Ahasueri indicavit Estheræ reginæ, Esther verò Regi nomine Mardochęi Esther 2.22.

77. Qui exprobrat quippiam alteri non ad dehonestationem famæ & dignitatis ejus, sed tantùm ad justam reprehensionem & correctionem ejus; is nec obtrectator est, nec injurius, nec calumniator, ut *Christus* Luc. 24. 25. & *Paulus* Gal. 3. 1.

78. *Adulatio*, est vitium cùm quis dictis factisque se accommodat ad alterius voluntatem, idque fictè, non verè, ut aliquid ab eo commodi temporarii consequatur.

79. Veluti si quis improbo homini studiosè magnum honorem exhibet aucupando gratiam illius aut commodum aliquod ab eo; & interim timentes Jehovæ contemnit: quum verus Ecclesiæ Dei civis non assente-

tur cuiquam, sed improbum contemnat, timentes verò Jehovæ honoret, ut fecit Mardochæus qui improbum Hamanem adorare noluit, sed contemsit Esth. 3.

80. Non omnis qui ad gratiam alterius loquitur, est adulator: ut Paulus Apostolus qui omnibus omnia factus est, ut aliquos Christo lucrifaceret; & fideles ad quos scribit præclaris laudibus ornavit, ut eos in fide Christi confirmaret.

81. *Perjurium*, est peccatum cùm quis sciēs & volens per juramentum fallit sive in testimonio dicendo, sive in profitendo aliquid de se, sive in promissione de sua voluntate. Estq; vel *assertorium*, vel *promissorium*.

82. Perjurus igitur, exempli causâ, est qui juratus promisit aliquid, postea verò animadvertens cum damno suo conjunctū si id præstet, mutat animi sententiam.

83. Atqui propter damnum non est abstinendum à benefactis.

84. Proinde latroni data fides, est servanda.

85. Quin etiam hosti & fidem frangenti, fides data est servanda: ut David fecit servans fidem promissam Sauli 2. Sam. 9. 5.

86. Imò etiam illi, qui fraude & dolo promissionem aliquam obtinuit: Ita duces Israëlitarum conservarunt vitam Gibeonitis, quantumvis astutiâ horum circumventi: Josu. 9. versic. 19.

87. *Avaritia*

87. *Avaritia* denique, est vitium cùm quis ex diffidentia Dei & fiducia divitiarum terrenarum, non est contentus iis quæ Deus dedit per legitima media, sed plura appetit & ad se transferre studet etiam per illegitima media, & non communicat aliis ex opibus suis, ubi Deus vult communicari.

88. Modi ex avaritia acquirendi dominii multi sunt, quos Deus in Scriptura Sacra damnat: hoc autem Psalmo recensentur duo, nempe *usura lucratoria*, & *dorophagia*.

89. *Usura*, est quod supra sortem ex mutuo accipitur.

90. Usuræ tres sunt species: *lucratoria, compensatoria & punitoria. Lucratoria*, quæ etiam *usura mordens rodensq;* dicitur, est quæ ex mero mutuationis officio, contra naturam contractus lucrum facit. *Compensatoria*, est quæ præstatur, ut compenset justum interesse, quod habet creditor, eo quòd pecunia caret. *Punitoria*, est quæ non propter lucrum petentium, sed propter moram non solventium, pro pœna, aut à lege aut ab homine infligitur.

91. Usura lucratoria & præsertim à proximo egente & paupere exacta pro solius mutuationis officio est improba atque illicita, ut sequentia argumenta ostendunt. I. Quia prohibita est à Deo Exod. 22. vers. 25. Levit. 25. v. 35, 36, 37. hoc Psalmo 15. 5. Ezech. 18. 8, 13, 17. Luc. 6. 34, 35.

II. Quia pugnat cum officio humanitatis,

quæ vetat pro eo quod gratis erat præstandum, exigere mercedem.

III. Quia usura lucratoria seu fœnus non est legitimus modus, jure Gentium aut Civili approbatus acquirendi dominii, sed planè improbatum consensione omnium populorum artificium, quum sit lucrum de alieno sine justa causa factum.

IV. Quia pugnat cum natura mutui, quod debet esse gratuitum.

V. Quia adversatur naturæ promiscui usus numi, qui inventus est ad sublevandas permutationum difficultates, non ut fructum faciat aut mercede locetur.

VI. Quia est iniqua, quum per eam usurarius quærat lucrum ex ea re, cujus damnum aut periculum ad eum non spectat, sed ad debitorem. Injustum est ex alterius damno lucrum captare.

92. Usura compensatoria quæ intra modum publicis legibus definitum consistit, non est interdicta & illicita, propter sequentia argumenta. I. Quia non est lucrum supra sortem exactum propter officium mutationis, sed pretium aut æstimatio usus sortis consumtæ cum damno creditoris.

II. Quia est consentanea officio humanitatis, quæ jubet sic alium juvare, ut te serves indemnem. 2. Cor. 8. v. 13.

III. Quia Christianorum Imperatorum constitutionibus est permissa.

IV. Quia

IV. Quia eam communis necessitas requirit & utilitas negotiationum.

V. Quia compensat damnum creditoris, quod nulla ratio prohibet.

93. Usura punitoria improbari non potest. I. Quia sarcit damnum quod creditor sensit, eo quòd suo die pecunia non fuit soluta. II. Quia est justa pœna moræ quæ pro delicto reputatur, ideo meritò debitori infligitur.

94. Id quod Interest differt ab usura: & longiùs etiam ab ea distât Emtiones censuum & redituum; item societas. Qua de re plura Jureconsulti Sacerdotes Justitiæ tractant.

Hucusque de usura.

95. Δωροφαγία, est acceptatio munerum quibus tum judex corrumpitur ut injustæ causæ faveat & innocentem sententiâ iniquâ gravet vel opprimat: tum etiam privatus conducitur in suum patrocinium malæ causæ accommodet. Prohibetur etiam Exod. 23. v. 8.

96. Atqui quisquis ex officio judicat, sui emolumenti rationem abjicit.

97. Imò nulli est benefaciendum exspectatione commodi.

Hactenus fuit doctrina responso Jehovæ comprehensa: restat promissio.

98. PROMISSIO dulcissima est in ultimis verbis Psalmi: *Qui facit ista, nunquam dimovebitur.* Sensus est: Qui integrè coram Deo ambulat per fidem & erga proximum declarat cha-

ritatem, tum benefaciendo ei per justitiam & veritatem, tum nullis eum malis afficiendo; ille fundatus est super petram, sic ut nullis tentationum, persecutionum, adversitatum quarumcunque nimbis, fluminibus & ventis commoveatur Matth. 7. vers. 24, 25. imò ne quidem à portis inferorum superetur.

99. Quod toti Ecclesiæ Dei tribuitur Psal. 46. & 125. v. 1. Matth. 16. v. 18. membris ejus accommodatur.

100. Hæc promissio spem Christianam alit & sustentat, metum omnem damnationis æternæ pellit, ut singuli ad serium exercitium fidei & charitatis tantò vividiùs & efficaciùs excitemur.

Hactenus de internis signis: sequitur de externis.

101. *Externa signa* è quibus germana verè Catholicæ Ecclesiæ Dei membra cognoscuntur duo sunt, *Doctrina* & *disciplina divina*, ut supra thesi tertia dictum, è quibus hoc axioma constituimus: Quicunque permanent constanter & sincerè in doctrina Christi, Apostolorum & Prophetarum: & disciplinam divinam in Sacris literis præscriptam observant sanctè & piè, Sacramentis à Christo ipso institutis legitimè utendo, & solum verum Deum religiosè adorando, denique vitam instituendo Euangelio Christi consentaneam; ii sunt vera ac viva Ecclesiæ Dei verè Catholicæ membra.

102. De

102. De doctrina exstant hæc testimonia Scripturæ Johan. 8. vers. 31. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis* & vers. 47. *Qui ex Deo est verba Dei audit.* Johan. 10. vers. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnosco & sequuntur me.* Johan. 14 vers. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit,* & cap. 18. vers. 37. *Quisquis est ex veritate, audit vocem meam.* Actor. 2. vers. 42. dicitur de primis fidelibus: *Perdurabant in doctrina Apostolorum.* 2. Johan. v. 9. *Quisquis transgreditur, nec manet in doctrina Christi, Deum non habet: qui manet in doctrina Christi, hic & Patrem & Filium habet.*

103. De Sacramentorum recto usu ista loca sunt: Matth. 28. vers. 19. *Euntes docete omnes gentes; baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti.* Marc. 16. vers. 6. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit,* Actor. 2. vers. 38. *Baptizetur unusquisque vestrûm in nomen Jesu Christi.* Luc. 22 vers. 19. de Sacra Cœna ait Christus ipse: *Hoc facite in mei commemorationem.* Actor. 2. vers. 42. *Perseverabant autem in doctrina Apostolorum & communicatione & fractione panis & orationibus.*

104. De cultu religioso soli Deo exhibendo sequentia agunt testimonia, Joh. 4. 23. *Veri adoratores adorabunt Patrem spiritu ac veritate.* Matth. 4. vers. 10. *Dominum Deum tuum adorabis & illi* SOLI SERVIES, ut habet ipsamet Vulgata versio Bibliorum sacrorum Latina Sixti V. Pontificis jussu recognita atq;

edita. Actor. 9. v. 14. verè fideles ac veri Christiani describuntur, *qui invocant nomen* CHRISTI.

105. De vita Euangelio Christi digna hęc testimonia observentur. Joh. 14. vers. 21. *Qui tenet mandata mea & servat illa, is est qui diligit me.* & cap. 15. vers. 8. *In hac re glorificatus fuerit Pater meus, ut fructum multum adferatis: & eritis mei discipuli.* & vers. 14. *Vos amici mei eritis, si feceritis quæcunq; ego mando vobis.* 1. Johan. 1. v. 7. *Si in luce incedimus, sicut ipse est in luce, communionem habemus cum eo mutuam.* 1. Johan. 2. vers. 3, 4, 5. *Per hoc scimus quod ipsum novimus, si mandata ipsius observamus. Qui dicit, novi eum, & mãdata ejus non servat, mendax est & in eo veritas non est: Qui autem servat sermonem ejus, verè in hoc charitas Dei adimpleta est: per hoc scimus, nos in ipso esse. Qui dicit se in eo habitare, debet, sicut ille incessit, incedere.* Quod ut nos faciamus, præstet nobis gratia Patris cælestis propter meritum Filii virtute Spiritus Sancti: cui Deo Trino sit laus, honor & gloria in omne ævum.

AMEN.

BEATUS

BEATUS IGNATIUS EPISTOLA ad Magnesios de nomine Christianorum.

Γενώμεθα ἄξιοι τῆς ἐπωνυμίας ἧς ἀνεφάμην. ὃς γὰρ ἂν ἄλλῳ ὀνόματι καλεῖται πλεῖον τούτου, οὐκ ἔστι θεοῦ. hoc est, *Simus digni cognomento quod accepimus. Qui enim alio nomine appellatur præter hoc, hic non est Dei.*

Ibidem.

Πρέπον ἐστὶ μὴ μόνον καλεῖσθαι χριστιανὸς, ἀλλὰ καὶ εἶναι. ὁ γὰρ τὸ λέγεσθαι, ἀλλὰ τὸ εἶναι μακάριον ποιεῖ. hoc est. *Decens est, non solùm vocari Christianos, verùm etiam esse. Nam non dici, sed esse Christianum beatum facit.*

Idem epistolâ ad Romanos.

Ὁ χριστιανὸς, ὅταν μισῆται ὑπὸ κόσμου, φιλεῖται παρὰ θεοῦ, hoc est, Christianus cùm odio habetur à mundo, diligitur à Deo.

SOLI DEO GLORIA.

THESES

COMPLECTENTES SUMMAM doctrinæ de Libero arbitrio hominis corrupti & renati: de quibus Joannes Crispinus Moravus respondit.

THESIS I.

HOmo lapsus omnem arbitrii libertatē penitus non amisit, sed quæ naturalis ei est, nempe libertatem à coactione, semper retinet.

2. Arbitrium omnis hominis tum corrupti tum renati, omnes res & actiones tam divinas quàm naturales, tam bonas quàm malas, quæ intelligi, eligi aut rejici possunt, intelligere, eligere aut rejicere passivâ potentiâ potest.

3. Homo sive corruptus sive renatus, res & actiones naturales, quæ & mediæ vocantur, nec intelligere nec eligere ac persequi activâ potentiâ seu actu potest sine generali Dei auxilio.

4. Homo sive corruptus sive renatus disciplinas & artes politicas, civiles & philosophicas sine speciali Dei auxilio per se se intelligere, percipere & consequi actu non potest: sed

sed in quocunq; sint, singularia Dei dona sunt.

5. Homo corruptus neque omnia moraliter & politicè justa & honesta cognoscere actu potest, neque quæ novit, ea sine speciali Dei auxilio cognoscit. Tum homini etiam renato ad multas virtutes morales atque politicas, præter gratiam regenerationis, necessaria est singularis gratia Dei ac beneficium.

6. Homo corruptus non potest actu velle bonum & fugere malum, nisi Deus singulariter voluntatem à malo ad bonum flectat viresque præbeat, quibus honestum & æquum præstare valeat.

7. Proinde virtutes omnes qualescunque illæ sint in non renatis, singularia sunt Dei dona.

8. Homo non renatus potest actu per auxilium Dei peculiare morales actiones præstare, moralesque virtutes consequi.

9. Homo non renatus nunquam potest moralibus actionibus & virtutibus sese ad gratiam justificantem impetrandam præparare.

10. Homo non renatus non potest suis viribus & sine gratia regenerationis aut Deũ quis & qualis sit, aut ea quę sunt Dei ejusque voluntatem & spiritualia beneficia, verâ & solidâ cognitione percipere.

11. Homo non renatus, utut auxilio etiam speciali adjuvetur, nullum verè bonum opus aut eligere aut efficere potest.

12. Proinde quicquid non renatus vult aut agit, peccatum est.

13. Homo nõ renatus nullam prorsus vel minimam vim habet quâ Deo vel ad se vocanti respondere, vel pulsanti ostium aperire, vel salutem proponenti annuere, vel denique in se operanti, cooperari ullo modo possit: sed ita ad sui regenerationem se merè habet passivè, nihilque è suo affert aut operatur, ut quicquid in ipso regenerationis initio aut percipere aut agere videtur, totum illud à sola sit vi gratię Dei, per sese & pro bona sua voluntate regenerantis.

14. Proinde humana mens ad lucem Spiritus Sancti, quâ incipit illustrari, recipiendâ, è suo nihil prorsus affert, sed merè se habet passivè, Deo per se illam illuminante.

15. Usque adeò verò se tantùm passivè habet Intellectus humanus ad lucem Spiritus Sancti recipiendam, ut ne illam quidem rejicere possit, ac, ne illuminetur, efficere.

16. Tum intellectus humanus, licet lumine Spiritus Sancti illustretur, nisi tamen novâ etiam ejusdem Spiritus efficaci actione ad intelligendum moveatur, Deum & quę Dei sunt, reipsa ut par erat cognoscere nequit.

17. In hac vita nec omnia, nec perfectè intelligit, sed ex parte & in ęnigmate.

18. Lux Spiritus Sancti gratiâ accensa in electis nunquam penitus exstingui potest propter promissionem divinam & intercessionem Christi.

19. Hu-

19. Humana voluntas, sicut antequam incipiat regenerari, nihil planè boni habet quod afferre possit: sic etiam in ipso suæ regenerationis initio nihil planè boni è suo affert.

20. Ne ipsum quidem velle regenerari ab ipsa voluntate humana est immediatè elicitum, sed per gratiam Dei in ipsa excitatum atque effectum.

21. Voluntas humana cùm incipit regenerari, non valet Deo regenerare volenti, reluctari ita ut non regeneretur.

22. Proinde gratiam sibi efficaciter oblatam inque se immissa, licèt suapte naturâ possit rejicere: tamen propter efficacitatẽ Spiritus Sancti & firmâ Dei voluntatẽ non potest.

23. Homo renatus ad singulas bonas actiones opus habet subsequente ac comitante Dei gratia: quia nisi novo & continuo Spiritus Sancti auxilio adjuvetur, quò & regeneratio inchoata conservetur ac perficiatur, & ad singulas actiones bonas agatur atque regatur, non potest aut vitare peccata aut bona præstare opera.

24. Homo renatus habet in hac vita perpetuò comitem & adjutricem gratiam Spiritus Sancti, nec unquam ab illa deseritur.

25. Nec tamen potest in seipso aut omnia peccata vitare aut totam Legem implere, perfectamque obedientiam præstare.

26. Nec unquam propterea quia gratiâ Spiritus Sancti benè utitur, majorem gratiæ

amplitudinem & perseverantiæ donum mereri potest.

27. Renatus potest peccare. Contra Anabaptistas.

28. Sed nunquam penitùs à Deo deficere, à Spiritu Sancto deseri, fidem & gratiam Dei amittere potest. Contra Papistas & Ubiquitarios.

29. Vis qua renatus potest in fide salvifica & pietate perseverare & perseverat in finem usque, non est ab ipso, sed à Deo, sic ut initium & profectus seu progressus, sic etiam finalis perseverantia in gratia regenerationis & fide salvifica à sola Dei misericordia pendeat, merumque sit Dei donum.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0766
DFG

rnem infirmam, credēsq;
nguêre & infirmari, nec
ari, rursus nefaria moli-
t contra Servatorem, ciro
lvebatur prorsus cōtra-
eas enim tenendo amisit,
sumere posse. Cæterùm
ut, nisi vbi jam eas ma-
t Servator noster: quas
num recepit serpens suas
m innoxias nobis, & ic
dices. Nunc enim dia-
ulis contra nos calcitrat,
e dicitur: Quemadmodū
ium non est purum, ita
terram meam perdidisti
i. Ideo etiam nunc irri-
orem, in spinas quasi in
pungebatur quàm pun-
no arundine, quum mili-
lsare existimarent, hal-
ibolum ipsos irritantem
illæ quæ adscenderunt
utuo in valle Josaphath
ntes Israëlem, quum ad
nt, in sese manus vere
t: Ita nunc quoque illi
, semetipsos non sentien
interim, sed sibi noxii.
u secare velit, lapidem
m vulnerat: eâdem ra-

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 011
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
the scale towards document
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77776766X/phys_0769
DFG